6
1-C
30

6
2 L
8

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-1-C-30

74 3.10

74
E
13

74
E
16

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

OCTAVIANI GENTILII
EX DOMINIS ROVELLONI
PATRICII SEPTEMPEDANI
DE
PATRICIORUM
ORIGINE, VARIETATE, PRÆSTANTIA, ET JURIBUS
LIBRI QUATUOR

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad Eñum & Rñum Principem
ANTONIUM XAVERIUM
GENTILIUM
S. Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem
SS. Domini Noſtri Papæ Pro-Datarium.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESU
BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA



F. Franceſchelli ſcul.

ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis apud Pantheon. 1736.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Em̃o, & Rm̃o Principi

ANTONIO XAVERIO GENTILIO

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI AMPLISSIMO

Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS *Papæ* XII. *Pro-Datario.*

OCTAVIANUS GENTILIUS
ROVELLONI SEPTEMPEDANUS FELICITATEM.

C*Ogitare perſæpe ſolebam*, PRINCEPS EMINENTISSIME, *non parvum ſibi, ſtudiiſque ſuis, eum qui maxime Juriſprudentiam ſequitur, allaturum fore ornamen-*

Digitized by Google

tum, ſi ſubſecivis horis, aliquam hiſtoriæ, & eruditioni navet operam; a quibus ſummopere illuſtrari, quæ in Pandectis, & Codicum libris paſſim occurrunt, neminem latere arbitror. Quo quidem ſtudii genere novi plurimum laboraſſe veteres noſtros Juriſconſultos, qui jungi hiſtoriam, variamque eruditionem Juriſprudentiæ utiliter poſſe ſuo exemplo oſtenderunt. Nec enim exiſtimabam debere ſemper honeſtum, literiſque addictum virum aut de jure interrogatum reſpondere, aut diſcipulos docere ſuos, aut defendere Clientes; quæ Juriſconſulti præcipua munia eſſe putantur. Hæc mihi identidem mente, animoque volventi, ſatis opportunum ſtudiis noſtris argumentum occurrit, idque Juriſprudentia digniſſimum; de Patriciis nimirum peculiari tractatione differere; quorum frequens in jure Canonico, & Civili mentio fit: Quam provinciam eo alacriori animo ſuſcipiendam conſtitui; quoniam a nemine hactenus exacta cura, di-

Digitized by Google

diligentiaque complexam noram. Quare, quoties mihi S. Rotæ Romanæ feriæ, cujus ſtudio per quinquennium cum claræ memoriæ, & nunquam ſatis laudato Viro Ludovico Eliſio Roüault de Gamaches ejuſdem Auditore, implicatus fui, ocium faciebant; ad hujuſmodi diſſertationem adornandam me potiſſimum conferebam. At non omnem animi metum excuſſi, ne quis parum pudenter hoc quidquid ſtudii eſſet, a me inter forenſes curas ſuſceptum judicaret. Sunt enim nonnulli, qui fortaſſe perterriti communi adagio, Juriſprudentiam totum hominem requirere: quod vulgo Pragmatici noſtri vel importune ſolent objicere, quidquid ab forenſi uſu receſſerit non modo Juriſconſulto non neceſſarium inclamant, ſed prorſus adverſum, & blanda quadam, atque illicita voluptate repugnans. Nec timor me fefellit; nam Romanæ addicti Curiæ plerique Viri, ſimul ut noverant me hunc laborem ſuſcepiſſe, tanquam transfugam inſectabantur: apud eru-

eruditos viros, tanquam alieni hominis nec mihi locus, nec ratio ulla conſtabat; quorum alii me tanto æri ſolvendo non esse; alii prædibus non ſatis idoneum; alii alia comminiſcebantur. Quamobrem hęrens aliquandiu, metuenſque, facile futurum rebar, ne tractatione abſoluta vituperationem potius, vel invidiam apud omnes, gloriæ & laudis loco ſubirem. Quod, quum multo magis, quin vulgato opere mihi eveniret, vehementer dubitarem; Defenſorem, Patronumque deligere conſtitui, cujus ſpectata apud omnes auctoritate adverſantium conatus, & importunas inſectationes facile eliderem. Id certe aſſequi mihi viſus ſum, ſi opus hoc, qualecunque eſt, Tibi dicarem, Cardinalis Amplissime, *qui juris civilis, hiſtorięque peritia notus maxime, optimus Judex, ac Cenſor eſſe poteris. Licet enim, nequaquam me lateat, quanti fuerint, ac ſint exantlati pro Catholica Eccleſia, & Apoſtolica Sede labores tui, & quam intento animo pro Pontificię Majeſtatis*

ne-

negociis in dies excubes: ea tamen ingenii tui eſt magnitudo, & perſpicacia, ut nihil quamvis ceteris non ferendum, tibi factu facillimum non ſit. Quapropter obrepente interdum gratiſſimi tibi eruditi ocii memoria, ubi graviores res a te interim ſegregaveris, in amœniora & erudita ſtudia ſoles divertere. Quamobrem Urbs univerſa in ipſis a te erectis Academiis ad ſtudioſę Juventutis progreſſus, ſępenumero tuum eſt admirata ingenium, tuamque pręclariſſimam indolem, qua eadem ſtudia cum ceteris tuis forenſibus curis, quam feliciter jungis. Quis autem tuam conjunctam cum egregia Juris ſcientia ęquitatem in Civilium rerum Magiſtratibus, quos ob eximię virtutis ſpecimen in ipſo juventutis flore feliciter geſſiſti, ignorat? Enimvero Te Signaturę Auditorem, & in ſubſelliis Auditoris Cameræ Apoſtolicę litibus judicandis Urbs univerſa Juſtitię cultorem, ac propugnatorem egregium ita venerata eſt, ut amplioribus reverentię, & æſti-

æſtimationis argumentis affecerit neminem. Quæ laudum, & commendationis inſignia ornamenta magis magiſque auxiſti, poſtquam a ſan. mem. Benedicto XIII. Pontif. Max. Archiepiſcopali auctus dignitate, munus longe graviſſimum a ſecretis Sacrarum Congregationum Tridentini Concilii, & alterius Epiſcoporum, & Regularium negociis præpoſitæ feliciter obiiſti. Spectatis tuis moribus, doctrina, & laude Juſtitię motus CLEMENS XII. *dignus immortali memoria Summus Pontifex Te Apoſtolicę primum Datariæ præfecit, mox in ampliſſimum S.R.E. Cardinalium Collegium cooptavit: Quam dignitatem, veluti tibi merito debitam Boni omnes conſtanti animorum conſenſione ſunt gratulati. Ut autem hic de tot eximiis ingenii, animique tui dotibus ſileam; nobiliſſimæ familiæ Tuę decora ſilentio non pręteribo, quæ inter Camerinenſes in Umbria felici propagine pręclariſſimis Viris floruit. Hi pręſtantiſſimos in ea*

Ci-

Digitized by Google

Civitate Magiſtratus adepti, populum ita ſibi devinxerunt, ut is leges ipſas municipales ab GENTILE *ex Inclyta Stirpe Tua ſuſceperit; & gratas acceptaſque, tam diu, hodieque ſervet. Juvat etiam hic* LUCAM *S. R. E. Cardinalem commemorare. Ille ſiquidem inter Juriſconſultos decimiquarti Eccleſiæ ſeculi celeberrimus, primum Nucerinorum Antiſtes, deinde in Pannonia, & Umbria Sedis Apoſtolicæ Legatus, Romæque Vicarius Pontificis, adeo charus Urbano VI. Pontifici Maximo fuit, ut graſſante in Eccleſia Orthodoxa impio Roberti ſchiſmate, plurimum unus ille Cardinalium Collegio, ipſique Pontifici adjumento fuerit; ut teſtatur Ciaconius in Urbano VI., & Raynaldus ad annum MCCCLXXVIII. Hujus fratris filio digniſſimo* ANDREÆ *(Alios enim prætereo, ne animi Tui moderationi moleſtus ſim) eadem Civitas Camerinenſium ob egregiarum virtutum præſtantiam marmoreum monumentum in ipſis Patriæ Portis excitarat. Nec diſſi-*

mile honoris ſpecimen nuper in aula publici Palatii immortali memoriæ cum laudati Cardinalis LUCÆ; *tum etiam* EMINENTIÆ TUÆ, *veluti inſignis tam illuſtris Familię, & communis Patriæ decoris tributum eſt. Ne mirere itaque* CARDINALIS AMPLISSIME, *ſi tuo nomini Diſceptationes has noſtras inſcriptas voluerim. Cui enim poteram, vel debueram jure potiori? Cui magis e re mea? Accedet enim de Tuo nomine huic operi honoris multo plus quam ipſi de opere meo. Malui præterea, ut hoc literario labore, aliquo pacto ingens animi erga Te mei obſequium, debitumque teſtatum relinquerem; Neque vero ſum veritus, ne officium hoc meum non gratum, jucundumque tibi ſit futurum. Quandoquidem ſum mihi ipſe teſtis, quam humaniter, quam comiter me exceperis, & valido patrocinio Tuo decores. Opus proinde hoc meum* EMINENTISSIME PRINCEPS, *læta fronte, qualem ſtudioſis omnibus præſtare ſoles, accipe; meque* EMINENTIÆ TUÆ *devinctiſſimum, cujus*

lite-

Digitized by Google

literarios progreſſus ſemper amaſti, & familiam diligis, fovere pergas, atque tueri. Te interea Deus Optimus Maximus ad Eccleſiæ ſuæ decus, & ornamentum diu ſervet incolumem.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

ROmanæ Reipublicæ Magiſtratus, & munera a pluribus auctoribus fuſe, & copioſe expoſita ſunt; de Patriciis autem, & Patriciatus dignitate, quæ in Romano Imperio, & extra principem locum, ubique fere tenuit, ſcriptorum nemo hactenus fuit, qui data opera exactam, atque diffuſam, &, ut ita dicam, omnibus partibus conſtantem, & abſolutam diſſertationem ſcripſerit. Nam etſi a multis de hoc argumento diſputatum fuerit; illi profecto rem potius indicaſſe viſi ſunt, quam expoſuiſſe. Quod ea potiſſimum de cauſſa identidem mirari ſolebam; quoniam exacta Patriciorum notitia multarum rerum cognitionem affert: quæ ſi ignorentur, neceſſe eſt nobilem quoque civilis hiſtoriæ partem negligi, munerisque ampliſſimi, & eximiæ dignitatis jura confundi. Enim vero potiora officia, ſupremi Magiſtratus, ceterique honores Patriciis dumtaxat patebant antiquitus; in utroque autem Imperio,

co

eo illorum amplitudo, atque præſtantia provecta eſt, ut vel ſoli nobiliſſima quæque munera obirent; nec iis quiſquam fungi poterat, ſi Patriciatus honore caruiſſet: ſed, nec diſſimulandum eſt, ex hujuſmodi hiſtoriæ ignoratione, eo nos etiam adduci, ut quis hodie honorifico Patricii nomine jure appellandus ſit, pariter ignoremus; quum enim præſtantiſſimam nuncupationem ad ſuam originem, naturamque referre non pauci minus ſatagant, futiles ideo, ac ineptas ejus vocis ſignificationes conjectant. Gravi itaque, ac multiplici conſulturus malo hoc mihi onus ſumſi, ac de Patriciorum origine, varietate, præſtantia, & juribus ea omnia pro viribus colligere, & illuſtrare ſtatui, quæ in Romani, Græcique Imperii hiſtoria, diſperſa, atque confuſa leguntur.

II. Vix operi manus admoveram, quum non parva rerum moles ingeſta eſt: quæ veterum monumentorum lectione, & novis curis ita excrevit, ut facile ſenſerim argumentum eſſe operoſiſſimum, & laboris improbi. Videbam enim tractationem repetendam eſſe ab ultima Romanæ antiquitatis origine, quod ſane, non exiguum tempus exigebat, aut levem operam. Præterea, ut paullo ante monui, etſi multa de Patriciatu ex occaſione plerique Romanæ hiſtoriæ Scriptores interſeruerint, nemo tamen rem ipſam penitus

atti-

attigit, exactoque ſtudio enucleandam ſuſcepit: imo, quod mirere magis, quandoque ipſimet, qui de ceteris Romani Imperii officiis accurate tractarunt, Patriciorum nuſquam meminere. Quamobrem Jacobus Gretſerus *lib. 3. obſervat. ad Georgium Codinum Curopalatam cap.* 17. *Mirum eſt*, inquit, *Codinum Patricii nullam mentionem feciſſe, cum poſterioris Greciæ omnia monumenta Patriciis plena ſint*.

III. Præterea quum ex ſuæ quiſque ætatis, Patriæque moribus loquatur, & ſcribat, pro temporum, atque locorum varietate, Patricii nomen, ut multa alia vocabula, alias, atque alias ſignificationes, & uſus ſortiri neceſſe fuit: quod, cum a pluribus ſcriptoribus minime obſervatum fuerit, mirum eſt, quantam argumento caliginem offuderit, quantamque difficultatem ſcriptoribus nuperis, qui id ſibi argumentum pertractandum ſuſcipiunt, objiciat. Ingenue, nec minus vere Seldenus *Titul. bonor. cap.* 10. *num.* 2. *parte altera Neglecta*, inquit, *obſervatio diverſorum temporum, ac diverſæ notionis Patricii adeo intricavit eruditos quoſdam de iſtis epithetis tractantes, ut cum explicare debent eorum ſignificationem, vel craſſe confundant tempora, notioneſque diſtinguendas, vel nimis præcipitanter informent Lectores ſuos*. In hanc veluti inextricabilem ſilvam, olim forte delatus Eminentiſſimus Baronius *in annotationibus ad Martyrolog. Romanum* XXVII. *Auguſti litt. B.*

ſcri-

ſcripſit. *Etſi de Patricia dignitate complures viros eruditos ſcripſiſſe repererim, nullum tamen adhuc mea ſententia nactus ſum, qui rem adeo feliciter ſit proſequutus, ut nullam prorſus reliquerit de ea dubitandi occaſionem*. Eadem etiam Juriſconſulti Franciſci Amayæ querela eſt in Commentariis ad tres libros poſterior. Codicis Juſtiniani *lib.* 10. *tit.* 31. *de Decurion. num.* 62. Enimvero quum argumenti hujus difficultate preſſus quorſum ſe verteret, aut unde lucem peteret, non ſuccurreret, *Mirum eſt*, ait, *quam obſcurum ſit, velle explicare, qui fuerint hi Patricii, quid curaverint, quid egerint, in quo tanta dignitas conſiſteret.*

IV. Dum hæc mente, animoque volvebam, forte fortuna incidi in libros Joannis Jacobi Draconis de origine, & jure Patriciorum, qui extant Romæ dumtaxat in celebri Bibliotheca Excellentiſſimorum DD. Principum de Comitibus. Initio, fateor, pœnitebat me inſumti laboris, quem a non obſcuri nominis auctore occupatum cernebam; ſed ſimul cogitabam non omnia cum ipſo ita mihi eſſe communia, quin aliquid majoris momenti nondum ab eo animadverſum, & illuſtratum proferrem: Præterea legendo cognovi tantopere inter ſe diſcrepare hanc illius, & meam tractationem, ut haud multum labori noſtro videatur officere. Ipſe enim, quæ ad rectam, exactamque ejus materiæ explicationem ſpectat, breviſſime

duneſ-

Digitized by Google

defungitur, plurima prætermittit, nonnulla confundit, adeout ſiquis ſerio ſcripta expenderit, id una deprehenderit ne hoc quidem, ipſum conſequutum, quod fortaſſe tractatione ſua efficere poterat, ut tempora nimirum, genera, ac munera Patriciorum accurate diſcerneret, eaque paullo ſubtilius explicaret: Sed has inter ambages deprehenſum me, non tam ipſa evadendi difficultas, quam infelix fere omnium ſcribentium conditio deterrebat. Nec enim ignorabam omnium ætatum, nedum noſtræ vitium, quo nova ſcripta, factaque ſuſpecta habemus, plerumque faſtidimus, & carpimus: & quod ipſi non fecimus, aut male factum putamus, vel infectum cupimus. Sed quidquid inde mihi, aut laudis, aut injuſtæ vituperationis obventurum ſit, minime movet, nec a propoſito uſquam avertet: non laudem quærere, ſed quod laudabile eſt, facere, honeſti hominis officium eſt. Quod etiam animo ſum aggreſſus majore, ubi re ipſa plurimum mihi adjumento eſſe ſenſi Viros Clariſſimos doctrina, ac eruditione præſtantes Petrum Pollidorum Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Principis Annibalis Cardinalis Albani S. R. E. Camerarii, & Sabinorum Epiſcopi meritiſſimum Auditorem, Virum optimum, mihique amiciſſimum, ac Bernardum Gentilium e Congregatione Oratorii S. Philippi Nerii Patruum

truum meum; quos honoris cauſſa nomino.

V. Quod vero ad propoſitæ tractationis attinet ordinem, primum quidem mecum ipſe ſtatueram ex Ephecticorum Philoſophorum diſciplina de Patriciis agere: nihil affirmando, nihilque definiendo, ſed recitatis ſcriptorum verbis, atque ſententiis, litem maturo Lectorum judicio dirimendam relinquere; obvium enim erat, meum excuſare factum, quo momento ſuum excuſatum voluit Jacobus Gutherus *de Officiis Domus Auguſt.* qui de Patriciorum officio pertractans *lib. 2. cap. 19*: *Si in re*, inquit, *admodum obſcura, nos aliquando cæcutimus, ignoſcent ii, qui in veterum lectione verſati, in hujuſmodi difficultates plurimas incidunt, veniamque mutuam a peritioribus expoſtulant*: Nec enim a quoquam alienam puto prolatam ab Horatio Flacco in libro *de arte Poetica* legem æquitatis.

—— *Hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim*.

Hæc, inquam, ſtatueram: at mutato poſtmodum conſilio hunc etiam laborem ſubeundum exiſtimavi, ut quæ a ſcriptoribus ſunt prætermiſſa, referrem, quæ vero hactenus vulgata diſtinguerem, & illuſtrarem; ſed & ſcriptores, qui vel a vero diſceſſiſſent, vel materiam perperam confudiſſent, caſtigarem: neque propterea temeritatis, atque audaciæ notam pertimeſcendam credidi: Datur hæc venia ingenuo cuique ſcribenti in

graviſſimos, ac magni nominis ſcriptores inquirere, & errores notare; eaque omnia perveſtigare, quæ ad veritatem patefaciendam, vel aſſerendam conducunt, æquum univerſis jus eſt.

VI. Hunc porro de Patriciis tractatum, quatuor libris, veluti partibus abſolvam: In quorum primo agam de Patriciis Romanæ Reipublicæ, in altero de dignitate Patriciatus ex inſtitutione Orientalium Imperatorum: Tertius dignitatem Patriciatus poſt occupatum a Barbaris Italiæ regnum ediſſeret: Quartus denique de Patricii appellatione in Municipiis, & Coloniis antiquis, & poſtremis temporibus uſurpata, tractabit. Et in primo quidem prioribus capitibus exponam qui & quot fuerint Patricii Romanæ Reipublicæ: quæ officia, quoſve Magiſtratus geſſerint: ac demum de eorumdem inſignibus agam. Subinde de iis conſiliariis, quos tranſlato ad Cæſares Urbis Imperio, ipſi aſſumebant, quique etiam Patriciorum nomine decorati fuerunt. Secundo libro dicendum erit de origine dignitatis Patriciatus, quam a Conſtantino Magno Imperatore inventam conſtituam, quænam hæc dignitas fuerit: tum quæ prærogativa jura tulerit, quibuſnam conferri ab Imperatoribus ſoleret; ac demum quotuplex eadem fuerit, enarrabo. Quatuor autem fuiſſe Patriciorum genera oſten-

oſtendam; alii ſiquidem dicebantur Patres Imperatorum, ac Tutores Imperii, & Conſiliarii Principum; Alii particularium Eccleſiarum advocati; Alii Patricii Militiæ; Alii denique Patricii alicujus Civitatis, Provinciæ, vel etiam Pagi, ipſis in Patriciatum conceſſi. De ſingulis vero, eorumque juribus, muneribus, atque præſtantia, quam breviter potero, & accurate dicam: illorumque ſimul codicillos, ſeu formulas in ipſorum creatione uſurpatas referam: Poſtmodum de Patriciatu ab Græcis Imperatoribus plerumque collato Regibus, ac Magnis Principibus caput ſubjiciam. Agam & de Patriciatu fœminarum Imperatricis obſequio addictarum; ac de iis, qui hodie in aula Virorum Principum Patriciis ſuffecti ſunt, ediſſeram. Librum tertium Patriciatus Romanorum occupabit; cujus naturam, & jura exponam, tum etiam quibus conceſſus, & quandiu ipſi retinuerint, aperiam. De illo itidem Patriciatu loquar, quem in ipſa auguſta Majeſtate retinere Imperatores voluerunt; & quem viri Principes a Summis Pontificibus obtinere ſtuduerint. Tractationem quoque de ritu, & forma conferendi hujuſmodi Patriciatum, tum de corona, ſeu circulo Patriciali inſtituam. Ne quid poſtremo argumento deſit, de Patriciatu a Romanis invecto, & de Patricio Magiſtratu temporibus Lucii II. ab eiſdem

conſtituto nonnulla ſubtexam. Quarto demum libro de Coloniarum, Municipiorumque Patriciis, eorumque origine agam, quam a tempore fere deductionis earumdem Coloniarum repetam: Per occaſionem interſeram non pauca de Senatu, Decurionibus, & Conſiliariis Civitatum: Suo deinde loco pertractabo quo tempore variarum Civitatum Municipes cœperint in monumentis, publiciſque actis hanc Patricii appellationem uſurpare; & quinam hodie Patricii jure appellandi ſint. Tum demum de complurium Urbium, ac Gentium hac in parte uſu, & conſuetudine verba faciam.

VII. In hac porro tractatione propoſitum mihi eſt; nihil proferre, quod ratione valida, vel auctoritate non nitatur idonei teſtis. In conflictu auctorum, ſi hujus potius, quam alterius ſequar ſententiam, quamvis id faciam jure meo: ita tamen rem exequar, ut ratio facultati ſubſit; ſua cuique ſcriptori accepta referam, eorumque verba plerumque exhibebo; ne illos, per quos profeci, diſſimulaſſe merito reprehendar. Ita autem quæ ſubjicimus, velim, accipiantur, ut de rebus difficillimis, & temporum vetuſtate obſoletis verba facienti, liceat mihi allucinari nonnunquam. Imo quoad facere potero, operam dabo, ut ſi certa omnia quaſi delphica oracula præſtare nequeam, me nullum

lum laborem recuſaſſe oſtendam, ut veroſimillima proferam. Poſtremum ab optimis, æquiſſimiſque lectoribus meis peto, atque, obſecro, quod a ſuis facile ſe impetraturum credidit, in pari cauſſa, nec abſimili argumento Sigonius; cujus verba pro juſta, atque opportuna præfationis coronide ex *libro de antiquo jure Civium Romanorum cap.* I. e re ducimus hic attexere: *ſi quo in loco, nobis in eorum* (ſcriptorum) *veſtigiis pulcherrimis, inſiſtentibus, dum antiquiſſima illius jura quærimus, labi forte contigerit; id non noſtræ magis imbecillitati, qui tantas difficultates vix noſtra ſuperare induſtria, ac diligentia poſſumus, quam, aut eorum negligentiæ, quæ multis in rebus juſto gravior extitit, aut temporum injuriis, quæ in noſtra ſtudia, multo, quam oportuit, inſolentius inſultavit, tribui oportere cenſemus.* Doctis interea, & eruditis Viris maximam gratiam habebo, qui non modo, ſi quæ a me perperam ſcripta ſunt, confutarint, ſed etiam, qui veriora in lucem ediderint, ut antiquitatis, hiſtoriarumque ſtudioſis bene conſulant, & me ſimul felicioribus laboribus ſuis ab errore revocatum, peritiorem in poſterum reddant, & cautiorem.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſtolici.

N. Baccarius Ep. Bojan. Viceſgerens.

CENSORIA ADPROBATIO.

COmmentaria: *Octaviani Gentilii ex Dominis Rovelloni Patricii Septempedani de Patriciorum origine, varietate, Præſtantia, & Juribus in Libros quatuor*: tributa attente perlegi, Reverendiſſimo P. Jo. Benedicto Zuannelli Sac. Pal. Apoſt. Mag. jubente; nihilque in illis ab Sacroſancta Romana Chriſti Religione abſonum, nihil probis moribus adverſum deprehendi; quinimmo, non ſolum omnia ſana, omnia tuta, ac bonæ frugis plena; verum etiam plurimis ab eruditiſſimo Auctore cuncta aptiſſimis teſtimoniis ſuffulta & ſolidata, ad ipſius Romanæ Supremæ Sedis dignitatem, honorem, jura vindicanda, tuenda, ſtabilienda, ſarta tectaque conſervanda, ubi de Patriciatus collatione facta ab eadem Sancta Sede fuſe agitur, omnino referta, & ditata cumulatiſſime, ac locupletiſſime, æquus quiſque Lector inveniet. Quare digniſſimum Opus, quod prælo ſubdatur, & in publicam lucem prodeat, judico ac cenſeo.

Romæ apud S. Athanaſium Magnum Idibus Februariis a Virginis Deiparæ Partu cIↃIↃCCXXXVI.

Joſephus Roccus Vulpius Soc. Jeſu Sacr. Congregat. Indicis Conſultor, & Epiſcoporum Examinator, in Græcorum Gregoriano Collegio Studiorum Præfectus, & Sacroſanctæ Theologiæ Polemicæ Lector, item Latinæ De Veteri Latio Hiſtoriæ Scriptor.

AP-

APPROBATIO.

LIbrum cui titulus, *Octaviani Gentilii ex Dominis Rovelloni Patricii Septempedani*, *De Patriciorum origine*, *varietate*, *præſtantia*, *& juribus*, Reverendiſſimo P. Fr. Benedicto Zuannelli Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtro jubente, perlegi: cumque Fidei Catholicæ, boniſque moribus minime abſonum; imo docte, ac ſapienter elucubratum, ſolidaque eruditione refertum repererim, publici juris fieri poſſe cenſeo.

Romæ VII. Kal. Junias MDCCXXXVI.

Thomas Aceti Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ S. Petri de Urbe Clericus Beneficiatus.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo. Benedictus Zuannelli Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſt. Magiſter.

OCTA-

Digitized by Google

Digitized by Google

OCTAVIANI GENTILII DE PATRICIIS ROMANÆ REIPUBLICÆ

LIBER PRIMUS.

De Patriciorum Origine

CAPUT I.

SYNOPSIS.

I. *Romulus poſt conditam Urbem quomodo populum Romanum diſtribuit*. II. *Centum Viros Concilii publici gratia legit; ad cuſtodiam vero ſui corporis trecentos ſumſit, quos Equites appellavit*. III. *Ex iis centum geniti, Patricii dicti*. IV. *Patriciorum etymologia variis ſententiis ab Scriptoribus explicata*. V. *Patricii qui proprie eſſent*. VI. *Patricii facti vel lege ad populum lata, vel a Conſulibus*. VII. *Patriciorum allectiones multæ ob imminutum Senatorum numerum*. VIII. *Senatores qui, & quot eſſent*. IX. *Patricii duplicis generis, alii origine, alii Principis, Senatuſve beneficio. Primi Majorum Gentium dicti; alii Minorum Gentium*. X. *Cur Majorum, & Minorum Gentium appellati, & quando? Livius, Tacitus, & Plutarchus explicati*.

I. PRIMUM omnium ſatis conſtat, Urbe a Romulo feliciter condita, eique de ſuo, nomine indito, tum gentis imperio per fratris necem adepto, non exiguam finitimarum gentium multitudinem in novam Urbem invectam, cujus magis magiſque amplificandæ cauſſa Romulus jam Rex

Digitized by Google

creatus locum, qui ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos erat, Aſylum aperuit, ut eo facilius ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine, liber, an ſervus eſſet, avida novarum rerum perfugeret. Sed quum nihil interea publico ſervando bono, communique tranquillitati prodeſſet, illa Paſtorum, Convenarumque colluvies, ex ſuis transfuga regionibus, omni ſoluta metu, atque in omnem effuſa licentiam, & impunitatem; ſaniori conſilio conſtanti omnium utilitati proſpiciens, ad Civitatis ſtatum conſtituendum animum adjecit, ut bonam frugem libertatis, maturis jam viribus, tanta hominum multitudo afferre poſſet. At quæ prima fuerit populi Romani diſtributio, non una eſt Scriptorum ſententia. Dionyſio quidem placet Romulum, ubi primum ab agreſti illa Albanorum, Convenarumque multitudine Rex declaratus fuit, populum Romanum in tres Tribus, Tribus autem ſingulas decem in Curias diviſiſſe, agrum porro, excepta ea parte, quam publicis, ſacriſque muneribus obeundis addixit, æqualiter Curiis ipſis triginta partitum fuiſſe. Livius tamen nonniſi Sabino confecto bello, atque cum Tito Tatio imperio communicato, tres Equitum centurias, ac triginta Curias a Romulo conſtitutas, eaſque a mulieribus Sabinis appellatas, prodit. Tribuum autem Servium Tullium profitetur auctorem. Plutarchus vero, qui utriuſque hiſtorias videtur accurate legiſſe, Dionyſium ſecutus, ſcripſit tres Tribus, & Curias XXX. a Romulo inſtitutas, verum nonniſi poſt Civitatem Sabinis datam, deſcriptas; atque illas quidem Ramnenſium, Tatienſium, & Lucetum, has vero non a Sabinis mulieribus, ſed a locis pleraſque nomen ſumſiſſe. Qua quidem in re ſatis implexa, id omnium vero ſimillimum nobis videtur, quod inter tot diverſas Scriptorum ſententias, gravioribus fultus momentis prófert Sigonius de antiq. Jure Civi. Romanor. *lib.* 1. *cap.* 3., nimirum Tribus, & Curias ante Sabinum bellum a Romulo inſtitutas, nonniſi poſt factam cum Sabinis pacem

cem ſuis fuiſſe inſignitas nominibus. Quod & Varro de lingua Latina ſignificare videtur, quum rationem, cur ita Tribus nominatæ fuerint, aperiens, eas Sabino demum perfecto bello, ita nuncupatas affirmat. Tametſi Livius *lib.* 1. ab tributo appellatas cenſeat.

II. Porro ex ea populorum multitudine per agrum diſtributa Romanum in Tribus, & Curias, exemplo Veterum novas Urbes condentium, Ordines Civium, quorum præſidio Rempublicam regeret, Romulum legiſſe, dubitari nequit. Primo ſiquidem haud minoris momenti fore ratus, ſi eam publici quoque conſilii ope fulciret, centum creat Viros Curiarum, & Tribuum ſuffragiis, primores populi lectiſſimos, quos nimirum inter univerſum populum virtute, opibuſque noverat præſtantiſſimos; eoſque ab auctoritate *Patres*, ab ætate *Senatores* appellavit, ut auctores ſunt Livius *lib.* 1., Plutarchus *in Romulo*, Saluſtius, Vellejus, ceterique fide digniſſimi Scriptores. Deinde ad cuſtodiam ſui corporis trecentos homines ſumſiſſe iidem Scriptores referunt, quos primum *Celeres*, *Flexuminos*, poſtea *Troſſulos*, tum demum *Equites* dictos invenio apud Feſtum. Unde Dionyſius Halicarnaſſeus *lib.* 2. *antiq. Romanar.* ita ſcribit: *Senatu deinde ex centum Senioribus conſtituto videns, quod juvenum quoque ſibi opus eſſet aliqua manu ad tutelam corporis, & quorum in rebus urgentibus uteretur miniſteriis CCC. robuſtiſſimos ex nobiliſſimis familiis delectos circa ſe habuit Curiarum ſuffragiis, quemadmodum Senatores antea denos per ſingulas Curias.* Ex his propterea duplicem Civium Ordinem conſtituit, quorum alter *Senatorius*, *Equeſter* alter vulgo eſt appellatus; reliquam populi turbam, *Plebem* nuncupavit, ex qua, & Ordo plebejus iis additus: Unde initio Populus Romanus univerſus tripartitus fuit in Senatores, Equites, & Plebejos, de quibus cecinit Auſonius,

Martia Roma triplex, Equitatu, Plebe, Senatu.

 III.Ut

III. Ut vero, tum Ordini Senatorio, qui ceterorum præſtantiſſimus habebatur, tum quoque ſacris faciundis, & ineundis Reipublicæ Magiſtratibus, qui paullatim invecti fuerunt, (ut infra demonſtrabimus) nobiliſſimi Viri eligerentur; genus quoque, ut par erat, nobiliorum Civium e reliquo populo viſum eſt ſecernere. Quare, qui ex centum illis Senatoribus erant geniti, a reliqua populi turba diſcreti, *Patricii* appellati fuerunt. Reliqui vero Plebeji. Unde Livius *lib.* 1. *Patres certe ab honore, PATRICIIQUE progenies eorum appellati*. Vellejus Paterculus *in hiſtor. Rom. ad M. Vinicium lib.* 1. *Hic* (Romulus) *centum homines electos, appellatoſque Patres, inſtar habuit Concilii publici. Hanc originem nomen Patriciorum habet*. Quare, ut ſcribit Dionyſius *lib. antiquit. Roman.* 2. *Romulus ita ſuam Rempublicam conſtituit, ut illuſtres genere, virtute, ac pecuniis ab ignobilibus, humilibuſque ſecerneret, illoſque Patricios appellaret*: Atque hinc duplex eſt orta partitio populi Romani. Altera in ordine, altera in genere conſtituta; Ut nimirum Cives, Ordinis ratione, eſſent vel Senatores, vel Equites, vel de Plebe: Genere autem, vel Patricii, vel Plebeji. Scite propterea eam Ordinis & Generis varietatem animadvertens Petrus Servius in libro, cui titulus: *Juveniles Feriæ cap.* 2. ſcribit: *Primum unumquemque Civem Romanum in duplici illa a me ſuperiori capite allata populi partitione, quarum altera ordo, genus altera dicebatur, concluſum fuiſſe. Ordine partiti Cives, vel Senatores erant, vel Equites, vel de Plebe. Genere vel Patricii, vel Plebeji*. Adeo vero genus Patriciorum Plebi opponebatur, ut ceteri Cives Plebis nomine ſignificarentur abſque Patriciis, & Senatoribus, ut tradit Juſtinianus *in §. enim Lex eſt Inſtitut. de jure Naturali gent. & Civil.*: *Plebis*, inquit, *appellatione, ſine Patriciis, & Senatoribus, ceteri Cives ſignificantur*: quod docet & Gellius, quem refert, recitato paullo ante loco, Petrus Servius, qui proinde ſic Plebem

Digitized by Google

bem definit: *In qua nimirum Gentes Patriciæ non inſunt.*

IV. Non una tamen de *Patricii* nomine ab Auctoribus interpretatio fertur, atque ſententia. Alii ſiquidem putant, Patricios fuiſſe appellatos, quaſi *ingenuos*, vel qui ciere, hoc eſt oſtendere Patres poſſent: id, quod plebejæ genti obſcuriſſimæ, & prope e terra natæ minime licebat. Quare Publius Decius Vir Plebejus apud Livium *lib.*10. publica concione adverſus Patres affirmavit: *An unquam fando audiviſtis. Patricios primum eſſe factos, non de cælo dimiſſos, ſed qui Patrem ciere poſſent, ideſt, nil aliud, quam ingenuos*: At Sextus Pompejus Feſtus *lib. de Verborum ſignificatione* prodit: *Patricios, Cinthius ait in libro de Comitiis, eos appellari ſolitos, qui nunc ingenui vocentur*: Unde Dionyſius, Plutarchus, Sigonius *lib.*1. *de jure Civium Roman.cap.*7. idipſum cenſent: quem deinde ſunt ſequuti Jacobus Rævardus *lib.*3. *conjectaneor. cap.*3. *&* Vincentius Gravina *de ortu, & progreſſu juris civilis lib.* 1. §. 1. Ingenui autem ii erant, qui ſtatimac naſcebantur, liberi erant, quique ex duobus erant nati ingenuis, quod ſignificare videtur Appius Claudius apud Livium *lib. 6.* quum ſcribit: *An hoc ſi Claudiæ familiæ non ſim, nec ex Patricio ſanguine ortus, ſed unus Quiritum quilibet, qui me duobus ingenuis ortum, & vivere in libertatem ſciam, reticere poſſum?* Quæ omnia ſedulo expendens Sigonius *de antiquo jure Civium Romanor. lib.* 1. *cap.* 7. *Si ingenui ſunt*, inquit, *qui ex duobus ingenuis orti ſunt, profecto Patricium neminem facere Romulus, niſi ingenuum potuit, cum Patricius ille tum fuerit, qui patrem ciere potuerit*: At non deſunt, qui a patrocinio plebis, quod Patriciis Romulus primum commiſerat, eos dictos cenſeant. Id pleroſque exiſtimare ſcribunt Plutarchus *in Romulo*, Zonaras *lib.* 2. *hiſt.* Hotomannus *de Senat. tom.* 2. *apud Grævium cap.* 1. adeout ob patrocinii officium, aliaque geſta a Patriciis in Republica munera, Suidas communis Reipublicæ patres illos appellaverit.

V. No-

V. Nobis autem omnium optime de Patricii nominis interpetratione, & etymologia ſenſiſſe viſus eſt Joannes Voſſius *in etymologico, verbo Patricii*; putans duas illas poſteriores ſyllabas in voce *Patricius*, tantum nominis eſſe productionem, exemplo ducto ab eo, quod, ſicuti ab *Ædili, Tribuni, Novi, eſt Ædilicius, Tribunicius, Novicius*. Ita ab *Patre Patricius*; eoſque propterea haud ſecus, ac Patres, vel fuiſſe, vel ſignificaſſe opinatur. Ineptas proinde cenſet, ac notat eorum ſententias, qui, vel *Patricius* componi arbitrantur ex *Pater*, & *cieo*, vel qui dictos a *patrocinio* voluerunt. Favent autem huic opinioni Livius, Dionyſius, aliique Romanæ hiſtoriæ Scriptores, e quibus tum Patres, tum Patricii veluti ſynonyma efferuntur paſſim, & uſurpantur. Hinc Zonaras *lib. 2.*, quem ſequitur Franciſcus Hotomannus *de Senat. cap. 1. Romulus*, inquit, *ex iis, qui tum amplitudine generis, tum prudentia, tum etiam inſtituto vitæ clariores eſſent, centum deſignavit conſiliarios, eoſque Patricios nominavit; eorum autem conventum univerſum, Senatum appellavit*: & Sigonius *recitato loco libro 2. cap. 2. Dionyſium* explicans, quod ſcripſerit Romulum ex Patriciis Senatores legiſſe: *ideſt*, inquit, *quos ante in Patriciorum numerum retuliſſet, hoc eſt in Senatum*. Illud item animadvertendum, centum illos Senatores, ſicuti *Patris*, ita & *Patricii* tuliſſe nomen, quod nihilominus poſtea in eorum filios promanavit; proprieque eo nomine eorum progenies deſignabatur. Unde ex illis id profluxiſſe genus certum eſt, quod aliquando *Patres*, & *Senatores*; quandoque vero: (præſertim quando Plebs in Senatum obrepſit) *gentem*, & *familiam Patriciam* ſignificaret. Quamobrem in hujuſmodi Reipublicæ ſtatu proprii, ac veri Patricii illi erant, qui originem ex centum illis primis Patribus a Romulo lectis, vel ex iis, quos iterum in patres idem, ceterique Reges ſubinde allegerunt, ducebant, quod ſcite innuit & Petrus Servius *in juvenilib. feriis c.1.* ſcri-

ſcribens: *Illi dicebantur* (Patricii) *qui a centum Patribus a Romulo, in Senatu primo lectis, aliiſque deinceps adſcriptis, ſive ab eodem Romulo, ſive ab aliis Regibus, aut etiam a Bruto originem duxerunt*: Gregorius Tholoſanus *in Syntagm. juris univerſ. lib.* 47. *cap.* 16. *num.* 4. idipſum docet his verbis: *Patricii dicebantur Senatorii Ordinis Viri, quique eſſent ab illis progeniti*: Eadem ſententia a Gloſſa pariter in *lege Nuptæ* verbo *Patriciis ff. de Senator.* Accipiuntur Patricii: *Qui, Romæ*, inquit, *dicebantur, qui a primis Senatoribus oriundi erant*: Ipſa vero lege decernitur: *Senatores autem accipiendum eſt, eos, qui a Patriciis, & Conſulibus uſque ad omnes Viros illuſtres deſcendunt*.

VI. Progreſſu temporis, non tantum illi, qui ex centum Senatoribus primo lectis, Patricii jure dicebantur, ſed quos in Patriciorum numerum, tum Romulus ipſe, tum ceteri Reges nominatim retulerunt. Hinc factum eſt, ut Patricius quis aliter fieri non poſſet, quam lege nominatim ad populum lata; quod propterea fuit aut Regum, aut Conſulum, aut Imperatorum ampliſſimum beneficium, ut refert Sigonius *de antiq. jure Civ. Rom. lib.* 1. *cap.* 7. Romulus itaque bis, teſte Dionyſio, legit Patricios; primum ex Albanis, quos ſocios condendæ Urbis habuit; deinde ex Sabinis, quos cum eorum Rege Tito Tatio in Civitatem advocavit, quo tempore Julii, Pinarii, Æmilii, Fabii, Antonii in Patriciorum numerum relati videntur. Hunc morem deinceps ſequuti ceteri Reges, Numa ex Sabinis Valerios, Tullius ex Albanis, Alba excifa, Julios iterum, & Servilios, Geganios, Attilios, Curiatios, Quintilios, & Clelios: Ancus ex Hetruria L. Tarquinium, Priſcus ex Latio Servium Tullium, & Octavium in Patriciorum Ordinem retulerunt. Imminutis autem cædibus, atque exiliis a Tarquinio Superbo Patriciorum familiis, Lucium Brutum, qui primus exactis Regibus Conſul fuit, legiſſe Patricios con-

conſtat. Unde ſexto poſt liberatam Rempublicam anno Appius Claudius ex Sabinis Romam commigrans lege iterum conſulari Patricius eſt renunciatus. Poſtremo C. Cæſar Dictator lege Caſſia, & D. Auguſtus lege Senia, & D. Claudius Patricios magna ex parte jam exſtinctos ſuppleverunt: quos omnes recenſuit Sigonius *de antiq. jure Civ. Roman. lib.* 1. *cap.* 7. Hinc apud Livium *lib.* 4. Canulejus Vir plebejus, Plebiſque Tribunus invidioſe adverſus Patres dixit: *Patricios pleroſque ex Albanis nobilitatem, & Sabinis, non genere, non ſanguine, ſed per cooptationem in Patres habuiſſe, aut ab Regibus lectos, aut poſt Reges exactos, juſſu populi*. De Patriciis autem ab Imperatoribus lectis, de quibus ſermo eſt in Dione, Suetonio, & Tacito, peculiari diſceptatione tractabimus.

VII. Novæ Patriciorum allectioni cauſſam dediſſe imminutum Senatorum, ac primorum Patriciorum numerum, ut innuimus, conjicere facile eſt. Quum enim implere Senatum, vel ipſum augere præſtantibus, ac nobilibus Viris, tam Romulus, quam ceteri Reges, Conſuleſque vellent, nec niſi exiguus Patriciorum ſuppeteret numerus, alios, atque alios creavere Patricios. Conſtat autem in legendis Senatoribus ſpectatum præ cæteris genus fuiſſe, hoc eſt quemquam eſſe Patricium. Panvinus de Civitate Romana: *Regibus*, inquit, *quoque viſum eſt, ut Patriciorum numero duplicato Senatorum quoque Ordinem augerent*; & Sigonius *recitato loco lib.* 2. *c.* 2. advertit: *Romulus, Tarquinius, & Priſcus nonniſi ex Patriciis quemquam* (Senatorem) *legiſſe dicuntur, ideſt ex iis, quos antea in Patriciorum numerum retuliſſent*: Nec aliter accipiendus eſt Feſtus, relatus a Franciſco Hotomanno *de Senat. cap.* 1. quum ſcribit: Valerium Conſulem propter Patriciorum inopiam ex plebe cooptaſſe in Senatorum numerum ſeptuaginta quatuor ſupra centum Viros, illos nimirum, quos antea in Patriciorum numerum retulit. Nec eſt cur dubius hæreat Sigonius, qui reci-

recitato loco ſcribit: *Neſcio an ita intelligendum ſit plebejos, tum quidem eſſe in Senatum adſcitos, ſed qui antequam adſciſcerentur Patricii eſſent facti*. Quum multo ſerius plebi aditus in Senatum patuerit, neceſſario dicendum eſt, plebejos Senatores fuiſſe lectos, modo ipſi antea in Patriciorum numerum eſſent relati. Dionyſius ſiquidem, quem ipſe ſequitur in exponenda Patrum adverſus plebem pro Cariolano contentione, quæ in altero Minucii, & Sempronii conſulatu anno ab urbe condita ducenteſimo, ſexageſimo, ſuſcepta eſt, ita loquitur, ut multo poſt id temporis jus hujuſmodi plebi impertitum ſignificet. Nam ubi Cariolanum Virum patricium a plebe tributis comitiis novo exemplo Urbe pulſum narravit, hæc addit: *Atque hinc quidem plebis opes creverunt; optimates autem multas partes antiquæ dignitatis amiſerunt, cum & Senatus, & Magiſtratuum, & Sacerdotiorum partem plebejis feciſſent, & alia etiam ornamenta communicaſſent, quæ propria Patriciorum fuerant*. Pro arbitrio autem tum Reges, tum Conſules, quos vellent, in Senatum legiſſe, ſive Patricios, ſive plebejos, auctor eſt Feſtus; cujus verba Sigonius deſignato loco deſcribit.

VIII. Varius idcirco, diu, ac ſæpe fuit Senatorum numerus, præſertim creſcente Republica, Romanoque vigente imperio: qui ut impleretur neceſſaria, ut vidimus, plerumque erat Patriciorum allectio. Sub Romulo primum centum fuiſſe conſtat ex Albanis lectos, quos ſocios condendæ Urbis habuit; quibus ex Sabinis, vi icti fœderis, in Civitatem aſſumtis, centum alios adjecit. Sed inde ſub Regibus, & Conſulibus tanto incremento Senatus auctus fuit, ut ad trecentos numerarentur. Et ſane Tarquinium Priſcum alios centum huic adſcripſiſſe cœtui auctor eſt Plutarchus in Romulo, & *problem.53*, eorumque numerum imminutum cæde, & exiliis a Tarquinio Superbo, Lucium Brutum Conſulem, & Valerii Collegam primum ſuppleviſſe, ſcribit Livius *lib.2*. Quare

Sigonius *de antiquo jure Civi. Roman. lib. 2. cap. 2.* aſſeruit : *Conſtans ergo opinio eſt, Senatores omnino poſt Reges exactos fuiſſe trecentos, quem numerum per multos poſt annos eſſe invenio obſervatum*. Sunt vero nonnulli, qui auctum uſque ad ſexcentos eum numerum ſcribunt, lege lata a Cajo Graccho Tribuno plebis, & allectis ex ordine equeſtri trecentis, quod, & apud Plutarchum legitur, & in epitome Liviana. Sed eam legem aut a populo antiquatam, aut non ita multo poſt abrogatam fuiſſe Sigonius eodem loco ſuſpicatur. Quod eamdem poſt a Marco Livio Druſo Tribuno plebis relatam advertit apud Appianum. Is enim, quod Gracchus antea tentaſſe dicitur, ut judicia inter Senatores, Equiteſque communicaret, legem promulgaſſe fertur, ut trecentis, qui tum erant Senatores, trecenti alii ex equitibus adſcriberentur, atque ex ſexcentis, ex quibus Senatus univerſus eſſet, decuriæ Judicum legerentur: eamque legem una cum ceteris Druſi legibus Philippo Coſ. referente uno S. C. ſublatam fuiſſe idem affirmat. Appianus, quem & Sigonius eodem loco ſequitur, duplicis meminit Senatorum electionis, quarum altera Sulla, & Ruſo Coſs. facta fuit, altera Sulla Dictatore contigit. Quamvis autem quot Sullanus Senatus Senatores haberet, certo indicari nequeat; tamen ſupra quadringentos ab eo lectos, Sigonius non inepta conjectura fultus affirmat. Cicero ſiquidem in epiſtola quadam ad Atticum, Meſſala, & Piſone Coſs. ſcripta, hæc habet: *Homines ad quindecim Curioni nullum S.C. facienti aſſenſerunt, facile ex altera parte CCCC. affuerunt*. Auctus uſque ad CM. a Dictatore Cæſare fuit, & poſt ejus necem a triumviris indigniſſima etiam turba plebejorum repletus eſt. Erant namque Senatores tum ſupra *M* plerique per gratiam, & præmium allecti, quos *Orcivos* vulgus vocabat, ut Dionis, & aliorum teſtantur hiſtoriæ. Ex quibus ſcitum, & elegans eſt illud Suetonii in Auguſto: *Auguſtum Senatorum effluentem numerum deformi, & incondita*

dita turba ad modum, & ſplendorem priſtinum redegiſſe.

IX. Sed ut eo, unde digreſſa eſt, revertatur oratio, tametſi hujuſmodi Patriciorum allectionibus plus æquo Senatorum ordo fuerit auctus: Illud nihilominus inter veteres Patricios, ac recens electos diſcrimen interceſſit, ut integro manente Patricii generis ſplendore in iis familiis, ac gentibus, quæ vel ab illis centum primis Senatoribus a Romulo, vel ab aliis Regibus Senatui adſcriptis originem ducebant; iſti ab origine dicerentur Patricii; ceteri autem beneficio Principis, vel Senatus. Et primi quidem, qui Senatorum, vel Patriciorum erant nati, nepotes, pronepotes, & ſic deinceps; alii, qui vel Principis juſſu, vel auctoritate Senatus inter Patricios erant, allecti. Id probe expendens Jacobus Rævardus *lib.3. conjectan. cap.7.* ſcribit: *Animadverti Patriciorum olim duas fuiſſe ſpecies diverſas, aut enim erant origine Patricii, aut Principis, Senatuſque beneficio: Origine quidem, qui Patriciorum filii, nepotes, pronepotes, & ſic deinceps; beneficio vero Principis, aut Senatus fiebant Patricii allectione: Moris enim erat, ut plebeji aut a Principe, aut etiam a Patribus inter Patricios allecti, a Plebejis ad Patricios tranſirent.* Porro autem, qui origine erant Patricii, *Majorum Gentium* ſunt nuncupati, alii vero *Minorum Gentium* dicti. Unde Panvinus de Civitate Rom. de Patriciis, Plebe, & Senatu verba faciens: *Familiæ*, inquit, *quæ ab his Patribus, quos primum Romulus legit, deſcenderunt, Patriciæ Majorum Gentium dictæ ſunt, ut aliquod diſcrimen eſſet inter has, & illas, quas poſteriores Reges in Patricias cooptarunt, quæ Minorum Gentium ſunt vocitatæ*: Et Sigonius *de nomin. Romanor. cap. 6. Fuiſſe*, ait, *hanc Patriciorum diſſimilitudinem, quod alii Majorum, alii Minorum Gentium eſſent, Livius, & ceteri auctores ſunt*: Quare Cicero *epiſt. familiar. lib. 9. Papyrio Læto* ſcribens: *Fuerunt*, inquit, *Patricii Minorum Gentium, quorum princeps L. Papyrius Mugillanus.*

B 2 X. Di-

X. Dictos tamen Minorum Gentium fuiſſe autumat citato loco Jacobus Ræuardus ad deſignandum diſcrimen inter gentem plebejam reſpectu habito illorum Patriciorum, qui origine, ſucceſſione, & quadam Majorum Gentium continua ſerie Patricii erant. Gentis tamen vocabulum ideo uſurpatum eſſe a Patriciis Sigonius *de nomin. Romanor. cap.* 6. arbitratur, quod ipſi ſoli gentem habuerunt; de qua inferius ſermonem habebimus. Non ita tamen exacte auctores de tempore conſentiunt, quo hujuſmodi inter Patricios diſcrimen eſt inductum. Enim vero, ut animadvertit recitato loco Sigonius, Livius, quos Romulus legit, eos *Majorum Gentium*, quos Tarquinius Priſcus *Minorum*; quos liberata patria Brutus *Patres conſcriptos* appellat: Hos ipſos Tacitus *Minorum Gentium* vocat. Sed illud diſcrimen ab altera Patriciorum electione, quam Romulus fecerat, manaſſe facile ſuſpicor cum Panvino, qui veroſimilius nobis ſenſiſſe videtur, quam Livius, Plutarchus, & Tacitus. Et profecto eos ſolum Patricios, qui a Romulo primum lecti fuerunt, Majorum Gentium fuiſſe, vel ſequentis Patriciorum lectionis teſtimonio confirmari poteſt, qui illorum ratione habita non niſi Minorum Gentium ſe eſſe profitentur. Niſi affirmare malimus, hos quoque Majorum Gentium fuiſſe, ſi cum iis, qui a ſequentibus Regibus lecti ſunt, conferantur; ita tamen, ut a Romulo lecti ita lecti ſint, Majorum Gentium, ut Minorum eſſe non poſſint; noviſſimi vero a Bruto creati ita ſint Minorum, ut Majorum appellationem obtinere jure nequeant. Medii vero a Regibus allecti, modo Majorum; modo Minorum Gentium dici poſſint. Majorum quidem, poſteriorum, Minorum vero ſuperiorum Patriciorum ratione habita. Quemadmodum inter relatas diverſas ſententias docet indicato loco Panvinus; qui agens de nominibus Romanorum, diſtincte recenſet familias Patricias tum Majorum, tum Minorum Gentium.

De

De Ordinibus, quibus Patricii cenſebantur.

CAPUT II.

SYNOPSIS.

I. *Paulus Manutius affirmans aliquot Patricios de Plebe fuiſſe adverſus Samuelem Pitiſcum defenditur: Jacobus Ravardus aſſerens Plebejos, Patricios aliquando fuiſſe vocatos, notatus.* II. *Jus cenſendi populum a Servio Tullio inventum, primum erat Regum, deinde fuit Conſulum, denique præcipui Magiſtratus.* III. *Cenſus cuilibet Ordini conſtitutus; Cenſorum auctoritas.* IV. *Patricii ob imminutum cenſum modo inter Equites, pediteſque, nunc ad Plebem traducti.* V. *Civium Romanorum genera, & ordines poſt conſtitutum cenſum immixti.* VI. *Nicolaus Gruchius ea de re a Joanne Bertrando reprehenſus, defenditur.* VII. *Patricii cenſus inopia ad Plebem translati, non Plebeji, ſed de Plebe dicti. Ad Plebem ipſi tranſibant, & quomodo.* VIII. *Plebejus Patricium, non Patricius Plebejum adoptare poterat; adoptiones quomodo fiebant.* IX. *Plebeji Patriciarum familiarum nomen ſumebant, & quomodo.* X. *Ejuſdem nominis aliæ Patriciæ familiæ, aliæ Plebejæ.* XI. *Optimates qui, & an ſoli Patricii.*

I. CONſtituto Patriciorum cœtu, in quo ſui, cujuſque generis ſplendor oſtentabatur, ut proximo capite vidimus, varia deinceps fuit eorumdem fortuna, ac modo in uno, modo in altero fuerunt ordine, neque ſemper in eodem cœtu manſere. Quo factum eſt, ut Patricii vel in Ordine Senatorio, vel in Equeſtri ſive de Plebe eſſent, ac etiam nativum, Patriciumque amittentes genus, ſe prorſus in Plebem transferrent. Scite propterea contendit Paulus Manutius *de Civit. Romana* nonnullos Patricios, non quidem Plebejos fuiſſe, ſed de Plebe, qui nimirum

in

in nullo eſſent Ordine, nec Senatorio, nec Equeſtri. Aſſertum Manutii vocat argutias Samuel Pitiſcus, qui proinde adverſus eumdem cenſuram exercens, id nec ullius antiqui Scriptoris teſtimonio probari, nec firmari ratione poſſe arbitratur. Jacobus autem Rævardus *lib.3. conjectaneor. cap. 7.* poſtquam triplicem de Patriciis attulit interpretationem, quod una nimirum omnes Romanos Cives ingenuos reſpiceret, altera eos dumtaxat nobiles, qui Plebeji non erant, poſtrema denique, quæ ſolis primariis Senatoribus eſſet accommodata, addit: *Aliquando Cives ingenuos non Patres tantum, ſed etiam Plebejos, ſatis conſtat Patricios appellatos fuiſſe.* Utrique profecto id Plebis nomen fucum fecit, quod directe Patriciis opponeretur; ſed diſcrimen profecto non animadverterunt, quod inter eum, qui *Plebejus* eſt, & illum, qui de *Plebe*, dicitur, intercedit. Primum ſiquidem genus, alterum Ordinem reſpiciebat. Quare, quemadmodum Patricium, atque Plebejum ſimul eſſe ſibi invicem adverſabatur; ita nihil repugnabat, ut, Patricius, qui nec in Senatorio, nec in Equeſtri erat Ordine, *de Plebe* eſſet. Utrumque diſcrimen perſpicue aperuit Petrus Servius *in juvenilib. feriis cap.3.* ſcribens; *Etenim animadvertendum diximus longe aliter eſſe de Plebe, & Plebejum. Nam hic eſſe dicitur, qui non eſt Patricius; ille, qui nec Senator, nec Eques: Plebejus ad genus ſpectat, de Plebe ad Ordinem.* Et Vinnius *in §. lex eſt Inſtit. de jure nat. &c.*

II. Hujuſmodi fortunam paſſi ſunt viri Patricii, poſtquam in Romana Republica cenſus cuilibet Ordini eſt conſtitutus; tum enim ſive Patricius, ſive Plebejus in eo cenſebatur ordine, cujus cenſum haberet; ut propterea ſi Patricius Senatorium; in Senatu eſſet; ſi Equeſtrem inter Equites numeraretur. Sin autem nec cenſum Senatorium, nec Equeſtrem haberet, ad Plebem juſſu deveniret cenſorio; ut docet Nicolaus Gruchius *De Comit. Roman. lib.1. cap.4. pag.114. edit. Venet.* Scribit enim: *Quod vero dixi cujuſ-*

cujuſque cenſus ordiniſve eſſent, eo pertinet, ut intelligamus nihilominus Patricios diviſos fuiſſe per claſſes, pro cenſu cujuſque; & quoſdam in Senatorio, quoſdam in Equeſtri Ordine, quoſdam & etiam inter pedites nihilominus fuiſſe. Quo magis magiſque res ipſa illuſtretur, operæ pretium me facturum puto, ſi hic peropportune de inſtituto, & auctoritate Cenſorum ea breviter delibem, quæ ſuſceptæ tractationi lucem afferunt. Cenſendi inſtitutum primum omnium Servium Tullium Regem, in Rempublicam intuliſſe nonnulli affirmant; quum is populum univerſum jurejurando adactum fortunarum ſuarum æſtimationem apud ſe profiteri juſſit. Qua cognita eumdem in ſex claſſes & centum nonaginta tres centurias ita diſtribuit, ut in primam centuriam, qui maximo eſſent cenſu conjecerit, in reliquas deinceps, qui minore, ſervato cenſus, & centuriarum gradu. Hinc factum eſt, ut Cives univerſi in ſua quiſque claſſe, Tribu, & Centuria, exhibito ſacramento apud eum, cui jus cenſendi populi erat, ſua nomina, uxorum, liberorum, libertorum, ſervorumque profiterentur; præterea ætatem omnium, regionem, quam incolerent, ac fortunarum ſuarum æſtimationem referrent, ut docent Sigonius *de antiq. jure Civi. Rom. lib.*1. *cap.*14., Panvinus *de Civit. Roman.* Id jus primum fuit Regibus, deinde Conſulibus, & Dictatoribus, poſtremo proprio ad id Magiſtratui creato. Quum autem Conſules, qui bellis præerant, cenſere populum minime poſſent, qui jam per multos annos cenſus non erat, neque differri amplius poſſet; novus hic magiſtratus anno ab Urbe condita CCCX. eſt invectus, Cenſoreſque ab re ſunt appellati, quorum Scribæ miniſterium, cuſtodiæque, & tabularum cura, formulæ demum cenſendi arbitrio ſubjicerentur; unde Livius *lib.*4. *Mentio, inquit, illata ab Senatu eſt, rem operoſam, ac minime conſularem, ſuo proprio Magiſtratu egere, cui Scribarum miniſterium, cuſtodiæque, & tabularum cura, cui arbitrium formulæ cenſendi ſubjiceretur:* Magiſtratum ipſum,

Digitized by Google

ipſum, quamvis re parvum, quo nihilominus plures Patricii Magiſtratu in Republica fungerentur, Patres læti accepere, de quo Livius eodem loco.

III. Subinde novus hic Magiſtratus eodem teſte Livio tanto auctus eſt incremento, ut morum, diſciplinæque Romanæ apud ipſum Regimen, Senatus, Equitumque centuriæ, decoris, dedecoriſque diſcrimen ſub ditione ejuſdem eſſent; publicorum, privatorumque jus locorum, & vectigalia populi Romani ab ipſius Magiſtratus nutu penderent, & arbitrio. Ejus munus Cicero *in lib. 3. de legibus* ita explicat: *Populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento: Urbis templa, vias, aquas, æraria, vectigalia tuentor, populique partes in Tribus diſtribunto: exin pecunias, ævitates, ordines partiuntor: Equitumque, Peditumque prolem deſcribunto: Cœlibes eſſe prohibunto: Mores populi regunto: Bini ſunto:* Cenſus propterea cuilibet Ordini accommodatus, ac conſtitutus, de quo Seneca *declamat. lib. 2. Senatorium*, inquit, *gradum cenſus aſcendere facit, cenſus Romanum Equitem a plebe diſcernit*. Senatorius cenſus duplo major erat equeſtri. Is quadrigentorum millium H. S. ſummam implebat, plebejus hoc tenuior. Qui autem nec Senatorium, nec Equeſtrem habebat cenſum, de Plebe erat, ut docet, oſtenditque Petrus Servius *in juvenilib. feriis cap. 2.* Si alicujus cenſum imminutum Cenſor inveniret, in alium referebat ordinem. Quemadmodum autem ab Cenſore Cives Ordinibus honoris cauſſa adſcribebantur, ita & ab eodem ignominiæ cauſſa, & ob imminutum cenſum ex ordinibus pellebantur. Itaque ut Tribu largienda Plebejum, equo publico aſſignando Equitem Romanum, Senatu communicando Senatorem cenſores faciebant; ita Tribu movendo Plebejum, equo adimendo Equitem, Senatu ejiciendo Senatorem, cum eſſent ceu morum Judices, ac Magiſtri, notabant, ut docet Sigonius *de antiq. jure Civi. Roman. lib. 2. cap. 6.* Id Cenſores agebant initio ſuæ cenſuræ, & quin-

quinto quoque anno creari iterum ſolebant. Unde Senatum ipſi legentes ſingulorum edebant nomina: ſi quos ejectos Senatu vellent; eorum nomina præteribant, eaque præteritione Senatu moti cenſebantur, non enim amplius eorum nomina in Senatorum albo erant deſcripta. Equum Equitibus adimi, vendique jubebant: Plebejos vero in Cæritum tabulas referebant. Uti tradit in divination. Ciceronis Pedianus, ex eoque recitato loco Sigonius; qui multa profert exempla, quibus referta videtur Livii, & aliorum hiſtoria.

IV. Nil mirum itaque, ſi Cenſores, quibus tam amplum Magiſtratus, omneſque Ordines cenſendi jus erat, Patricios quoque in Equites, Peditesque, & in Plebem transferebant; Petrus Servius *in juvenil. feriis cap.3.* probe, diligenterque rem explicat, ejuſque placet hic verba reddere: *Complures Equites eſſe Patricios, illud primo argumento eſt, quod Patriciorum non pauci eo pecuniarum non pervenerint, ut octingentorum millium H. S. ſummam explerent. Hos in Senatum legere non licebat; in Equeſtrem igitur Ordinem, ſi pecunia, & gratia apud cenſores pollerent, cenſebantur.* Hinc apud Livium *lib.39.* ſcriptum legimus C. Claudium Neronem, eum, qui anno ab Urbe condita DXLVI. cum M. Livio Salinatore Conſul fuit, inter Patricios natum, meruiſſe publicum equum; quod citatus Servius eodem loco expendens plura tum Plebejorum, tum Patriciorum recenſet exempla, qui evecti fuerunt in ordinem Equeſtrem juſſu cenſorio: *Liquido conſtat*, inquit, *& Patricios, & Plebejos equeſtris ordinis fuiſſe*: Idipſum Panvinus *de Civit. Rom.* luculenter explicavit, cujus verba hic lubet deſcribere: *Et ſane Civis Romanus, quicunque eſſet, ut is, de tribus illis Ordinibus unum haberet, Senatorium, nimirum Equeſtrem, aut de Plebe, neceſſe erat; itaut dici poſſet, Senator non es, ergo Eques, aut de populo; neque Senator, neque Eques, quamvis Patricius, ergo de populo. Ordo enim prætcrea nullus*

C *ſuper-*

ſupereſt; *ita quoque de Plebejo genere*, *quod Patriciis opponebatur*, *dicendum*: *Si Civis Romanus Plebejus minus haberet* CD, *de populo erat*; *Si* CDOO. *haberet*, *equumque publicum obtinuiſſet*, *annuloque uteretur*, *quamvis Plebejus*; *erat tamen Eques*: *Et ſi ex Equite in Senatum a Cenſoribus lectus*, *Senator erat*: Huic ſententiæ ultro ſubſcribit Vir eruditiſſimus Vincentius Gravina *in libro de ortu*, *& progreſſu juris Civilis*, agens de Senatoribus. Id ſpectaſſe videtur, & Salvianus *lib.* 1. *de Providentia folio* 19., ubi cum admiratione quadam de priſcis Romanis ſcribit: *Nunquid illecebræ*, *& cupiditatis pœnam putabant*, *quod diſtenta aureis nummis marſupia non haberent*, *cum Patricium hominem*, *quod ad decem uſque argenti libras*, *dives eſſet*, *voluiſſent indignum Curia judicare*? Appoſite autem notavit Abbas Vertotus reſponſurus Viro Clariſſimo, ac nobiliſſimo Stanhope, quærenti utrum Patricius jure ſucceſsionis Senatum adire poſſet; quod nulla habita fuit ratio in deligendo Senatore: num eſſet Patricii, & Senatoris filius; ut ita veluti jure ſanguinis locus eidem in Senatu eſſet. Eam diſſertationem inſeruit hiſtoriæ revolutionum Romæ, vulgari editæ ſermone; quam certe plurimum illuſtraſſet, ſi aliqua verba de cenſu fecisſet in ejus aſserti comprobationem; cenſus enim in cauſsa fuit, ut quis propriam, non Patris, nec ſanguinis, neque familiæ conditionem ſequeretur.

V. Variis itaque inter ſe modis fuiſse commiſta ex notis cenſoriis tum genera, tum Ordines Romanorum Civium, animadvertunt recitato paullo ante loco Panvinus, & Petrus Servius *in juven. feriis cap.*3. qui cum exacte, probeque rem explicet, placet hic ejus verba deſcribere. Is, itaque (inquit) ſimul eſse poterat.

I. *Senator*, *Eques*, *& Plebejus*, *vel*
II. *Senator*, *Eques*, *& Patricius*, *vel*
III. *Patricius*, *& de Plebe*, *vel*
IV. *Patricius*, *& Eques*, *vel*

V. *Pa-*

Digitized by Google

V. *Patricius, & Senator, vel*
VI. *Plebejus, & Senator, vel*
VII. *Plebejus, & Eques, vel*
VIII. *Plebejus, & de Plebe.*

Etenim Gn. Pompejus, M. Cicero, M. Emilius Pætus, L. Piſo, C. Marius, M. Bubulus, L. Calphurnius cum non ſint a Patribus oriundi, Plebei ſint, neceſſe eſt, Equeſtrem Ordinem aſſequi potuerunt, (ſpecto potius, quod fieri potuit, quam, quod revera fuerit. Nam in magna antiquitatis caligine vel Linceus cæcutiret; de Sulpitio certum eſt eum fuiſſe Equeſtris Ordinis) ad ampliſſimam demum Senatoriam dignitatem, Conſulatus, aliorumque beneficio evehi; ergo ſimul eſſe poterant

I. *Senatores*	*Jure Magiſtratus, & lectione Cenſoris.*
II. *Equites*	*Cenſu, Cenſorumque beneficio.*
III. *Plebeji*	*Quia non duxerunt originem a Patribus.*

C. Julius Cæſar. Q. Fabius Maximus, M. Antonius, L. Sergius, P. Servilius Priſcus, M. Cornelius Malviginenſis, P. Scipio, L. Sulla, aliique a patribus oriundi, non Equeſtrem modo, verum etiam Senatorium Ordinem adipiſci potuerunt, fuiſſent igitur

II. *Senatores*	*Magiſtratu, aliiſque.*
Equites	*Jure cenſus, Cenſorumque lectione.*
Patricii	*Progenie a Patribus.*

Cæterum ſi horum aliquis, vel pecuniarum caritate, vel ignominia aliqua, vel alia quavis cauſſa, aut non lectus in Senatum, aut lectus quidem, in cenſu tamen præteritus a Cenſoribus fuiſſet; quamvis eſſet Patricius a Senatorio tamen, Equeſtrique Ordine exulabat. Ergo erat

III. *Patricius*	*Ortu.*
De Plebe	*Rei familiaris inopia.*

Digitized by Google

Quod ſi & patrimonio, & gratia locupletior apud Cenſores fuiſſet, dubio procul meruiſſet equum publicum; igitur fuiſſet

IV. *Patricius*	*Origine a Patribus.*
Eques	*Cenſu, Cenſorumque lectione.*

Jam vero S. Sulpitius, M. Emilius, C. Antonius, C. Junius, P. Valerius Poplicola, C. Claudius Regillenſis, e Patriciis orti, ſi Equeſtri Ordine præterito, neglectoque in Senatum ſtatim ſeſe inſinuaſſent fuiſſent procul dubio

V. *Patricii*	*Progenie*
Senatores	*Cenſu, Magiſtratu, lectione.*

At Brutus, Metellus, Rufus, Livius Decula, cæterique Plebeji, ſi Conſulatus, aliorumque gratia in Senatum irrepſiſſent, certe fuiſſent, ut revera eorum plerique fuerunt

VI. *Plebeji*	*Quia non e patribus Oriundi*
Senatores	*Magiſtratu.*

Iidem, ſi tenuiori fuiſſent cenſu, hoc eſt octingentorum millium H. S. ſummam, eorum patrimonium non explevisſet; ad quadrigenta tamen millia perveniſſet, equo publico donabantur. Ergo

VII. *Plebeji, &*	*Eadem de cauſa*
Equites	*Cenſu, & lectione Cenſorum.*

Quod ſi nec Equeſtrem quidem Ordinem cenſus tenuitate adepti eſſent, jacebant procul dubio in Plebe. Ergo erant

VIII. *Plebeji*	*Quia a PP. non orti.*
De Plebe	*Rei familiaris inopia.*

VI. Hujuſmodi Civium Romanorum conſtitutio, atque diſcrimen, ſi Joanni Bertrando nota fuiſſet, non equidem lib. altero de antiquis Juriſconſultis de Servio Sulpitio loquens, Nicolaum Gruchium, cæteroſque erroris arguiſſet, qui, ut ſupra indicavimus, Patricios inter Equites, Peditesſque, & in Plebem fuiſſe cenſitos prodiderunt. Neque admiratus fuiſſet a Pomponio Juriſconſulto

ſulto Servium Sulpitium *Patricium* appellatum, quamvis idem eſſet Ordinis Equeſtris. Ex eo ſiquidem allato diſcrimine facile animadvertiſſet, Servium Sulpitium genere Patricium eſſe, Ordine tamen equum publicum meruiſſe. Placet autem ejuſdem Scriptoris opinio, qua Gruchii aſsertum, licet non ita felici conatu, reprehendit, exemplumque a Gruchio ex Livio petitum *lib.* 3. retorquet; nimirum quum Livius Tarquinium Patriciæ gentis virum propter paupertatem pedibus ſtipendia feciſse narret, illud quoque diſcrimen Civium Romanorum eo caſu interceſſiſse, ut ſcilicet alii dicerentur, Patricii, alii Patriciæ gentis, qui ex notis cenſoriis minorem ordinem meruerint. Addit proinde adverſus Gruchium: *Tarquinium enim Livius Patriciæ gentis eſſe dicit, ſed non Patricium, rationem autem tacite videtur afferre, quia ſtipendia pedibus propter paupertatem fecerat, atque ita in Plebem tranſiverat; Aliud enim eſt, eſſe Patricium, aliud Patriciæ gentis*. At vero facile adducor, ut credam, Joannem Bertrandum eleganter explicare voluiſse Virum Patricium cenſus inopia inter Pedites, & Plebem cenſitum non Patricium eo in Ordine eſse, ſed Patriciæ gentis; quod nihilominus eodem modo ſignificatur, illum origine eſse Patricium, ut ſupra demonſtravimus; minime autem probat Patricios inter Pedites juſsu cenſorio non fuiſse enumeratos: quod ipſemet paullo poſt ultro fatetur, quum ſcribit: *Stipendia autem pedibus facere, non ſolum erat Plebejum, ſed Patriciis etiam, & nobilioribus Viris militiæ fungi munere inter Pedites, ignominiæ nota quædam erat, & pro pœna dabatur, ut apparet ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 7.*

VII. Quamvis autem juſſu cenſorio, ut hactenus vidimus, ad Plebem devenirent Patricii; illud nihilominus eſt advertendum, illos non *Plebejos*, ſed *de Plebe* fuiſſe dictos, quod nimirum in eo eſſent Ordine, firmo apud ſe Patricii generis ſplendore remanente. Quando vero ſe ipſi

ad

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ad Plebem transferebant, quod *exire a Patriciis* Cicero pro domo ſua dixit, tunc Plebeji dicebantur; quamvis Patriciæ eſſent gentis, cujus genus tunc cenſebatur amiſſum. Permultas autem familias Patricias in Plebejas tranſiiſſe, paſſim Auctores teſtantur. Suetonius *in Auguſto cap.2. num.1.* de Gente Octavia verba faciens, ſcribit: *Ea gens a Tarquinio Priſco inter Romanas allecta, mox a Servio Tullio in Patricias traducta, procedente tempore ad Plebem ſe contulit, ac rurſus magno intervallo per D. Julium in Patriciatum rediit.* Serviliam gentem Patriciam, deinde progreſſu temporis Plebejam factam docet idem Joannes Bertrandus *de antiquis Juriſconſul. l.2.* de Servio Sulpitio differens. Id autem factum *voluntate*, vel *adoptione*, idem teſtatur Bertrandus. Voluntate ſcilicet Patriciorum jura repudiando, vel ſe in diverſam familiam cooptando: Quare Samuel Pitiſcus *in Lexico Romanar. antiquit. verbo Patricius. Nonnulli*, inquit, *poſtquam Patricii facti fuerint eo jure non contenti ad Plebem ſe contulerunt.* Adoptione vero, cum Patricius a plebejo, vel contra plebejus a Patricio adoptaretur: Neceſſe enim erat eum ſequi conditionem adoptantis. Ita M. Brutus plebejus a Quinto Scipione Patricio adoptatus, Q. Scipio Brutus inde dictus; P. Scipio vero Patricius a Q. Metello plebejo adoptatus, & Q. Metellus Scipio ob id nuncupatus, Patriciam Brutorum, & plebejam Scipionum familiam reddiderunt, ut refert Onuphrius Panvinus in libro *de nominibus Romanorum tom. 2. pag. 218. theſauri Greviani.*

VIII. At uſus frequens, qui in Romana Republica vigebat promiſcue, faciendæ adoptionis inter Plebejos, & Patricios, peculiari deinde lege de adoptionibus lata coercitus fuit; conſtitutumque eſt, ut illæ lege curiata fierent, tantumque plebejo Patricium, non autem Patricio plebejum adoptare liceret. Quod & notat Paulus Manutius *de legib. cap.14.* Adoptione porro Patricii plerumque ad

Digitized by Google

ad plebem tranſibant, ut fieri Tribuni plebis poſſent, qui inter plebejos præſtantiſſimus erat, maximæque auctoritatis Magiſtratus; quem Patricius nunquam adipiſci poterat, niſi plebejo cenſeretur Ordine. Hinc Cicero de petitione Conſulatus: *Si Patricius*, inquit, *Tribunus plebis fuerit contra leges ſacratas eſſet*. Ut Clodius itaque Vir patricius hunc Magiſtratum ſuſciperet e Patriciis exiit, & ad plebem migravit, de cujus adoptione Cicero in oratione pro Domo ſua ita loquitur: *Quæ major calumnia eſt, quam venire imberbem adoleſcentulum bene valentem, ac meritum dicere filium, Senatorem populi Romani velle adoptare; id autem ſcire, & videre omnes, non ut ille filius, ſed ut e Patriciis exeat, ut Tribunus plebis fieri poſſit, idcirco adoptari?* Sic Livius *libro* 4. Lucium Minucium, refert, tranſiiſſe a Patriciis ad plebem, undecimumque Tribunum plebis cooptatum. Ut autem rite, recteque fieret adoptio, Pontificibus arbitris coram populo, peragebatur, quemadmodum Cicero in deſignata oratione pro Domo ſua ad Pontifices teſtatur; idemque prodit, & Aulus Gellius *lib.* 5. *cap.* 19. Habebantur enim comitia, arbitrive Pontifices, præſente populo, de adoptionis cauſſa cognoſcebant. Unde apud ipſos, qui adoptare volebant, ſacramento interpoſito profiteri cogebantur, nullam calumniam, nullam fraudem, nullumque dolum malum adhiberi: quo facto interrogabatur, an vellet eum, quem eſſet adoptaturus, juſtum ſibi eſſe filium. Qui autem adoptabatur, an auctor fieret, hoc eſt, an id fieri pateretur. Deinde ſolemnibus hiſce verbis de arrogatione populus interrogabatur: *Velitis, jubeatis Quirites, uti Lucius Valerius L. Titio tam jure lege filius ſibi fiat, quam ſi ex eo Patre, Matreque familias ejus natus eſſet, utique ei vita, neciſque in eum poteſtas fiet, uti pariendo filio eſt: Hæc ita ut dixi, ita vos Quirites rogo*: Eam formulam refert Jacobus Rævardus de *auctoritate prudentum cap.* 6. eamque per legem regiam deſiiſſe paullo inferius affirmat; cum per reſcri-

Digitized by Google

reſcriptum Principis abſque præſentia populi adoptiones, ſeu arrogationes fieri cœpiſſent.

IX. Hujuſmodi adoptionum ratione factum eſt, ut multæ apud Hiſtoricos occurant ejuſdem nominis familiæ, aliæ Patriciæ, plebejæ aliæ: quod nimirum ex his aliquot ad plebem fuerint adoptione traducti; alii in Patriciatu remanſerint: quemadmodum inter alias ejus rei cauſſas refert Onuphrius Panvinus de *nomin. Romanor. pag.* 218. *apud Grævium.* Contra vero nonnullæ plebejæ familiæ aliquando nominis ſimilitudinem cum Patriciis oſtentabant, quo ſplendor Patriciæ originis ſibi eſſe videretur. Eas proinde Cicero in Bruto *c. 62. falſa genera vocat, & ad plebem tranſitiones*: Hinc Stanislaus Santinellus *in ſua de Veterum Romanorum nobilitate, diſſertatione cap.* 11. animadvertit: *Familiæ origine plebejæ modo nominis ſaltem ſimilitudine vulgo hoc poſſent probare inter plebejas a Patriciis tranſiiſſe, pleræque gloriabantur, non aliam ſane ob cauſſam quam, quod illi ſplendidior origo ſplendidiorque Patriciorum nobilitas videretur*: Porro autem familiam M.Tullii Longi, viri Patricii qui anno poſt Reges exactos decimo Conſul cum Servio Sulpitio fuit, etſi cum M.Tullii Ciceronis familia quæ plebeja erat, nominis ſimilitudinem præſeferret, fuiſſe tamen longe diverſam notat Sigonius de *antiq. jure Civi. Roman. lib.* 1. *cap.* 7.. Id potiſſimum contigiſſe cum eodem ſcriptore facile arbitror, quando quis beneficio alicujus viri Patricii Civitate donabatur, cujus nomen, non vero gentem aſſequebatur; in plebe enim ſerius jura ſtatim cum Civitate adpiſcebatur: vel, ut Pitiſcus verbo *familia* opinatur; a conceſſa ſervis ſuis libertate. Liberti enim una cum libertate gentilitium quoque Domini ſui nomen aſſequebantur.

X. E re autem puto hic nonnullas ejus generis indicare familias, quo res hiſtoricæ, quæ ad Patricios pertinent, clariores fiant. Video ſiquidem multos hærere, multos etiam hallucinari turpiter, & errare. Ex illo ordine igi-

igitur præter alias memorantur Claudia Papyria, Cornelia, Octavia. De Claudia enim inter ceteros Suetonius *in Tiberio* ſcripſit; de Papyria Cicero *in epiſtola ad Lætum*; de Cornelia. Idem *in 2. de legibus* Cornelios Patricios ita nominat, ut aliquot plebejos quoque fuiſſe ſignificet. De Octavia ſcribit *in Auguſto* Suetonius. Antonia familia bina erat, quarum altera Patricia, altera Plebeja. Ex illa enim multi memorantur Decemviri, ut Titus Antonius ſcribendis legibus Decemvir renunciatus anno Urbis conditæ CCCIII., alter Q. Antonius hujus, uti creditur, filius, Tribunus Militum anno CCCXXXI. florente Republica. Princeps ejus familiæ fuit M. Antonius; pluresque ejuſdem familiæ Viros præſtantiſſimos memorant Auguſtinus *de familiis Romanor. in Antonia*. Streinnius *de gente Romana in Antonia*, Panvinus *de Nominib. Romanor.* Eidem accenſetur Ordini familia Aquilia patricia, ex qua M. Aquilium ſacris faciundis Tarquinium Superbum ob libros Sybillinos evulgatos, Decemvirum præpoſuiſſe ſcribit Dionyſius *lib.*4. Primus Conſul L. Aquilius Tuſcus anno CCVI. ovans de Hernicis in Urbem rediit: Poſt centum uno minus anno L. Aquilius Corvus Tribunus Militum fuit Conſulari poteſtate, una cum aliis quinque Viris patriciis. In ea exſtiterunt, & plerique plebeji, ut notant de Romanor. agentes familiis in Aquilia Auguſtinus, & Urſinus. Familiam item Attiliam duplicem fuiſſe, Patriciorum, qui Longi poſtea ſunt appellati, & Plebejorum, qui Reguli, Serrani, Catilini, & Balbi, iidem Auctores ſcribunt: quibus adhæret Glandorpius *in Onomaſtico Romano verb. Roma*. Ex familia item Caſſia alios Patricios, alios Plebejos recenſent; E familia quoque Lucretia Tarquiniis Regibus arcta propinquitate conjuncta, Patricii cognomento Tricipitini fuerunt, qui exactis Regibus Septumviratum, Conſulatum, Tribunatum Conſulari poteſtate geſſerunt. In ea exſtiterunt, & plerique Plebeji, ſed abſque agnomine; ut citati Auguſtinus, & Streinnius te-

D ſtan-

ſtantur in libris *de familiis Romanor. in Lucretia*. Tandem ne longior ſim, ceteras ejuſdem nominis Patricias, Plebejaſque familias apud recitatos reperies Auctores, ex quibus longam ſeriem Samuel Pitiſcus texuit *in Lexico Romanarum antiquitatum ad verba Gens, & Familia*.

XI. Prætereundum tamen minime eſt præter illuſtres ſuperius recenſitos ordines, in quorum aliquo juxta cenſus quantitatem promiſcue cenſebantur Plebeji, atque Patricii, alium quoque viguiſſe Ordinem ex Patriciis perinde, ac Plebejis conſtantem, quem *Optimatum* vocabant. Quæ veluti altera Civium Romanorum diviſio, a factionum ſtudiis, variiſque hominum moribus, & voluntate, duxit originem, ut cenſet Panvinus *de Civit. Romana*. Civiles enim diſſentiones quamquam ſemper, auctore Cicerone, cujus verba paullo poſt recitabimus, in Republica fuerint, fuiſſe tamen maximas poſt Appii Cæci cenſuram, hoc eſt, poſt annum Urbis conditæ CCCCXLI. prodit Sigonius *de antiq. jure Civi. Roman. lib. altero cap.* 21. ubi ex Livio refert: *Ex allectione Libertinorum in Senatores ab Appio Cæco factas, nec ab ullo ratam habita, factionem exortam*: Inde, qui unice Reipublicæ ſtudebunt commodis, & incremento, cujuſvis generis, aut Ordinis eſſent *Optimates* ſunt appellati; ſive Plebeji, ſive Senatores, ſive Equites eſſent; ut docet allatus Panvinus. Quamobrem Sigonius deſignato loco ſcribit: *Hi vero* (Optimates) *multi, ſed maxime nobiles homines fuerunt; Nobiles dico, tam Plebejos, quam Patricios, quorum majores Magiſtratus ampliſſimos adminiſtraſſent, & ad eoſdem poſteris ſuis faciliorem aditum communiſſent*: Qui autem Optimates fuerint adeo aperte Cicero docet *in Sextiana*, ut ex eorum deſcriptione, qui de Plebe, ſive populares erant non difficile ſit intelligere. Erit autem, ut opinor, ab argumento non alienum, pulcherrimas voces, quibus in Optimatibus, & popularibus non tam ſubtiliter diſtinguendis, quam acute circumſcribendis eſt uſus, in medium proferre,

ac

ac diligenter expendere: *Duo*, inquit, *genera in hac Civitate ſemper fuerunt, eorum, qui verſari in Republica, atque in ea ſe excellentes gerere ſtuduerunt, quibus ex generibus alteri populares, alteri Optimates, & haberi, & eſſe voluerunt. Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda eſſe volebant, populares. Qui autem ita gerebant, ut ſua conſilio optimo cuique probarentur, Optimates habebantur.*

De Patriciorum Nobilitate, atque Præſtantia.

CAPUT III.

SYNOPSIS.

I. *Patricii cujuſque Ordinis, cenſuſve eſſent, erant nobiliſſimi: Nobilitas pro Patriciis deſignandis uſurpata.* II. *Sigonii aſſerentis Patricios omnium primos Nobiles dictos, quoniam ipſi omnium primi jus imaginum habuerint, opinio rejecta.* III. *Jus imaginum plebejis quoque commune, quid eſſet?* IV. *Uſus imaginum, & quando inducebatur.* V. *Patricii nobiles, etiamſi nullam haberent imaginem.* VI. *Streinnius, affirmans Patricios, qui nullis Viris Magnis floruerint inter Plebejos cenſitos, confutatus. Bodinus, Panvinus, & Sigonius notati. Cicero explicatus.* VII. *Patricii ſoli gentem habebant.* VIII. *Gentiles qui eſſent? Caſſaneus aſſerens eos dictos, qui imagines generis ſui proferre poterant rejectus.* IX. *Centumvirorum de jure gentilitatis judicium inter duos Patricios. Jura gentilitatis quæ?* X. *Juriſconſultorum de Gentilibus interpetratio.*

I. FEcimus ſupra notæ cenſoriæ mentionem, qua Patricii modo in uno, modo in altero cenſebantur ordine: Si quis autem ipſis præſtantiæ, vel nobilitatis ali-

quod ob id imminutum exiſtimat, is quidem vehementer errat. Patricii enim genere erant nobiliſſimi, cujuſvis cenſus, & ordinis eſſent, ut recte animadvertit Nicolaus Gruchius *de Comiti. Romanor. lib.*1. *cap.*4. propterea quod ex inſtituto Romuli Patricios tantum Romani, *Nobiles* vocaſſent, ut auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſ. *lib.*2., cui adhærent Plutarchus & Andreas Tiraquellus *de Nobilitat. cap.*2. *num.* 56. Hinc Jacobus Rævardus *lib.* 3. *conjectan. cap.*7. *Per Patricios*, inquit, *illi nobiles deſignabantur ſoli, qui Plebeji non erant, ad eorum, quos plebejos dicebant, differentiam, ſic appellati*: Stanislaus vero Santinellus *in diſſertat. de Veterum Romanor. nobilitate cap.* 11. *Primum*, ait, *hoc certum puto, antequam plebejis via eſſet ad nobilitatem, nobilitatem ipſam ita fuiſſe Patriciorum, ut nobilis non aliunde aliquis eſſet, niſi qui Patricius; adeoque Patricium neminem fuiſſe, qui ſimul non eſſet, & nobilis*: Quamobrem apud Livium, monente Sigonio *de antiq. jure Civi. Roman. lib. altero cap.* 20. ſæpe numero nobilitas pro Patriciorum factione uſurpatur: Sic enim *lib.*6. quum certamen eſſet de altero Conſule ex Plebe creando, idem Hiſtoricus ait: *Comitia Conſulum adverſa nobilitate habita*: & paullo poſt: *Conceſſumque ab nobilitate plebi de Conſule plebejo, a plebe nobilitati de Prætore uno, qui jus in Urbe diceret ex Patribus creando*: *lib.* autem 7. *Non patientibus Tribunis, quod pro Conſule uno plebejo, tres patricios Magiſtratus curulibus ſellis prætextatos tanquam Conſules ſedentes nobilitas ſibi ſumſiſſet*: Et *lib.*11. *Occupant Tribuni plebis templum, poſtero die, Conſules, nobilitaſque ad impediendam legem in concione conſiſtunt*.

II. Omnium primos Patricios *Nobiles* dictos fuiſſe, ex quo ipſis omnium primis extiterit jus imaginum, ceterique honores, quibus nobilitas comparabatur, putat Sigonius *de nominib. Romanor. cap.* 6., & *de antiq. jure Civi. Roman. lib.*2. *cap.* 20. ſcribens: *Has autem Imagines primi*

primi Patricii habuerunt, quod iis primum Curules Magiſtratus, ut Conſulatus Cenſura, Prætura, Ædilitaſque patuerunt, unde jus imaginum fuit; Itaque Patricii etiam primi Nobiles habiti ſunt: At rectius profecto ſenſiſſe viſus eſt Santinellus dicto *cap.* 11. ubi Patricios *nobiles* eatantum de cauſſa & hujuſmodi nomine deſignatos fuiſſe prodit, quia *Patricii* erant, nulla habita ratione ſanguinis, aut Magiſtratus. Id enim non obſcure comprobatur teſtimonio plebeji hominis apud Livium *lib.*4. qui adverſus Patricios in publica concione differens, pro communicandis inter ipſos, & Plebejos connubiis: *Hoc*, inquit, *ſi polluit nobilitatem iſtam veſtram, quam plerique oriundi ex Albanis, & Sabinis, non genere, non ſanguine, ſed per cooptationem in Patres habetis, aut ab Regibus lecti, aut poſt Reges exactos juſſu populi*. Ex eo fit etiam manifeſtius Sigonium erraſſe, quia ratione Curulium Magiſtratuum accedere non poterat Patriciis nobilitas, niſi poſt partam Reipublicæ libertatem, quo tempore Curules Magiſtratus invecti fuerunt. Profecto Titus Livius inter Regia inſignia Sellam item curulem recenſens, ea omnia ab Etruſcis ſumta ſibi perſuaſum affirmat. Poſt Reges autem exactos tum Sellam Curulem, tum Regia indumenta Conſules habuerunt, qui eodem hiſtorico teſte *lib.* 2. omnia inſignia primo tenuerunt. Multis itaque viris Patriciis nullo adhuc Curuli auctis Magiſtratu nobilitatem fuiſſe nemo ibit inficias. Sub initium partæ Reipublicæ libertatis Vitellii, & Aquilii *nobiliſſimi* juvenes a Livio *lib.*1.appellantur, nec tamen alia ejuſdem appellationis ſubeſt ratio; quam Patriciatus. Eamdem ob cauſſam C. Mutius *adoleſcens nobilis* ab eodem Livio vocatur *lib.*4. quod ſerio expendens recitatæ *diſſertat. cap.*11. Santinellus: *Addo etiam*, inquit, *quod hinc ſatis conſtare puto nobilitatem ſtatim eum conſequutum, qui e Plebejis inter Patricios lectus fuiſſet*: ac recenſendo tum Romuli, tum aliorum Regum in Patricios allectiones: *Licet enim*, ait, *qui Civitate*

tate Romana donabantur, Plebeji omnes eſſent, non pauci tamen fuere, qui inter Patricios a Regibus primum, deinde lege lata ad populum, tandem ab Imperatoribus traducti ſunt.

III. Illud potius dicendum eſt, ex jure imaginum non Patriciis nobilitatem acceſſiſſe, ſed eorum nobilitatem per jus imaginum Plebejis fuiſſe quodamodo communicatam; quod ex eo maxime patet, quod quum plebs alterum Conſulem ex ſuo ordine fieri contenderet, Patriciorum nobilitatem participare velle dicebat, ut legitur apud Livium *lib. 6. Ex illa die in plebem ventura omnia, quibus Patricii excellant, imperium, atque honorem, genus, nobilitatem, magna ipſis fruenda, majora poſteris relinquendo.* Ab eo tempore cum plebi aditus ad Curules Magiſtratus patuerit, nobilitas quoque a Patriciis communicata fuit, quod Sigonius recitato loco animadvertit: *Poſt autem*, inquit, *ubi plebs eoſdem Patricios Magiſtratus eſt nacta, tunc & ipſa imagines ponere, eaſque relinquere cum nobilitate poſteris ſuis cœpit.* Porro autem, qui eo tempore majorum ſuorum habebant imagines, ii *nobiles*: qui ſuas tantum, *noti*: qui vero nec majorum, nec ſuas, illi demum *ignobiles* appellati ſunt. Quapropter jus imaginum non alium fuiſſe arbitror, quam notam nobilitatis: Quum enim imago a Magiſtratu geſto proficiſcatur, ita ab imaginibus nobilitas illuſtrata eſt, ut ob id pro nobilitate ſint poſitæ. Erat autem imago, ut præclare Polybius *lib.6.* innuit, inſignis alicujus Viri ſimulacrum, cujus ſimilitudinem artificioſe effictam, coloribus, pigmentiſque adumbratam referebat, quam in inſigniori, & celebriori parte domus poſitam ligneo armario includebant veteres. Quum itaque aliquis in gente, & familia claruerit, eo mortuo ejuſdem ſimulacrum vultu, quam fieri poterat viventi perſimile, a poſteris excitabatur, ac ſervabatur in atrio, & loco, qui dicebatur *Tablinum*, ſeu *Tabulinum* ab imaginibus, quæ Tabulæ dicebantur pictæ, appoſito

ſito nomine, tituliſque, ac Magiſtratibus, quibus excelluerat. Eas imagines e cera fuiſſe aliquando præter Juvenalis teſtimonium, qui veteres cæras *Satyra* 8. pro imaginibus ſumſit, ex Plinio etiam exploratum eſt *lib.35.hiſtor.cap.2.* Ea itaque ſervandarum imaginum cauſſa fuit, ut nobilitas generis, ac nominis oſtentaretur. Atque is cæteris nobilior exiſtimabatur, qui plures haberet; Quare apud Salluſtium *de bello Jugurth.* homines veteris proſapiæ, multarum imaginum nominantur. Armario, quo ſervabantur, aliquis forte Servus præpoſitus, qui *Atrienſis* dictus, quot gradus alter ab altero diſtaret, aut ſpeciatim alicujus inter ceteros clariſſimi imaginem ad familiæ decus, elata virga oſtentabat. Id ſpectavit Juvenalis, quum in nobilitatem Majorum imaginibus partam *Satyra* 8. invectus ita loquitur.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt Pontice longo
Sanguine cenſeri pictoſque oſtendere vultus
Majorum? & ſtantes in curribus Æmilianos?
Et Curios jam dimidios, naſumque minorem
Corvini, & Gelbam auriculis, naſoque carentem?
Quid fructus generis tabula jactare capaci.
Fumoſos Equitum cum Dictatore Magiſtrum.

IV. Hujuſmodi imagines ligneo occluſæ armario in publicis ſolemnitatibus eleganti ſtudio ſpectabantur ornatæ, ut deſignato loco indicat Polybius. In privatis quoque familiæ gratulationibus armaria patuiſſe ſignificat Tullius *pro Sulla* illa ironia: *Domus erit, credo, exornata; aperientur Majorum imagines: ipſe ornatum, & veſtitum recuperabit*. Eo vero tempore ipſas prodire conſueviſſe ornatas lauro idem Cicero prodit. Sed præcipuus imaginum uſus vigebat in pompa funerum, in quibus illæ proferebantur; Plinius enim *dicto cap. altero*: *Expoſiti*, inquit, *cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera*. Apertis namque armariis depromtæ imagines, longiſque haſtis im-

impoſitæ ut fercula ſolent triumphorum, longo ordine; & pompa ante Cadaver ferebantur, ut docet *Lipſius elect. lib.* 1. *cap.* 29. Harum uſum præterea habuiſſe, qui Curules geſſere Magiſtratus, Ædilitatem nimirum, Præturam, Cenſuram, Conſulatum, Tribunatum Militum conſulari poteſtate, Decemviratum ferendarum legum, Dictaturam, Magiſterium Equitum, certius eſt, quam comprobari veterum Scriptorum teſtimonio debeat. Animadvertit autem in recitata diſſertat. Santinellus, non eorum tantum Magiſtratuum imagines fuiſſe ſervatas, ſed aliorum quoque, qui Curules non eſſent, imo, & Sacerdotiorum poſt latam legem Domitiam.

V. Ex hiſce imaginibus quamvis cuique nobilitas patuiſſet, ea tamen inter Plebejas familias, præferebatur ceteris, cujus majores iis functi Magiſtratibus eſſent. Non ita tamen Patriciis, qui longe præſtantiorem, quam ex imaginum jure quæſitam oſtentabant; ac vel a Romulo, vel a ſequentibus Regibus, aut Conſulibus, Patres, Majoreſque ciere poterant in Senatores, & Patres, & Patricios allectos. Præclaræ propterea Santinellus *recitatæ diſſertat. cap.* 11. ſcribit: *Poterant etiam Patricii imagines non habere; verum ad nobilitatem nonnunquam, vel ſemper illis ſuffecit ejus oſtentare imaginem, eumque generis ſui auctorem prodere, qui inter Patres virtute ſua, vel a Romulo, vel a Tarquinio, vel ab alio quopiam, qui Patrum numerum auxit, allectus fuit*: ſic Salluſtius *de bello Jugurth.*, Sullæ familiam quamvis Majorum ignavia pene extinctam, *Patriciam* nihilominus ac *Nobilem* vocat; *Sulla*, inquit, *gentis Patriciæ, nobilis fuit familia, prope jam extincta Majorum ignavia*: idem teſtatur Vellejus *lib.* 2. *Hic Sulla natus familia nobili, Sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos erat Duces, cum familiæ ejus claritudo intermiſſa eſſet, diu ita ſe geſſit, ut nullam petendi Conſulatus cogitationem habere videretur*. Cicero pro Muræna de Servii Sulpitii gente, quæ Patricia fuit,

Digitized by Google

fuit, quamvis nullis nota imaginibus: *Nihilominus*, *tua*, inquit, *nobilitas Servi Sulpiti*, *tametſi ſumma eſt*, *tamen hominibus litteratis*, *& hiſtoricis eſt notior*, *populo vero*, *& ſuffragatoribus obſcurior*. *Pater enim fuit Equeſtri loco*, *avus nulla illuſtri laude celebratus*; *itaque non ex ſermone hominum recenti*, *ſed ex annalium vetuſtate eruenda eſt memoria nobilitatis tuæ*. Scite propterea eodem loco Santinellus addit: *Quoties Patriciorum*, *plebejorumque mentio fit*, *nunquam in Patriciis nobilitatis diſcrimen notatur*; *ſecus vero in Plebejis*, *quod ſane probat Patricios omnes fuiſſe nobiles*, *plebejorum quoſdam tantummodo*. Quod ſane non obſcure indicat Livius *lib. 22. Tribus Patriciis petentibus P. Cornelio Merenda*, *L.Manlio Volſone*, *M. Æmilio Lepido*, *duobus nobilibus jam familiarum Plebejis C. Attilio*, *Serrano*, *& Q. Ælio Læto*: & Aſconius *in orat. cont. Comp.* narrat ſex competitores Ciceronem in Conſulatus petitione habuiſſe, duos Patricios, P. Sulpitium Galbam, L. Sergium Catilinam, quatuor plebejos, ex quibus duos nobiles C.Antonium, & L.Caſſium. Inde factum eſt, ut *Nobilis* vocabulum tametſi commune Patriciis, & Plebejis, qui Magiſtratus curules geſſiſſent, Calvino nihilominus teſte in Lexico Juris Civilis verbo *Nobiles*, Patricii nomen ipſa Plebejorum nobilitate honorabilius fuerit: *Factum*, inquit, *ut ſui generis nomen ſibi attribuerent*. Id ægreferebant Plebeji nobiles, quod præ ipſis pluris ſuam nobilitatem facerent. Quod ex Cicerone pariter conſtat *in orat. pro Sulla* ubi Torquatum ita alloquitur: *Sed tamen a te magnis cauſſis noſtræ neceſſitudinis monendum etiam*, *atque etiam puto*: *non poſſunt omnes eſſe Patricii*: *Si verum quæris*, *ne curant quidem*, *nec ſe æquales tui propter iſtam cauſſam abs te anteiri putant*. Qua in re præcipuum argumentum aperit Santinellus, quod nempe ipſi quoque Plebeji nobiles inter Patricios cooptati fuerunt, qui propterea ſplendidiorem in Patriciis eſſe nobilitatem noverunt.

VI. Errat autem Streinnius *de gent. & famil. Rom.*

 putans,

Digitized by Google

putans, Patricias familias, ſi nullis diu floruiſſent Viris, qui curulibus functi eſſent Magiſtratibus, fuiſſe plebejis accenſitas; cujus non admodum diverſam ſententiam tuetur Bodinus de Repub. *lib.* 2. *cap.* 8. cenſens, non fuiſſe ullam Patriciis nobilitatem, niſi jus habuerint imaginum. Illi enim teſtimonium paullo ante a nobis allatum de Sullarum familia Santinellus objiciens ſcribit: *Non ideo tamen certum puto, quod Streinnius affirmat, Patricias familias, poſtquam diu nullis magnis viris floruiſſent, plebejis accenſitas fuiſſe. Hoc enim, quod unus ille, ut puto, aſſeruit, falſum declarat locus Salluſtii citatus, qui Sullarum familiam, quamvis prope extinctam Majorum ignavia, tamen adhuc Patriciam dicit, neque nobilitatem, ut obſcuraretur, amiſiſſe putabatur, cum eamdem familiam Sullarum nobilem, & idem Salluſtius & Paterculus vocant locis citatis*: Sed nec probatur opinio Onuphrii Panvini, qui *de nominib. Romanor. cap.* 3. affirmavit, Patricios alios fuiſſe *nobiles*, alios *novos*, qui ſcilicet nullas referre ſuorum Majorum imagines poſſent, fretus teſtimonio Ciceronis, qui Scaurum virum Patricium Senatus Principem, *hominem novum* nihilominus vocat, quod aliquot antea ætatibus familiæ ſuæ fortuna jacuiſſet: ex eo Sigonius quoque *lib. altero emendationum*, arbitratus eſt: aliquos Patricios, qui nullas Majorum habebant imagines, non fuiſſe nobiles. At quamquam memorati Scriptores Patricios nonnullos novos homines appellatos prodent, non tamen alios, quam Scaurum Senatus Principem memorant: cui tantum abeſt, ut *novus* eſſet hominis ignobilis nota, qua tales reputabantur, qui nullas Majorum habebant imagines, ut idem a Tullio in oratione pro Muræna *nobiliſſimus* appelletur; opponaturque Q. Pompejo homini vere novo: *Nec mihi unquam*, inquit, *minus in Q. Pompejo novo homine, & fortiſſimo viro virtutis eſſe viſum eſt, quam in homine nobiliſſimo M. Æmilio*. Porro quum ipſum deinde novum hominem appellet in oratione pro Scauro, illique ad honores

nores parandos præſidium fortunæ defuiſſe teſtetur, quod Aſconio etiam dubitationem injecit in eadem oratione; non intelligendus eſt, ut is ob intermortuam familiæ gloriam, nobilis minime eſſet, ſed novus ob non geſtos a ſuis Majoribus Magiſtratus: Proinde ſibi ad parandos honores, æque, ac novis hominibus fuerat elaborandum: Quo ſenſu Ciceronem in oratione pro Muræna etiam de Servio Sulpicio viro antiquæ, Patriciæque nobilitatis loquutum fuiſſe dicendum eſt, ut cenſet etiam *recitata diſſertat.cap.* 11. Santinellus, ſcribens: *Utrique enim Scauro, & Servio Sulpicio, quam nobili ob intermortuam familiæ gloriam æque ac novis laborandum fuit ad parandos honores, quæ una eſt ratio, per quam Patricii aliquando novi videri potuerint*. Cæterum prætereundum non eſt, quod de eodem Viro Patricio ſcripſit Bodinus de Republica *lib.*3. *cap.*8. *Neque enim M. Æmilius Scaurus ab inopia generis claritatem ſibi putavit ereptam, quin etiam gentis Æmiliæ, ſplendor illum ab accuſatoribus gratioſiſſimus potentia vindicavit*.

VII. Ex eo quoque maxime patet nullum e Patriciis a jure imaginum duxiſſe nobilitatis inditium, quod ipſi ſoli erant ingenui, ſoli patres ciere poterant, ſolique gentem habebant, ut oſtendit Sigonius *de antiq.jure Civ. Rom. lib.*1. *cap.*7. Idipſum P.Decius vir plebejus apud Livium *lib.*10. cum adverſus Patres loqueretur, ita demum intulit: *Semper iſta audita ſunt eadem, penes vos auſpicia eſſe, vos ſolum gentem habere, vos ſolum juſtum imperium domi, militiæque; Æque adhuc proſperum plebejum, ac Patricium fuit, porroque erit*. Quamobrem dubium non eſt, quin, ſi gentem habere proprium, & ſolum, erat Patriciorum, ita ipſi ſoli eorum antiquam ingenuitatem oſtenderent, ut ſe ab origine profiterentur ingenui: quam laudem nemini ex Plebejis, quamvis nobilibus, communicare voluerunt. Id ſedulo expendens *in recitatæ diſſertationis cap.*6. Santinellus ſcriptum reliquit: *Attamen credi adhuc poteſt,*

poteſt, quamvis gens dicat ſolum ingenuitatem, multum hinc acceſſiſſe ratos nobilitati ſuæ Patricios, ut hoc nomine ſe ab origine ingenuos profiterentur; hancque propterea laudem & quod ex illa jus, cum ceteris nobilibus nunquam communicaſſe, quorum ingenuitatem, ut ut antiquam ab origine non fuiſſe, videri voluerint.

VIII. *Gentiles* Scævola apud Tullium *topic. c.* 29. ita definit: *Gentiles ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt, qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum nemo ſervitutem ſervivit, neque capite diminutus eſt.* Ex qua definitione Alciatus *in parergis juris lib.* 1. *cap.* 12. affirmat jus gentilitatis ſolis Patriciis competiiſſe, ſed fuiſſe tum quoque ad plebem perductum. Sed Matthæus Weſſembecius *Imperii Rom. lib.* 3. *de jure Civit. Romanæ nu.* 1. *cap.* 1. Scite docet Gentiles primum proprie dictos fuiſſe Patricios *Inter ſe, qui eodem ex genere prognati eſſent. Unde etiam gentilitia ſacra, & gentilitia ſepulchra.* Interpers Ciceronis Boetius *in topic.* gentilitatem non aliunde dici arbitratur, quam ab ingenuorum antiquitate. Alciatus *in commentar. ad titu. ff. de Verbor. ſignificatione* eos minime refellit, qui clarioris familiæ agnatos, Gentiles appellant. Antiquam propterea Patriciis ingenuitatem oſtentantes, quoniam ipſos tantum gentem habuiſſe conſtat, opus non habebant, ut ſe jure imaginum deſignarent nobiles, quo contra plebeji indigebant, ut nobilitatem acquirerent. Hinc liquido patet, graviter erraſſe Caſſaneum in *Catalog. gloriæ mundi part.* 8. *concluſ.* 3. cenſentem Gentilitatem iis fuiſſe, qui generis ſui imagines proferre poterant; Jus enim imaginum jam ſatis ex ſupradictis conſtare arbitror nullum adhuc fuiſſe in Republica, quando Patricios ad generis ſui nobilitatem deſignandam, gentem, atque ingenuitatem habuiſſe liquet, quo tempore nondum cœperant plebeji ſibi comparare nobilitatem per jus imaginum.

IX. De jure Gentilitatis, & Stirpe celebrem apud Cen-

Digitized by Google

Centumviros contentionem excitatam inter Claudios, & Marcellos Viros Patricios Cicero *lib.* 1. *de Oratore* commemorat, quum de eodem jure Centumviri ſententiam protulerint inter ipſos Patricios, qui de adeunda cujuſdam liberti hereditate contendebant: *Quid?* inquit, *qua de re inter Marcellos, & Claudios Patricios Centumviri judicarunt, cum Marcelli ab Liberti filio ſtirpe, Claudii Patricii ejuſdem hominis hereditatem, gente ad ſe rediiſſe dicerent? Nonne in ea cauſa fuit Oratoribus de toto ſtirpis, & gentilitatis jure dicendum?* In ea contentione Centumviros jura gentilitatis agnoviſſe docent quoque Sigonius *de antiq. jure Civ. Roman. lib.* 1. *cap.* 7. *& Caſſaneus catalog. gloriæ Mundi p.* 8. *concluſ.* 3. Sed nihilominus præteritam a Cicerone latam a Centumviris ſententiam merito dolet cum Balduino Santinellus: *Et vellem*, inquit, *equidem illæ orationes de utroque jure, vel etiam ipſum de hac cauſa centumvirale judicium, ſententiaque extaret, tum ſane rem ſatis dubiam dijudicare poſſemus*: Præterea jura gentilitatis fuiſſe jura hereditatum, & tutelarum Balduinus *in leg.* XII. *tabular. cap.* 30. & indicato loco Matthæus Weſſembecius exiſtimant. Unde Patricii qui gentiles erant, fiſco excluſo, cujuslibet cognominis ſui hereditatem gentilitio ad ſe trahebant jure, ut Alciatus citato loco opinatur. Quod ex duplici XII. tabularum lege colligi poſſe videtur; in quarum altera ſcriptum legitur: *Si Pater familias inteſtatus moritur, familia, pecuniaque ejus agnatorum Gentiliumque eſto*: In altera vero: *Si furioſus exiſtat, agnatorum, gentiliumque in eo pecuniamque ejus poteſtas eſto.*

X. Alia longe diverſa interpretatione habiti inde gentiles apud Juriſconſultos fuerunt: inter quos, ut notat Balduinus *in leg.* XII. *tabularum cap.* 30. Res adhuc tota valde obſcura eſt, atque implexa. Quidam enim putant gentiles eoſdem, atque agnatos fuiſſe, alii omnino diverſos. Alciatus *Juris Civilis parerg. cap.* 13. *Fuit, & alia*

Digitized by Google

alia gentilium in jure interpretatio , *nempe* , *ut quemlibet ſignificet Romano Imperio non ſubjectum* , *quia non jure civili* , *ſed jure gentium vivit* , *quo ſit* , *ut perinde ſit* , *cum gentilem dicas* , *ac ſi barbarum* . Id probat ex Theodoſiano Codice *leg.* 1. *de Nuptiis* , cujus auctoritate idem innuit Marcus Velſerus *in ſua de rerum auguſtar. hiſtoria lib.* 4. ubi circa Theodoſii ætatem cenſet , gentilium nomine Barbaros deſignari cœpiſſe . Poſtremis denique temporibus ex antiqua illa gentilitate profectum paſſim uſurpatur vocabulum *Gentilis hominis* , quod vulgo eſt *Gentiluomo* , ut notat Caſſaneus in catalogo *gloriæ Mundi part.* 8. *concluſ.* 3. Quo deſignari nobiles in Italia , Gallia , Hiſpania , & alibi certiſſimum eſt . Sic Budeus in ſuis *ad pandectas adnotationibus leg. final. ff. de origine juris* lingua vernacula *gentiles homines* pro nobilibus uſurpat , eique adhæret Tiraquellus *de nobilit. cap.* 2. *num.* 52. ; & paullo ante indicato loco Velſerus in rem ipſam hæc addit ; *Hinc nimirum fluxit* , *quod cum Barbari poſtmodum in devictis Provinciis meliori quam Romani* , *jure uterentur* (hoc autem probat quadam ex Ripuariis legibus) *gentilitatis nomen exiſtimationem induerit* , *paullatimque res eo prolapſa ſit* , *ut gentiles homines pro nobilibus dicerentur* , *quæ in Italia* , *Gallia* , *item Hiſpania* , *quodammodo ad hoc ævi tenet*: Tantæ autem exiſtimationis id proinde vocabulum eſt habitum, ut Caſſaneus pluris ſe facere pronunciaverit appellari *gentiles homines* , quam *nobiles* . Illud denique minime eſt prætereundum, quod ſicuti ab antiqua gentilitate gentilis hominis vocabulum , quod ad nobilitatem deſignandam hodieque uſurpatur , promanavit ; ita quoque ex antiquis imaginibus gentilitia ſtemmata derivaſſe , ac ſumta pro nobilitatis inſigniis auctor eſt idem Caſſaneus : *Imagines* , inquit , *erant inſignia gentilium* , *quæ hodie arma dicuntur* . De hujuſmodi inſigniis , & armis conſule eumdem in catalogo gloriæ mundi *p.* 1. Bartholum I.C. *in tractatu ejuſdem argumenti* , Pompejum Rocchium *de Inſigni-*

gnibus familiarum. Petrum Gritium Æſinum *in Caſtillione*, ſive *de Stemmatibus Nobilitatis*. Et Gaſparum Bombacicum in libro, cui titulus: *L'Araldo, overo dell'arme delle Famiglie*: a quibus multa diſcere licet: quæ rem ipſam, breviter a nobis pertractatam luculentius illuſtrent.

De Patriciorum Muneribus, atque ſervatis in iis ſuſcipiendis ritibus.

CAPUT IV.

SYNOPSIS.

I. *Patriciorum, & Plebejorum munera*. II. *Patricii quomodo a Regibus in Senatum advocarentur. Iis omnium primis dicendæ ſententiæ jus erat*. III. *Ad ipſos dumtaxat ſpectabant auſpicia*. IV. *Augures qui, & quot fuerint*. V. *Auſpicia quomodo, & ubi captabantur*. VI. *Ne Patriciis turbarentur auſpicia, inter ipſos, & plebejos vetita ſunt connubia; quæ deinde fuere promiſcua*. VII. *A Patriciis primum Tribunis plebis auſpicia conceſſa: & Quæ? Poſtea cuilibet plebejo Magiſtratum ſumenti*. VIII. *Patriciorum auſpicia* vera, & majora *appellata*. *Reliqua plebejorum* minora. IX. *Patriciorum auſpicia centuriatis comitiis captabantur. Centuriata Comitia Quæ?* X. *Quando ad Patricios auſpicia redibant*. XI. *Leges, quæ rogabantur in Tributis Comitiis Patricii ſervare non tenebantur uſque ad Legem Valeriam, & Horatiam*. XII. *Patriciorum funerum pompa*.

I. PAtriciorum patefacta origine, conditione, ac nobilitate præcipua, ad eorumdem munera illuſtranda progredimur. Romulus quum in ſua Republica a plebe Patricios diſcreviſſet, quid utriſque faciendum, curandumve eſſet, lege præſcripſit: quod Dionyſius *lib.2*. Poſtero-

ſterorum memoriæ ita commendat: *Ut Patricii ſacra curarent, Magiſtratus gererent, jus redderent, ſecum Rempublicam adminiſtrarent, res urbanas obirent*: Plebs vero his excluſa muneribus quæſtorias artes juſſa eſt exercere, agriculturæ nimirum, pecorique alendo operam dando, ut ejuſdem Scriptoris teſtimonio docent *Panvinus de Civit. Romana* de Patriciis Plebe, Senatu, & Populo verba faciens, *& Tiraquell. de nobilit. cap. 2. num. 5. & 6.* idemque jampridem tradidit *in Theſeo* Plutarchus. Legem ipſam Regio jure ſancitam, rogatamque a Romulo in curiatis Comitiis eumdem publicis deinde conſignaſſe tabulis in Capitolio fixis, ut cunctis palam fierent, atque paterent, tradit idem Dionyſius, referuntque *Manutius de Legibus cap.4.& Tiraquell. de Nobilitate* loco paullo ante recitato: ejus legis hæc verba ſunt: *Patres Sacra, Magiſtratuſque ſoli peragunto, ineuntoque: Plebeji agros colunto*. Quam quidem legem a ceteris deinde Regibus ſervatam fuiſſe ibidem tradit Manutius. Quare aliarum Urbium Conditorum exemplum Romulum ſequutum fuiſſe prodit Dionyſius, qui non aliter ab eo diſpoſitam Romanam Rempublicam fuiſſe cenſet, quam Theſeus Athenienſem diſpoſuerat, de quo ſcribit Plutarchus; primum in conſtituendo optimo Reipublicæ ſtatu Nobiles a ceteris ſejunxiſſe, illiſque feciſſe poteſtatem Magiſtratus ex ſuo Ordine creandi, adminiſtrandique leges; tum pia religioſaque interpretandi, atque definiendi.

II. Sed antequam de his omnibus ſingillatim agamus, atque illa illuſtremus, quæ Patriciorum propria, vel eorum quædam plebejis progreſſu temporis communicata fuerunt; de ſervatis per Patricios ritibus in publicis iis muneribus ſuſcipiendis, exercendiſque liceat nobis aliqua præfari. Multa enim fuere illorum jura prærogativa, quæ utpote majora, ac potiora nunquam plebs habuit. Et primo quidem illud eſt advertendum: Quando a Regibus in Senatum advocabantur Patricii, præco ad id inſtitutus quem-

quemque ſuo, ac paterno vocabat nomine. Plebejos vero Miniſtri quidam cornibus bubulis concinentes in concionem contrahebant, ut docet Martinus Magerius *de Advocatia armata cap.5. num.*208. & Panvinus *de Civit. Roman.* In Senatum porro, & concionem acciti more veteri pro loci antiquitate & ætate ſententiam dicebant: Sed præ cæteris omnium primi inſequuto tempore Patricii dicendæ primo loco ſententiæ jus habebant. Id colligi ex eo facile poteſt, quod ob vetuſtiſſimam, ac ſplendidiſſimam nobilitatem generis eum locum Anthemios, ſeu Anicios obtinuiſſe Claudianus ſignificat in panegyr. *de Probini, & Olibii Conſulatu*:

——— ——— ——— quamcumque requiris
Hac de Stirpe virum certum eſt de Conſule naſci;
Per faſces numerantur Avi, ſemperque renata
Nobilitate vigent, & prolem fata ſequuntur,
Continuum ſimilem ſervantia lege tenorem;
Nec quiſquam Procerum tentat, licet ære vetuſto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu,
Se jactare parem: ſed prima ſede relicta
Anthemiis, de jure licet certare ſecundo.

Quem locum expendens Martinus del Rio *pag.*412. arbitratur Aniciis propter generis nobilitatem illud a Senatu privilegium conceſſum, ut dicendæ primo loco ſententiæ jus haberent; ſed hujuſmodi privilegium, quod ex recitatis Claudiani carminibus arguit, Poeta non ſcripſit, ut propterea veriſimilius videatur illud jus fuiſſe Aniciæ genti tanquam antiquiori, ac præſtantiori e Patriciis: quod & notat Benedictus Haeſtenus *Prolegom.* 14. *ad vitam S. Benedicti Abbatis num.*2.

III. In ſuſcipiendis Reipublicæ Magiſtratibus Patricii ſoli habebant auſpicia, nec aliter, quam auſpicato creabantur, quod ex ipſius Romuli inſtituto eos habuiſſe ex P. Decii viri plebeji oratione conſtat apud Livium, *lib.*10., qui adverſus Patres in publica concione prefatus

F fuit:

Digitized by Google

fuit: *Semper iſta audita ſunt eadem, penes vos auſpicia eſſe, vos ſolum juſtum imperium domi, militiæque habere*. Idem quoque liquet ex oratione Claudii viri Patricii adverſus *Plebejos* habita apud Livium *lib.6.* ubi inquit: *Penes quos igitur ſunt auſpicia? nempe penes Patres, nam plebejus quidem Magiſtratus nullus auſpicato creatur; nobis autem adeo propria ſunt auſpicia, ut non ſolum, quos populus creat patricios Magiſtratus, aliter, quam auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato Interregem prodamus, ac privatim auſpicia habeamus, quæ iſti ne in Magiſtratibus quidem habent*. Hujuſmodi captandorum auſpiciorum morem lege præcipua Romulus inſtituit teſte Dionyſio *lib.2.* quando acceptis a Deo, ut putabatur, certis ſignis, advocataque concione, & indicatis auſpiciis, Rex omnium conſenſu renunciatus eſt, quæ in poſterum adeo religioſe ſervata fuerunt, ut nemo aut Regnum aſſumeret, aut Magiſtratum iniret, niſi Deus auſpiciis idem comprobaret. *Eſtque*, inquit Auctor, *hæc auſpicii lex apud Romanos longo tempore obſervata non ſolum ſub Regibus, verum etiam ſublata Monarchia in Conſulum, Imperatorum, ceterorumque Magiſtratuum legitimorum Comitiis*.

IV. Quum vero Romulus ſummus augur eſſet, ratus idcirco Magiſtratus omnes captatis auſpiciis eſſe creandos, principio ea de re augurum Collegium inſtituit, ex ſingulis Tribubus, quæ tum tres erant, Ramnenſium, ſcilicet, Tatienſium, & Lucerum: quod citato Romanarum antiquitatum *lib.2.* tradunt Dionyſius, & Panvinus *de Civit. Romana*, & paſſim alii. Augur ab avibus, gerendoque dictus eſt, quod per eum avium geſtus edicitur, ſive ab avium garritu. Unde, & augurium: Auſpicium vero ab aves ſpiciendo deductum eſt: nam, quod nos cum præpoſitione *aſpicio*, apud Veteres ſine præpoſitione *A*, *ſpicio* dicebatur, ut ſcite animadvertit eodem loco Panvinus, ubi de Augurum collegio verba facit. Hos Ci-

Cicero *lib. 2. de Legibus*: *Jovis Optimi Maximi* appellat *Interpretes*, *& lib. 3. Jovis Conſiliarios*, *atque Adminiſtros*. Enimvero quum Juppiter ſigna, & auſpicia mittero crederetur, ipſi ſua quadam diſciplina, quæ auguralibus libris continebatur, de iis judicabant, fauſta ne, an infauſta eſſent: quodque ipſorum decreviſſet Collegium, ut id ratum omnino haberetur, cautum erat; ut docet *Gruchius de Comit. Roman. lib. 1. cap. 4.* At quamvis maxima, diu, conſtanterque ex Romuli præſcripto auſpiciis, Auguribuſque veneratio habita fuerit; Sub Lucio Tarquinio Priſco nihilominus poſt Attii Navii miraculum iis certe, ac Sacerdotio Augurum tantus honor acceſſit, ut deinceps nihil domi, militiæque, niſi auſpicato, illiſque conſultis gereretur. Concilia populi, exercitus vocatio, ſumma rerum, ubi aves non admiſiſſent, dirimebantur; quemadmodum citatus notat Panvinus. Scriptor idem exiſtimat Servium Tullium Regem, quo tempore in quatuor Tribus Urbem diviſit, alterum Augurem Collegio adjunxiſſe, iiſque poſtea ſub Q. Apulejo Panſa, & M. Valerio Coſs. anno Urbis conditæ CDLIV. rogatione Ogulnia quinque e plebe additis, ad novem fuiſſe auctos: quod in Commentariis Faſtorum latius demonſtrat de Pontificibus, & Pontifice Max. verba faciens. Is numerus uſque ad Sullæ Felicis Dictaturam viguit. Quo tempore, ut ex Livio Florus in Epitome *lib.* LXXXIX. tradit, Sulla Augurum, Pontificumque ampliavit Collegium: adeout Augures quindecim eſſent, totidemque Pontifices. Tanta apud ipſos erat ſervandi arcana auguralis diſciplinæ religio, ut ne illa poſſet cognoſcere, qui in Collegium cooptatus non erat, ſemper Augures Sacerdotio potirentur, etſi maximorum criminum fuiſſent quandoque convicti, ut idem cenſet, ac refert Panvinus.

V. Augures propterea conſulebantur, quum Patricii Magiſtratum inirent. Magiſtratuum autem injuſſu fas non erat auſpicia captare, ut Ciceronis teſtimonio probat

Digitized by Google

Gruchius de Comit. Romanor. *lib.* 1. *cap.* 4. Solebant autem ad captandos rerum eventus, avium volatus inſpicere, ac ex eiſdem per cetera auguralis diſciplinæ ſigna Jovis voluntatem interpretari, quod erat præcipuum genus conſulendi Deos, eorumque divinare ſententiam. Auguralis diſciplinæ ſigna quatuor fere generibus fuiſſe concluſa, recitato loco exiſtimat Gruchius. Horum primum ex avibus: Alterum e Cælo; tertium ex terrenis quibuſdam animantibus. Quartum denique ex diris. Ex avibus tripliciter obſervabantur ſigna. Ex volatu, ex occentu, ex tripudio, quod ex Cicerone *lib.* 1. *&* 2. *de divinatione* colligi facile poteſt. Ait enim: *Eademque efficit in avibus divina mens, ut tum huc, tum illuc volent alites, tum in hac, tum in illa parte ſe occultent, tum a dextera, tum a ſiniſtra parte canant oſcines*. Tripudio accipiebatur augurium ex pullis gallinaceis, quos incluſos in cavea Pullarii aſſervabant. Quibus e cavea eductis paſtus objiciebatur; tum ex paſcendi ratione, ceteroque pullorum geſtu augurium captabant Pullarii. Obſervata deinde ad Magiſtratum, a quo captare auſpicia juſſi fuerant, referebant. Cetera auſpiciorum genera, ac ſigna, fauſta, an infauſta eſſent, quum Gruchius, & Panvinus indicatis locis latiſſime explicent, qui plura de his cupit eos conſulat. Modum auguria ſumendi, quam egregie ac diſerte Livius *lib.* 1. enarrat: *Accitus*, inquit, *Numa, ſicut Romulus, augurato in Urbe condenda Regnum adeptus eſt; & quoque Deos conſuli juſſit, inde ab augure, (cui deinde honoris gratia publicum id perpetuumque Sacerdotium fuit,) deductus in Arcem in lapide ad Meridiem verſus conſedit. Augur ad lævam ejus capite velato ſedem cæpit; dextra manu baculum ſine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt. Inde ubi proſpectu in Urbem, agrumque capto Deos precatus, Regiones ab Oriente ad occaſum determinavit; dexteras ad meridiem partes, lævaſque ad Septemtrionem eſſe juſſit. Signum contra, quod lon-*

Digitized by Google

longiſſime conſpectum oculi ferebant, animo finivit: tum lituo in lævam manum translato, dextera in capite Numæ impoſita precatus eſt ita: Juppiter Pater, ſi eſt fas hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, Regem Romæ eſſe, ut tua ſigna nobis certa, ac clara ſint, inter eos fines, quos feci. Tum peregit verbis auſpicia, quæ mitti vellet; quibus miſſis declaratus Rex Numa de templo deſcendit.

VI. Ut autem ad Patriciorum propria auſpicia redeamus; ea captandi adeo præcipuum Patriciorum jus erat, & in ſuſcipiendis Magiſtratibus Religio, ut ne quovis modo turbarentur, plebique promiſcua fierent, hæc lex in duas poſtremas relata tabulas conſtituta fuerit, teſte Dionyſio *lib.* 2.: *Ne Patriciis cum plebejis Romæ connubium eſſet*: Eamque ab Appio Claudio Decemviro adjecta fuit, ut in perpetuum Patres a plebe divelleret. Hinc Livius *lib.* 4. contentionem referens, publice ſuſceptam a C. Canulejo adverſus Patricios, ut lex de connubio promiſcuo ſanciretur: *Quas*, inquit, *quantaſque res C. Canulejum aggreſſum? Colluvionem gentium, perturbationem auſpiciorum publicorum, privatorumque afferre, ne quid ſinceri, ne quid incontaminati: ut diſcrimine omni ſublato, nec ſe quiſquam, nec ſuos noverit*: In ea contentione longa ſatis oratione, iniquam de connubiis legem abrogandam eſſe Canulejus ita contendit, ut demum plebs maxime indignaretur *ſe inviſam* Diis immortalibus agnoſcere; quum nimirum jura connubiorum diremta fuiſſent a Decemviris ne auſpicia, quæ ſibi ſolum Patriciorum ambitio propria fecerat, incerta prole turbarentur: *Interroganti*, inquit Livius, *Tribuno cur plebejum Conſulem fieri non oporteret? Ut fortaſſe vere, ſic parum utiliter in præſens certamen reſpondit, quod nemo plebejus auſpicia haberet, ideoque Decemviros connubium diremiſſe, ne incerta prole auſpicia turbarentur. Plebs ad id maxima indignatione exarſit, quod auſpicari tanquam inviſa Diis immortalibus negaretur poſſe*: Porro autem

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Digitized by Google

autem hæc, aliaque ſimilia adverſus Patricios loquutus Canulejus, non ante finem contentioni fecit, quam victi tandem Patricii conſenſiſſent, ut lex de connubio promiſcuo ferretur: rati contentionem de plebejis Conſulibus ſimul a ſeditioſo Tribuno promotam, totam, ipſum depoſiturum, aut poſt bellum dilaturum, contentamque interim connubio plebem, paratamque delectui fore. Lex itaque de connubiis quinto poſt anno, contraria rogatione abrogata eſt; Cujus victoria accenſi alii Tribuni ad certamen, pro ſua quiſque rogatione ſumma vi pugnare cœperunt: tum creſcente fama belli impedire Patriciorum Magiſtratuum delectum, ac promiſcue ex Patriciis, & Plebejis Tribunos Militum conſulari poteſtate, alioſque Magiſtratus creari; de quibus infra ſermonem habebimus.

VII. At ubi primum Plebejis licuit cum Patriciis inire connubia, ſimul ad Patricios capeſſendos honores aditus patuit, & auſpicia quoque habere cœperunt. Hæc a Patriciis conceſſa primum Tribunis plebis fuerunt, ut ipſi nimirum Tribunatum, quamvis Magiſtratus non eſſet, ut docent Livius *libro* 3. & Plutarchus *in quæſtionibus*, auſpicato adipiſcerentur: eo tamen auſpiciorum genere, quæ e Cæli proſpectu caperentur, ut arbitrantur Zonaras *lib. annalium* 2. & Sigonius *de antiq. jure Civ. Roman. lib.* 1. *cap.* 20. Quod recitatus Zonaras factum exiſtimat M. Horatio, & P. Valerio Coſs. exactis Decemviris. Quod, & Gruchius *de Comitiis Romanor. lib. altero cap.* 4. affirmat. Sed perperam arguit, Tribunis plebis auſpicia fuiſſe, quod omnes Magiſtratus, auſpicium, judiciumque habebant, fretus teſtimonio Ciceronis, qui *lib.* 3. *de legibus*, legem ponit: *Omnes Magiſtratus auſpicium, judiciumque habento*. Quam de Patriciis dumtaxat Magiſtratibus arbitror eſſe intelligendam, nec ad Plebis Tribunatum extendendam: quum, ut ſupra demonſtravimus, Livius, & cum eo Plutarchus Magiſtratum eſſe negent. Utcumque vero plebis Tribunis auſpicia acceſſiſſe

Digitized by Google

ſe Gruchius cenſeat, certum eſt, ipſos jus obnunciandi habuiſſe, & reliquos plebis Magiſtratus, ea ſolum auſpicia, qui de Cælo ſigna caperent, quod idem Gruchius deſignato loco non diffitetur. *Concedendum eſt*, inquit, *non modo Tribunos plebis, ſed etiam reliquos Magiſtratus minores, auſpicia, ut de cælo ſervare poſſent habuiſſe*. Et egregie quidem Sigonius *lib.* 1. *cap.* 7. docet: *Ubi primum in partem patriciorum Magiſtratuum venit, ut Conſulatus, tum vero ad plebem ita translata auſpicia ſunt, ut & auſpicato crearentur, & ipſi auſpicarentur*. Cujus rei confirmandæ, gratia perſpicuo Livii loco ex *lib.* 7. utitur, quo teſtatur, primum ex plebe Conſulem Genucium creatum, licet diſſentientibus Patribus Magiſtratum ſumſiſſe.

VIII. Illud tamen inter Patriciorum, Plebejorumque Magiſtratus intercedebat diſcrimen, ut Plebeji auſpicia ſolum captarent ex obſervatione de cælo, non vero Augures, aut Pullarios adhibere poſſent, atque conſulere. Quæ *vera* dicebantur auſpicia. Unde, inquit Gruchius: *Itaque poſſumus uno modo cum Cicerone dicere omnes Magiſtratus auſpicia habuiſſe, alio modo, cum T. Livio negare plebejos Magiſtratus auſpicia habuiſſe, quia ſuis actionibus inſtituendis Augures, Pullarioſque non adhiberent, quæ erant vera auſpicia*. De re ipſa Sigonius *lib.* 1. *cap.* 20. *Id enim* ait *proprium erat Magiſtratuum Majorum, quos habebant Patricii*. Quamobrem illi Magiſtratus auſpicato creari dicebantur, qui vera habebant auſpicia, qualia re ipſa erant, quæ habebant Patricii. Propterea id etiam promanavit auſpiciorum diſcrimen, ut alia eſſent *majora*, quæ in majoribus Magiſtratibus, Cenſura nimirum, Prætura, & Conſulatu, captabantur; alia *minora*, quæ adhibebantur in reliquis. Unde auſpicia, Magiſtratus ipſos inter ſe diſtinxerunt, ac ſegregarunt, de quibus Sigonius loco paullo ante recitato ſic ſcribit: *Ut enim auſpicia alia majora, alia minora, ſic Magiſtratus partim majores, partim minores: majores, qui majora auſpicia habuerint, ut Con-*

Conſules, *Prætores*, *Cenſores*; *Minores*, *qui minora*, *ut reliqui*. Gruchius vero Patriciorum auſpicia ita deſignat. *Maxima ſunt Conſulum*, *Prætorum*; *reliquorum Magiſtratuum minora ſunt*. Quare majora auſpicia magis rata habebantur, quam minora; quod ex libris Meſſalæ, & Tuditani commentariis prodidit Gellius *lib.* 13. Animadvertit inſuper Gruchius, quod auſpicia majora, quemadmodum maximi in Republica momenti erant, ita magis juſta, ac legitima cenſebantur illa, quæ talibus auſpiciis, quam quæ minoribus auſpiciis gererentur.

IX. Porro majora hæc auſpicia pro Patriciis, Majoribuſque Magiſtratibus ſumendis inſtituta, centuriatis captabantur Comitiis; in quibus ſolum Patricios creari Magiſtratus mos erat; unde Gruchius recitato loco ſcribit: *Comitia centuriata habere*, *majorum tantum Magiſtratuum erat*; *quo fit*, *ut auſpicia majora Comitiis accommodata eſſent*; *ideoque Comitiis centuriatis fieri ſolebant*, *ſi quid maxime firmum*, *ac ſanctum eſſe Romani vellent*. In iis de ipſorum Magiſtratuum imperio leges ferebantur, ut ex Ciceronis oratione altera in Rullum conſtat: cujus locum Gruchius illuſtrat. Demum judicii cauſſa exercendi habebantur, quod Cicero de Divinat. II. 35. his innuit verbis: *Fulmen ſiniſtrum*, *auſpicium optimum habemus ad omnes res*, *præterquam ad Comitia*, *quod quidem inſtitutum Reipublicæ cauſſa eſt*, *ut Comitiorum*, *vel in judiciis populi*, *vel in jure legum*, *vel in creandis Magiſtratibus Principes Civitatis*, *eſſent interpretes*. Centuriata Comitia jamdiu a Servio Tullio Rege inſtituta fuerunt, in quibus populus univerſus per claſſium diviſus centurias ſuffragium ferebat, itaut centuriatim ſuffragia colligerentur, & quod plures centuriæ decreviſſent, id ratum haberetur. Ut fuſe docet eodem *de Comitiis Romanorum* libro allatus Gruchius, referuntque Panvinus *de Civit. Roman. & de Faſtis pag.* 13. itemque Manutius apud Grævium *tom.* 2. *p.* 2.

X. Il-

X. Illud tandem ſcire juvat, id jus perpetuum ſibi Patricios defendiſſe, ut cum nulli in Republica eſſent Patricii Magiſtratus, ad ipſos redirent auſpicia, quod ſequentibus verbis explicat Sigonius lib. 1. *de antiq. jur. Civium Rom. cap.* 20. *Nil aliud erat, niſi, ut Patricii ipſi coirent, atque auſpicato, qui comitia rogandis Conſulibus haberent, Interregem proderent*. Huc ſpectat, & Livius *lib.* 4. *Patricii, cum ſine curulibus Magiſtratibus Reſpublica eſſet, coiere, & Interregem creavere*. Et Cicero ad Brutum *epiſt.* 5. *Dum unus erit Patricius Magiſtratus, auſpicia ad Patres redire non poſſunt*. Et illud Pediani in Miloniana: *Cum menſe Januario nulli, neque Conſules, neque Prætores eſſent, & Pompejus, & T. Munatius Tribunus plebis referre ad Senatum, de Patriciis convocandis, qui Interregem proderent, non eſſent paſſi*. Quum itaque Cicero *lib.* 2. *de legibus*, & Livius *lib.* 6. auſpicia penes ſolos Patricios fuiſſe dicant, eos Gruchius *de Comitiis Romanor. lib. recitato cap.* 4. putat eſſe intelligendos, quando nullo in Republica Patricio exiſtente Magiſtratu ad Patricios auſpicia redibant. Ejus verba hic referre lubet, quo magis magiſque rem ipſam illuſtrent: *Ex eo opinor loco ſatis apparet, quod diximus, non aliter fuiſſe penes Patricios auſpicia, quam ſi nullus eſſet Patricius Magiſtratus, ut Interrex prodendus eſſet, vel quia exitu anni ſubrogati non eſſent novi Magiſtratus, vel quia a Senatu judicatum eſſet, renovanda eſſe auſpicia*. Hinc ex Livio quoque conſtat *lib.* 5. Conſulibus morbo implicitis renovata fuiſſe auſpicia per Interregem, quo tempore cum ex S.C. Conſules ſe Magiſtratu abdicaſſent, creatus fuit Interrex M. Furius Camillus.

XI. Satis hactenus de his ritibus dictum puto, quibus in ſuſcipiendis Magiſtratibus Patricios uſos liquet. Nunc breviter alia eorumdem jura prærogativa referemus, ne qua diſſertationi noſtræ pars deſit, ac diligentia. Inprimiſque nulla Patricii adſtringebantur lege, quæ lata

non eſſet in centuriatis comitiis, ut ſupra monuimus. Quæ enim tributis Comitiis, aliove modo rogabantur, Plebeji ſolum ſervare cogebantur, ut docet Manutius *de Legibus cap.5.* Tamen non diu Patricii gaviſi fuerunt hujuſmodi jure, quum enim plebs eamdem vim, atque conditionem utriſque legibus eſſe voluerit; lege Valeria Horatia Patricii quoque coacti fuerunt eas ſervare leges, quæ tributis latæ eſſent Comitiis; Par ſiquidem, æquumque erat, ut quemadmodum leges, a Patriciis centuriatis Comitiis rogatas populus univerſus ſervabat, ita latis tributis Comitiis, in quibus, quandoque ipſimet Patricii ſuffragia Plebejis præſtabant, & ipſi obſequerentur: *Idemque ſatum, non longe poſt*, inquit Manutius, *ſubire coacti fuerunt, ut plebiſcita, quæ magno temporis intervallo, ſolum Plebejos, quorum Magiſtratuum leges erant, ligabant, Patricios quoque, lege per Hortenſium Dictatorem lata, ligarent.* De ea Pomponius noſter Juriſconſultus *in leg.2.§.8.ff. de origin. jur.* ſic ait: *Deinde cum eſſent in Civitate lex* XII. *tabularum, & jus curule, & legis actiones, plebs a Patribus per diſcordiam ſeceſſit, ſibique jura conſtituit, quæ jura plebiſcita ſunt appellata. Reconciliata mox cum Patriciis plebe, quia multæ, ac graves de Plebiſcitis diſcordiæ in dies ſingulos ſuboriebantur, ut communi Reipublicæ quieti conſuleretur, placuit univerſis ea haberi, atque ſervari pro legibus ex lege Hortenſia. Ita factum eſt, ut inter plebiſcita, ac leges modus conſtituendi intereſſet, poteſtas autem eadem eſſet.* De re ipſa agunt Pighius *Annalium Roman. lib.* 1. *pag.* 386. *&* 409. *&* Auguſtinus *de legibus in Hortenſia.*

XII. Nec minori demum decori erant ritus, qui in Patriciorum funeribus ſervabantur; quique ab ipſis tantum ea occaſione adhiberi conſueverunt, ad Plebejorum diſcrimen. Ubi primum Vir patricius fato ceſſiſſet, mox ad fores ejuſdem domus per Libitinarios in funeris ſignum cupreſſus deponebatur; de qua arbore Virgilius *6.Æneid.*

— *Et*

Digitized by Google

——— *Et ferales ante cupreſſus*
Conſtituunt . . . . .

Morem ipſum ad Patricios dumtaxat ſpectaſſe indicat Lucanus *lib.5. de Bello Pharſalico*.

Et non plebejos luctus teſtata cupreſſus.

Unde tantum ubi Patriciis exequiæ parabantur, cupreſſus ſpectabatur affixa, ut refert Kippingus antiquitatum Romanar. *lib. altero cap.1. num.4.* Eo ſigno ad fores poſito, ſeptem inde diebus domi aſſervabatur cadaver; quo tempore frequens quotidie erat Cognatorum, Amicorum, Proximorumque ad luctum acceſſus; Die vero octava voce præconis funus per Urbem indicebatur; cujus verba recitato loco hunc in modum prolata fuiſſe ſcribit Kippingus: *Exequias Tito Tejo, Sejo Cajo, quibus eſt commodum ire, jam tempus eſt*. Ad ordinandam inde funeris pompam Deſignatores aderant, qui hoc præ ceteris ſtudioſe agebant, ut cum honore defunctus efferretur: adeoque indiculo inſcripta omnium nomina recitabant, locumque, quo quis proſequi funus debebat, aſſignabant. Horum Deſignatorum meminerunt etiam Seneca *lib. 6. de Benefic.* Cicero *lib.4. ad Atticum epiſt.3.* atque Horatius *lib. 1. epiſt. 7.* quos hodie vocamus *Cæremoniarum Magiſtros*, ut appoſite notat Jacobus Nicolaus Loenſis *lib.3. Miſcellaneorum*. Hi Miniſtros atratos habebant, quos *Lictores atros* vocat Horatius eadem epiſtola:

——— *Dum ficus prima calorque*
Deſignatorem decorat lictoribus atris.

De Sacris curatis a viris Patriciis.

CAPUT V.

SYNOPSIS.

I. *Jura Sacrorum duplicis generis, alia publica, alia privata. Publica, qui curarent, eorumque nomina*. II.

Sacerdotiorum ratio in octo partes a Numa Rege diſtributa: Alia diu, ſolique habuere Patricii. Alia Plebi fuerunt communicata. III. *Flamines qui, & quot eſſent? Qui Patricii erant* majores *dicti, reliqui* minores *&* Plebeji. IV. *Flamen Dialis ex Majoribus primus, ejuſque religio, & munus.* V. *Flamines Martialis, & Quirinalis Qui? Flaminum apices.* VI. *Pontifices a Numa inſtituti ex Patriciis primum, poſtea e Plebe quoque delecti.* VII. *Inter eos Pontifex Maximus ſemper erat Patricius. Munus Pontificum.* VIII. *Rex Sacrificulus exactis Regibus inſtitutus perpetuo Patricius fuit.* IX. *Sacrorum Duumviris abrogatis ad cuſtodiendos libros ſybillinos Decemviri Sacrorum invecti; Iidem Patricii; & quamdiu. Quale eorum munus?* X. *Patriciorum jura ſacrorum privata, an cum Plebejis communia?* XI. *Iſis Patricia non particulare Patriciorum delubrum, ſed Numen Ægyptiacum a Vico patricio, in quo poſita erat, denominata.* XII. *Iſidis nomine omnes Ethnicorum Dii nuncupati.*

I. QUoniam proximo capite de ſingulis Patriciorum muneribus ſingillatim agere polliciti ſumus, nunc promiſſum implentes de cura Sacrorum ipſis, naſcente Civitate, futura Gentium Domina, ab eorum Patre, & inſtitutore Romulo, commiſſa, ſumamus initium. Et primum quidem animadvertimus, duplicis generis fuiſſe Romæ ſacrorum jura: alia publica, privata alia. Utrumque genus Sexti Pompeji auctoritate Sigonius *de antiq. jure Civ. Romanor.* ita deſignat, & illuſtrat *lib.* 1. *cap.* 8. *Publica cenſet Sextus Pompejus ea, quæ publico ſumptu pro populo fierent, quæque pro Montibus, Pagis, Curiis, Sacellis; Privata, quæ pro ſingulis hominibus, & familiis.* Sacra publica eorum Deorum cultum reſpiciebant, quos Romulus ritu publico inter Deos indigenas ad-

adſcivit. Religio enim, Cicerone teſte *de Legibus* 2. vetabat Deos ſive novos, ſive alienigenas, niſi publice a Romanis adſcitos, coli: Iis propterea vel ſingulis, ſingulos Sacerdotes aſſignatos; qui eorum ſacra curarent, vel omnium promiſcue Deorum, cæremoniarumque omnium colendarum rationem tenuiſſe omnes ſequenti Capite putat Sigonius. Ex iis omnium antiquiſſimi erant Luperci, jampridem ab Euandro ante Æneæ in Italiam, adventum inſtituti, cum Collegio, & templo Patri Liceo in Monte Palatino, loco inibi congruente invento, quem Romani *Lupercal* appellabant; Unde, & iis nomen factum apud poſteros. De quibus ſcribit Dionyſius *lib.* 2. Curabant ibidem ſacra Panis, ſive pania ſacrificia; exinde ſacra iſta *Lupercalia* dicta, quæ a Romulo, & Remo in ſignum lætitiæ celebrari, adhibitis quibuſdam ſuperſtitioſis cæremoniis, conſueviſſe, docet Panvinus de Civitate Romana, ubi agit de Lupercis. Erant & Potitii, & Pinarii, ab eodem Euandro Herculis Sacerdotes creati, qui ut grata ei ſacra facerent, familiæ duæ ſunt delectæ, quæ Græcos ritus ob id didiciſſent, eodem teſte Dionyſio *lib.* 1. His proximi habebantur Fratres arvales XII. Tres item Augures, de quibus ſupra mentionem fecimus. Aruſpices VIII. & Curiones XXX. a Romulo illati. Fratres arvales in memoriam Accæ Laurentiæ nutricis ſuæ Romulus inſtituit, quæ cum duodecim liberos ſuſcepiſſet, atque ex iis unum amiſiſſet, ut Matris dolorem leniret, quo graviſſime afflictabatur, ſeſe Accæ filium in locum demortui ſubrogavit, arvalibuſque adjunxit fratribus, quos ſacra feciſſe, ut arva fruges ferrent, Varro *de lingua Latina lib.* 1. teſtatur. Iiſdem coronam ſpiceam vitta alba colligatam fuiſſe Sacerdotii inſigne, citato loco narrat Panvinus. Curiones Curiæ Sacerdotes dicti, Deos cuique Curiæ aſſignatos colebant, ſinguliſque eorum unus ex illis præſidebat; ipſis denique ſumptus ex publico ærario tribuebantur, ut docent Donatus de Civitate Romana, Panvinus ibidem, & Kip-

Kippingus *antiquit. Roman. lib.* 1. *cap.* 12. Tandem, quos Sodales Titus Tatius Sabinorum Rex Romuli ſocios dedit, *Sodales Titii* nuncupati, qui ea de cauſſa inſtituti ſunt, ut Sabinorum ſacra retinerent, de quibus ſcribit Cornelius Tacitus *lib.* 1. *cap.* 1.

II. His Sacerdotiis, aliiſque poſtmodum Romæ inſtitutis, quæ infra recenſebimus, ſuum, quibuſque ordinem, atque diſcrimen Numa Pompilius Romuli ſucceſſor conſtituit. Is enim divini juris, cujus auctorem vocat Livius *lib.* 1. humanique conſultiſsimus, nulla licet bellica laude inſignis, non minus tamen Civitati pace, quam Romulus bello profuit. Urbem ſiquidem, cum vi, & armis conditam, populo refertam vidiſſet, jure, moribus, legibus, & religione de integro renovare ſtatuit. Unde primum univerſam Sacerdotiorum rationem in partes octo diſtribuit, quorum quædam a Romulo, ut ſupra enarravimus, quædam ab ſe inſtituta fuerunt; nimirum in Curiones Flamines, Tribunum Celerum, Augures, Veſtales Virgines, Salios Palatinos, Fæciales cum Patre patrato, ac poſtremo Pontifices, ut referunt Panvinus de Civitate Romana de ipſo Numa diſſerens, & Sigonius *lib.* 1. *cap.* 19. Hæc omnia primum habuiſſe Patricios, tum ex Romuli inſtituto, qui ſacra eos peculiari munere curare juſſit, tum inſequuto tempore, nemo eſt qui dubitet. Quum vero poſtmodum Plebs Patricios Magiſtratus obtinere cœpiſſet, quædam etiam ſacra eidem fuerunt communicata, ut una cum Patriciis illa faceret, atque curaret. De quorum Sacerdotiorum ratione Sigonius paullo ante recitato loco: *Illud porro*, inquit, *Sacerdotum omnium proprium fuit, ut nec imperium, nec poteſtatem haberent, ut perpetui eſſent; tam ex Plebejis, tam ex Patriciis familiis fierent, & ut a Collegio cooptarentur*. Verum quædam ex Sacerdotiis tam a Romulo, & Numa inſtitutis, quam a ſequentibus deinde Regibus, invectis adeo propria Patriciorum fuere, ut plebs ea nunquam ſibi vindicare quiverit;

verit; de quibus recitato loco Sigonius hæc habet: *Nunc illud tantum admonuiſſe ſatis; plebem, cum omnia fere Patriciorum jura eſſet conſequuta, illud tamen impetrare nunquam potuiſſe, ut aut Interregem ex ſe, quemadmodum antea dixi, aut Flamines Majores, Dialem, Martialem, Quirinalem proderet; aut Regem Sacrificulum faceret; aut in Sodalium Titiorum collegium cooptaretur, quos locos, ut integros, uſque ad hæc tempora Patricii poſſederunt*. Idem etiam cenſent Ezechiel Spanhemius *ad Conſtit. Antonini Pii de ſtatu hominum exerc.* 1. *&* *Petrus Servius in juvenil-lib. feriis capite altero*.

III. His neceſſario præmiſſis, ne inter ſacra, quæ uni Plebi patebant, cura ſupervacua vagaretur oratio, nunc ad illa enarranda Sacerdotia, & Sacra progredimur, quæ partim ad Patricios tantum, partim ad Plebem ſpectabant: vel quæ licet fuerint Plebi communicata, principem tamen in iis locum Patricii obtinebant. Ac, ut a Flaminibus ſumamus exordium; Flamen nomen erat illius, qui alicui peculiari Deo ſacratus ipſi unice ſacra peragebat; a quo etiam nomen obtinebat, ut docent Panvinus de Civitate Romana de Flaminibus diſſerens, lateque Noriſius in *Cenotaphiis Piſanis diſſert.* 1. *cap.* 4. Flamines vero ab infularum, ac pileorum geſtatione appellatos fuiſſe, narrat Dionyſius *lib.* 2. ſed a filo potius, quo caput cinctum habebant, ejus nominis ductam rationem cum Varrone *lib.* 4. *de lingua Latina* arbitratur recitato loco Panvinus. Suas ipſi habebant uxores, quæ Flaminicæ vocabantur, a quibus facere divortium nunquam licebat, proprioſque habebant adminiſtros; Iidem creabantur populi ſuffragiis, ac deinde certis adhibitis cæremoniis, captatiſque auſpiciis a Pontifice inaugurabantur. Principio tres Flamines Numa Pompilius inſtituit, nimirum Dialem, Martialem, & Quirinalem: Inſequuto autem tempore numerus uſque ad duodecim ex Plebe auctus fuit. Sed hos inter illud ſemper diſcrimen interceſſit, ut tres illi a Nu-

a Numa inſtituti *Majores* dicti fuerint; Reliqui vero *Minores*: proptereaquod primi Patricii, reliqui Plebeji eſſent, ut docet Sixtus Pompejus *de verborum ſignificatione lib.* 16. *verbo Majores*. Hinc Clodium Virum Patricium Cicero in oratione pro domo ſua reprehendens, tanquam a Plebejo homine adoptatum: *Probate*, inquit, *genus adoptionis: jam omnium ſacra interierint, quorum cuſtodes vos eſſe debetis, jam Patricius nemo relinquetur. Cur enim quiſquam vellet Tribunum Plebis ſe fieri non licere? Anguſtiorem ſibi eſſe petitionem Conſulatus, in Sacerdotium cum poſſit venire, quia Patricio non ſit is locus, non venire? ut cuique aliquid acciderit; quare commodius ſit eſſe Plebejum, ſimili ratione adoptabis. Itaque populus Romanus brevi tempore neque Regem Sacrorum, neque Flamines, neque Salios habebit, neque ex parte dimidia reliquos Sacerdotes*.

IV. Maximus, hos inter, Flamen Dialis habebatur; poſt hunc Martialis: deinde Quirinalis. Dialis enim Jovi ſacratus illius ſacra curabat, eratque ejus aſſiduus Sacerdos, teſte Livio *lib.* 1. Ne illius ſacra negligerentur, aut differri poſſent, manere extra Urbem illi non licebat, ut idem affirmat Livius *lib.* 5. Quinimo ne ulla diſcedendi ab Urbe eſſet occaſio, equo vehi ille non poterat. Multæ erant leges eidem præſcriptæ, quibus facienda Jovi ſacra enunciabantur; Ad ſex ſupra xx. recenſet Panvinus de Civitate Romana de Diali Flamine ſermonem habens. Uti reliqui Flamines, ita Dialis uxorem habuit, ſuoſque Miniſtros, Miniſtraſque ad ſacra peragenda, qui omnes *Flaminii* nomine vocabantur; Alio vocabulo & *Camilli* ab antiquis ſunt appellati. Quod Flaminius Camillus puer ingenuus Patrimus, & Matrimus Diali Flamini ſacrificanti miniſtraret, ut notat citato loco Panvinus de quindecim Flaminibus agens. Erat, & Flaminia Sacerdotula, quæ Diali Flaminicæ miniſtrabat; Flaminius item lictor, qui Diali Flamini cauſſa ſacrorum præſto erat, memoratur ab Feſto.

Feſto. Præter ſacra Jovi conſtituta Diales Flamines auſpicabantur vindemiam, vinum legebant. A Numa, uſque ad Marii, & Sullæ Felicis tempora perpetua continuataque ſerie ſemper exſtitere Diales Flamines, quorum poſtremus Lucius Cornelius in ſeditione Civili Cinnæ, & Octavii occiſus eſt in Magiſtratu. Poſt hunc, quum Cæſar, qui poſtea Dictator fuit, id Sacerdotium aſſumſiſſet, non longe poſt a Victore Sulla, & Sacerdotio, & Uxoris dote mulctatus eſt; itaut nullus deinceps Flamen Dialis inauguratus exſtiterit, uſque ad finem Imperii Auguſti Cæſaris. Anno autem plus minus centeſimo, poſtquam id Sacerdotium vacaverat, Flamen Dialis inauguratus eſt Ser. Cornelius Maluginenſis; eumque ex ordine multi ſubinde ſequuti fuerunt Diales Flamines ad noviſſima Imperii tempora, quibus cum reliquis antiquæ ſuperſtitionis Sacerdotiis, id quoque ſublatum eſt, ut veterum Scriptorum teſtimonio refert memoratus Panvinus de Flamine Diali verba faciens.

V. Alter a Numa Flamen inſtitutus, Martialis dictus; ut Livius, & Dionyſius tradunt: quamvis Romulo ejus originem Plutarchus attribuat, quod Romuli pater is creditus ſit: Martis ille ſacra curabat; ipſumque Patricium, & majorem Flaminem fuiſſe, ideoque Martialem dictum, quia Marti immolabat, tradit Sertorius Urſattus *de nomin. Roman. apud Grævium tom.2. pag.*714. Panvinus de eodem differens ſaxum Marti inſcriptum refert, in quo ejus Sacerdotio functus legitur C. Junius, cujus gens ante Cæſarem Dictatorem erat plebeja. Verum, ne quid ex hac inſcriptione dubium ſuboriatur; Flamines majores omnes fuiſſe Patricios, animadvertit ab eodem Cæſare Juniam gentem inter Patricios allectam, ex eaque C. Junium id Sacerdotium geſſiſſe. Huic Tertius e Majoribus, idemque Patricius, Flamen Quirinalis ſuccedit, quem a Numa in honorem Romuli Urbis parentis, & Conditoris inſtitutum ab nomine Quirini, quod Romulo

poſt mortem eſt inditum, dictum, tradunt memorati Scriptores, & Alexander ab Alexandro *dier. genial. lib. 6. c.* 12. de quo frequens in Livio, Sexto Pompejo, & Varrone occurrit mentio. Omnes hi Flamines præter cetera ſacerdotalia indumenta, utebantur apice: quo iis ſolummodo uti fas erat, qui alios dignitate præſtarent; quod inſigne Servius *Æneid. x.* ſcite explicans: *Dicitur apex*, inquit, *virga, quæ in ſummo pileo Flaminum, lana circumducta, filoque erat colligata*. Flaminis vero Dialis apex ceteris Majoribus Flaminibus honorabilius erat inſigne, & *pileus Albogalericulus* dicebatur, quod fieret ex hoſtia alba Jovi cæſa, cui affigebatur apex virgula oleagina, ut ex Sexto Pompejo, & aliis diſcimus.

VI. Tres itaque iſti majores Flamines, tametſi non eſſent Pontifices, in Pontificum erant nihilominus adſcripti collegium: & ſi quando de re aliqua apud Pontifices agebatur, ſimul ipſi quoque Judices aſſidebant cauſſæ, quæ ad Pontifices delata eſſet; quod ex Ciceronis oratione pro Domo ſua, quæ ad Pontifices habita eſt, intelligi facile poteſt. Ad horum namque Collegium delatum erat de Domo, a Clodio conſecrata judicium. Unde idem Cicero diſerte ſcribit: *Orationem Pontifices, & vos Flamines, etiam tu Rex ſacrificulus diſce ab homine gentili tuo, quam ille gentem iſtam reliquit*. Fuerunt præterea Pontifices ab eodem Numa ex Patriciis primo delecti, ut docet Dionyſius *lib.* 2. Principio quatuor tantum erant, quibus alii quatuor e Plebe additi fuerunt anno CCCCLIV., quo magna Patriciorum contentione ſe in horum collegium cooptari Plebs obtinuit, referente Livio *lib.* 10. Hic numerus uſque ad Sullæ Felicis dictaturam manſit; qui adverſæ partis factionibus cæſis, arrepta Dictatura, inter cetera, quæ aut abrogavit, aut addidit, Pontificum collegium, uſque ad quintum ſupra decimum numerum ampliavit, ut ex Livio tradit Florus in Epitome *lib.* 89. Ex hoc tamen incremento evenit, ut primores ille octo Pontifices,

tifices, & qui eorum in locum ſubrogabantur, *Majores* ſint deinceps appellati, reliqui vero ſeptem, *Minores*, ut Panvinus *lib. 5. Faſtor.*, & Lætus *de Sacerdotiis cap.* 10. produnt. *Majores* non diſſimili a Flaminibus ratione dicebantur Patricii; Minores plebeji, ut refert Gutherus de *vet. Jur. Pontific. lib.*1. *cap.*17. Eorum creatio ſpectabat ad Populum, ad quem, & jus ipſos ſufficiendi, (quod a Numæ temporibus ad Collegium pertinebat teſte Dionyſio *lib.*2.) tranſtulit Gneus Domitius Tribunus plebis anno U. C. DCL. auctore Suetonio *in Nerone cap.* 2. quod notavit, & Gruchius *lib.*1. *de Comitiis Romanor. cap.*4.

VII. Inter eos Supremæ auctoritatis erat Pontifex Maximus, qui ex eorum Collegio populi ſuffragiis creabatur. Illis, inter cetera munera, quæ ad Religionis interpretationem ſpectabant, jus erat eligendi Veſtales Virgines, in eaſque de crimine aliquo convictas animadvertendi; quod ignem æternum, iis cuſtodiendum datum, an ipſæ optime illum cuſtodirent, debebat inſpicere; de quibus omnibus diligenter, ac erudite agit Pitiſcus verbo *Pontifex Maximus*. Is veterum Scriptorum teſtimonio oſtendit initio diuque in Pontificem Maximum Virum Patricium fuiſſe delectum, donec ejus Collegii communicatis Plebi honoribus, legi plebejus quoque homo cœperit. Omniumque primum ex plebe Pontificem Maximum inauguratum fuiſſe Tiberium Cornuncanum ſub anno ab Urbe condita D Florus in epit. Livii *lib.*18. indicat. Porro tum Pontificis Maximi, tum etiam ceterorum Pontificum peculiaria munera, quæ idem Pitiſcus brevi ſerie complectitur, ejuſdem verbis hic Lectoribus exhibere lubet, ne quid prætereamus, quod ſuſceptum argumentum illuſtret; addatque ſimul pretium operæ: *Erant Pontifices ſummæ auctoritatis; nam de omnibus cauſſis ad ſacra pertinentibus judicant, tam inter Magiſtratus ſacros, quam inter privatos homines, novaſque leges de Sacris arbitratu ſuo condunt, ſicuti deſtituuntur ſcriptis legibus, & Magiſtratus,*

penes quos cæremoniæ ſunt, ac ſacrificia, Sacerdoteſque omnes examinant, Miniſtroſque quoque Sacrorum in officio continent, ne quid præter ſolemnes ritus faciant, a profano etiam, & imperito vulgo conſuluntur de cultu Deorum, Geniorum, aliorumque. Quod ſi quem animadvertunt præſcripta ſua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipſi nullius poteſtati ſunt obnoxii, nec tenentur ad reddendam rationem vel Senatui, vel Populo. Quod vero ad illorum ornamenta pertinet, ex iis præcipuum erat quoddam *Suffibulum*, quod quidam cenſent fuiſſe capitis velamen, quod fibula nectebatur, ne ſine lege deflueret, aut caderet. Id Feſtus ita deſcribit: *Suffibulum eſt veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum*. De eodem agunt, & Ferrarius *de re veſtiar. cap.*46., & Gutherus *de vet. jur. Pontific. lib.*1. *cap.*19. Proprium quoque eorum erat indumentum pallii genus, quod *Tutulum* vocabant, a tutando capite dictum. Idem, cum immolabant, ipſi induebant, ut notat citato loco Gutherus; traditque Pignorius *de Servis cap.* 20.

VIII. Prioribus Sacerdotiis, de quibus hucuſque verba fecimus, Regibus exactis, alia quoque præſtantia adjecta fuerunt, quæ non ſecus, ac antiquiora per Viros Patricios gerebantur. Ex additis omnium primum, inſigniuſque Sacerdotium, eorumdem Sacrorum, quæ ab ipſis Regibus factitabantur, curam habebat: Unde & hujuſmodi Sacerdoti Regis nomen eſt inditum, regioque incedens ornatu, *Rex Sacrificulus*, & *Sacrorum* eſt appellatus: cujus uxor Sacrorum Regina conſuevit & ipſa nonnulla ſacra facere. De Rege Sacrorum Livius *lib.*2. hæc habet. *Regibus exactis, & parta libertate, rerum deinde divinarum habita cura; & quia quædam publica ſacra per Reges factitata erant, necubi Regum deſiderium eſſet, Regem Sacrificulum creant*. Hunc Pontifices, & Augures juſſerunt eligi ex Senioribus maxime idoneum, nullius ipſum alterius rei, præterquam eorum, quæ ad divinum cultum per-

pertinebant, curam habiturum, ab omni alio miniſterio civili, bellicoque liberum, & ſolutum, ut tradit Dionyſius initio *lib.5.* & Gruchius de *Comit. Roman. lib.1. c.2.*, ubi ſuffragiis populi curiatis Comitiis creari conſueviſſe docet. Hoc porro Sacerdotium majus, illuſtriuſque ceteris aliis, etiam Flaminibus majoribus fuiſſe cenſet idem Scriptor. In iis enim, quæ ad Sacra attinet, Regis nomen, & auctoritatem habebat, cum ejus loco re ipſa fuerit ſuffectum. Fuit nihilominus Pontifici Maximo eo conſilio ſubjectum, quia nuper partæ, Civitati, libertati inviſum erat Regis nomen, quod gerebat, & ut Livius eodem *lib.2.* ſcribit: *Ne additus nomini bonos, aliquod libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret*. Ad ipſum quoque Pontificem Maximum ejuſdem ſpectaſſe inaugurationem ex Caji Servilii Pontificis Maximi, & Lucii Cornelii Dolabellæ Duumviri navalis contentione facile intelligi poteſt: qua inter ipſos de Rege Sacrorum inaugurando, ſufficiendoque agebatur, ut conſtat ex Livio *lib.10.* Cujus teſtimonio, & auctoritate fultus non aliter de re ipſa recitato nuper loco ſentit Gruchius. Quum primum itaque id Sacerdotium Romæ eſt inſtitutum, illico Patricii obtinuerunt. Ex quibus, Dionyſio teſte, *initio lib. 5.* creatus fuit Rex Sacrificulus M. Papirius vir quietis ſtudioſiſſimus. Ipſi deinceps diu eodem functi fuerunt, uſque ad Theodoſii ætatem, quo imperante, cum reliquis ſacris, Sacerdotiiſque abrogatum eſt, ut notat Panvinus in *lib. de Civit. Romana*.

IX. Poſt ſacrorum conſtitutum Regem, habita potiſſimum cura fuit de cuſtodiendis libris Sybillinis. Quod munus Duumviri Sacrorum ad id inſtituti obibant antiquitus. Iis porro abrogatis, Decem Patriciis hæc cura commiſſa eſt, qui quoad viverent, ea fungebantur, tum ab omnibus bellicis, civilibuſque negociis liberi, Decemviri Sacrorum ſunt appellati, ut refert Dionyſius *lib. 4.* Eorum Collegium *Decemvirale Sacerdotum Sybillinorum* dice-

dicebatur teſte Gruchio *de Comit. Roman. lib. 2. cap. 2.* Appellatos etiam ipſos fuiſſe *Carminum Sybillæ, & Sacrorum populi interpretes & Apollinarii ſacrificii Antiſtites*, refert Livius *lib.* 10. Ad hujuſmodi Sacerdotium continua ſerie Patricii aſſumti fuerunt uſque ad annum trigeſimum quartum ſupra trecenteſimum ab Urbe condita, quo tempore C. Licinius Calvus, & L. Sextus Lateranus Tribuni plebis ad populum retulerunt, ut deinceps librorum Sybillinorum cuſtodes Decemviri non tantum ex ordine Patrum, ſed etiam ex Plebe conſtituerentur, ut liquet ex Livio *lib. 6.* quod prodit & Pomponius Lætus de Sacerdot. *cap.* 13. Quando gravi Roma peſtilentia premebatur, ad ipſos pertinebat juſſu Senatus libros Sybillinos inſpicere. Hinc Livius *lib.7. Peſtilentia*, inquit, *Civitatem adorta, coegit Senatum, imperare Decemviros, ut libros Sybillinos inſpicerent.* Eadem ab his habebatur inſpectio, ſi quæ in cælo, & alibi prodigia, vel ſigna apparuiſſent. Livius *lib.* 22. *Ob cetera*, inquit, *prodigia libros adire juſſi Decemviri.* Ad ipſos Ludorum etiam Apollinarium ſpectabat cura, de quibus idem Livius *lib.* 10. *Decemviros, ſacris faciundis carminum Sybillæ, & Sacrorum hujus populi interpretes, Antiſtites eoſdem Apollinarii ſacrificii, cæremoniarumque aliarum plebejos videmus.* Poſtremo ex libris Sybillinis inſpectis publicas per Urbem obeundas ſupplicationes eoſdem indixiſſe ex eodem conſtat Livio, qui *lib.*37. *Supplicatio*, inquit, *earum Religionum cauſſa fuit, quibus Diis, Decemviri ex libris fieret, ediderunt*, quod & Gutherus *de veter. jur. Pontific. cap.* 12. affirmat.

X. Quæ ad publica Sacrorum jura Populi Romani a Patriciis curata pertinent, ex hactenus dictis ſatis clare conſtare arbitror. Conſulto tamen omiſimus ſermonem habere de duodecim Palatinorum Saliorum Collegio, in quo nonniſi Patricii cooptari poterant. De ipſo tamen opportuniori loco tractabimus, ubi de Patriciorum filiis agen-

agendum eſt. Interea juxta indicatum paullo ante diſcrimen,de privatis ſacrorum juribus differemus. Sacra privata illa erant, quæ in familiis privatis peragebantur; ſed an eadem fuerint Patriciorum ſimul, ac Plebejorum, merito ambigi poſſe Sigonius *lib.*1.*cap.*8.exiſtimat. Livius autem, diverſa fuiſſe innuit, quum de connubiorum communicandis juribus Patricios indignatos refert *lib.* 4. *Quam enim aliam vim connubia habere, quam ut ferarum prope ritu vulgentur concubinus Plebis, Patrumque? ut quis natus ſit, ignoret, cujus ſanguinis, quorum ſacrorum ſit, dimidius patrum ſit, dimidius Plebis.* Illud certum eſt Sacellum fuiſſe Pudicitiæ Patriciæ ſacratum; quod intra fines octavæ regionis recenſet P. Victor *in libello de Regionibus Urbis* prope Forum boarium, & ædes Herculis. In ipſa & Panvinus de Urbe Roma idem ſacellum fuiſſe dicit, quod iterum in regione undecima *Circus Maximus* dicta, refert. In eo itaque Patriciæ Matronæ, ſeu Patriciorum conjuges ſacra peragebant, Plebejorum uxoribus acceſſu prohibito; Unde idem Livius *lib.*10. Virginiam Patriciam plebejo nuptam a Patriciis Matronis narrat repulſam fuiſſe a Sacris, quæ fiebant in ſacello Pudicitiæ Patriciæ; quod adeo illa indigne tulit, ut ipſa alio in loco novam aram Pudicitiæ plebejæ dicaverit. Qua de re Sigonius ita ſcribit: *Virginiam Patriciam plebejo nuptam L. Volumnio Conſuli, a Matronis, quod e patribus enupſiſſet, a Sacris, quæ in Sacello Pudicitiæ Patriciæ fiebant, prohibitam, ipſamque novam aram alio loco Pudicitiæ plebejæ dicaſſe.* Sacellum hoc Pudicitiæ plebejæ in undecima Urbis regione, quam Circum Maximum vocant, in vico longo poſt ædes Pudicitiæ Patriciæ recenſet Panvinus. Qui autem fuerint Patriciarum ritus, Plebejarumque, cum ſacra in iis Sacellis peragerentur; plane non liquet.

XI. Sed prætereunda minime eſt: Statua Iſidis Patriciæ, a pleriſque Scriptoribus memorata: præſertim a Donato, Marliano, Rufo, atque Victore, qui in libello de

de regionibus Urbis in quinta Regione Exquilina, illam conſtituit. *Iſis*, inquit, *Patricia*, *regio quinta Exquilina cum Turri*, *& Colle Viminali*. Eam non Deam Patriciam, aut aliquod peculiare Patriciorum delubrum fuiſſe exiſtimo, ſed Iſidis ſimulacrum; quod a Vico Patricio, ipſi proximo, Patriciæ nomen ſumſit. Idem ſentiunt Nardinus *lib*.4. *cap*.3., & Pancirolus in deſcriptione Urbis Romæ agens de Regione quinta Exquilina, ubi hæc ait: *De Iſide ſupra in tertia Regione eſt dictum. Hæc Patricia dicta*, *vel quod præcipue a Patribus coleretur*, *vel*, *quod verius puto*, *quia prope Vicum Patricium erat*. De eadem Auctor ipſe fuſe in tertia Regione pertractat. Iſidi Numini fuit prima in Ægypto ſedes, cui tam ſuperſtitioſa apud eos populos erat veneratio, ut teſte Diodoro Siculo *biblioth*. *lib*.2. in ejus honorem, multa fuerint templa variis in locis exſtructa. Ipſius cultum Romæ vigere cœpiſſe poſt Conſulatum Calphurnii Piſonis, & M. Gabinii nonnulli affirmant. Alii, vero, ut notat Joſephus Cantelius in *Comentariis ad Valerium Maximum lib*.1. *cap*.3. arbitrantur jampridem uſque ab Lucii Æmilii Conſulatu, hoc eſt ab anno U. C. DLIV. a Romanis Serapidi, & Iſidi templa fuiſſe poſita. Sed diu non ita proſperum hiſce Numinibus Romæ fatum exſtitit, tanquam Diis externis, ac ominoſis, quos præcipue Romani de impuris amoribus conſulebant. Eos compluries Urbe pulſos, eorumque fana ſolo æquata fuiſſe animadvertit Joannes Oliva *cap*. 2. *exercitationis in marmor Iſiacum* nuper Romæ effoſſum inter rudera Bibliothecæ Caſanatenſis: adeout nonniſi poſt Tiberium in certa, quietaque ſede potuerint conſiſtere. Ipſorum vero cultum Romæ cœpiſſe, poſtquam Populus Romanus Reges Ægypti amicitiæ fœdere ſibi junxerat, ſuſpicatur Vir Clariſſimus Abbas Benedictus Bacchinus Monachus Caſſinenſis in tractatu *de Siſtris*. At laudatus Oliva gravi fultus momento Bacchini ſententiæ non adhæret. *Opinor*, inquit, *igitur omnino difficile intra unum*

quod-

quodam tempus hanc originem circumſcribere, cum toties ſint hæc ſacra ex Urbe eliminata, ut Cicero non ſine iracundia fortaſſe pronunciaverit, lib. 3. de Nat. Deorum: Quid autem dicis? Si Dii ſunt illi, quos colimus, & accipimus, cur non eodem in genere Serapidem, Iſidemque numeremus.

XII. Sed ad eliminanda, de Iſide Patricia tanquam peculiare Patriciorum Numine, ejuſque præcipuo in Urbe Roma conſtituto delubro falſa commenta, quibus leviſſimi quique facile ducuntur; e re arbitror pauca de propria Iſidis ſignificatione verba facere. Per Iſidem itaque deſignabantur omnia Numina fœminina, ſicuti ſub Oſiridis nomine, maſculina. Ex quo dignoſci facile poteſt, non alium, Iſidem, cultum, & ſacra ſibi vendicaſſe, quam quæ omnia Numina ſuo nomine ſignificata haberent, tum a Patriciis, tum etiam a Plebejis. Bacchinus in citata diſſertatione *de Siſtris: Non Iſis*, ait, *ſed quæ per Iſidem ſignificantur, apud Ægyptios colebantur*. Proinde quum ipſi Ethnici, nonniſi unum Deum, Deamque unam crederent, licet eos variis, pro varietate Officiorum, nominibus appellarent; Uno tamen Iſidis, & Oſiridis vocabulo unius Dei, Deæque deſignabant unitatem. *Atque hic, animadvertendum opinor*. (Utor verbis Joannis Olivæ *cap*.4.) *una cum Ethnicorum ſuperſtitioſæ theologiæ peritis niſi unum Deum, Deamque unam non fuiſſe, quæ variis pro varietate officiorum, nominibus appellaretur. Hinc Sol, Liber, Apollo, Oſiris, ac Serapis vocatur; hinc Luna, Ceres, Diana, Juno, Proſerpina Iſidis nomine celebratur.* Id Scriptor ipſe pluribus Veterum teſtimoniis comprobat, præſertim vero Macrobii *lib*.1. *cap*.20. *& Lyſcophurnis Scholiaſtis de Iſide*. Ex ea itaque Deorum omnium ſignificatione, quos Iſidis nomen deſignabat, conjicere licet, Iſidem Patriciam ad ſummum continere Patriciorum Numinum peculiare ſimulacrum, ſive delubrum, ſi quod apud Scriptores Romæ poſitum inveniri contigit. Ac Iſidis quidem

BIBLIOTECA ... ROMA

ſtatuam locatam Vico patricio, inter alias, quas in Vicis Urbis Auguſtus poni juſſit, exſtitiſſe; Patriciæque nomen non alio, quam a loco ſumſiſſe facile adducor, ut credam. Ceterum de Iſidis Sacris, Sacerdotibus, Cæremoniis, & Lapidibus eidem inſcriptis, conſule, ſi lubet, recitatas diſſertationes Joannis Olivæ, qui eleganter, ac erudite res ipſas pertractat.

De Patriciis Magiſtratibus.

CAPUT VI.

SYNOPSIS.

I. *Regibus exactis Patricii conſulatum ſuſcipiunt. Duo Conſules ex iis creati, eorumque imperium.* II. *Conſulum imperium annuum. De ipſo duæ a Valerio latæ leges, quo Plebi gratificaretur.* III. *Soli Patricii Conſulatum diu habuerunt. Qua die, ac pompa illum ſuſciperent.* IV. *Dictatoris creandi cauſſa; ejuſque munus.* V. *Hunc Magiſtratum ſemeſtrem Patricii ſuſcipiunt, quem primum juſſu Conſulis, deinde populi imminentibus bellis inibant.* VI. *Tribuni Militum Conſulari poteſtate delecti Patricii, & Qui?* VII. *Quæſtores a Conſulibus ex Patriciis pro re Militari creati, eorumque munus.* VIII. *Plebis adverſus Patricios ſeditio: Sibi conſtitui plebejum Magiſtratum petit.* IX. *Lex de plebejo Magiſtratu, qua conſtitutum eſt, ut quinque eſſent Tribuni plebis, nec ullus inter ipſos Patricius.* X. *Patriciis infenſi Tribuni, adverſus quos inſolenti utuntur poteſtate.* XI. *Ea poteſtas Tribunis ademta; Patricii quoque Tribuni.*

I. Alterum a Romulo munus Patriciis commiſſum verſatum fuiſſe diximus in adminiſtranda Republica, gerendiſque Magiſtratibus: de quibus, nunc nobis pro-

propoſitum eſt tractationem inſtituere. Ipſo autem Romulo regnante, ceteriſque rerum potiuntibus Regibus, Patricios ſolum illis in publico Senatu opem, conſiliumque tribuiſſe nemo eſt, qui dubitet. Id enim erat unicum, atque præcipuum eorumdem munus: In Republica ſiquidem omnia Regum arbitrio adminiſtrabantur, peneſque illos ſummum erat imperium, jus vitæ ac necis, omnis gerendi belli poteſtas, ac juriſdictio univerſa, ut oſtendit Sigonius *de antiq. jure Civ. Roman. lib.* 1. *cap.* 20. Qui animadvertit non alium tunc fuiſſe Magiſtratum, quam Tribunum Celerum, cui rei militaris cura erat. Pleriſque tamen placuit Quæſtores etiam exſtitiſſe, qui publicam pecuniam tractabant; & ſi quando Rex ab Urbe abſuturus eſſet, Præfectum Urbis, cum regia poteſtate ſuffectum. Mortuo denique Rege conſtitui conſueviſſe Interreges, qui Rempublicam, dum Rex interea crearetur, gubernabant. Non ita tamen ampla, tamque illuſtris fuit Patriciis, ſub Regibus poteſtas, dum Regio imperio, & iſti ſuberant. Sed Regibus exactis parta populo Romano libertas Regium Patriciis imperium, Regia indumenta, Regiamque auctoritatem, poteſtatemque contulit. Poſtremo enim ſuperbo expulſo Rege ab Urbis Præfecto, ſeu Interrege Sp. Lucretio Tricipitino, illico indictis centuriatis Comitiis, duo Conſules creati ſunt; Brutus nimirum libertatis auctor, & Collatinus, ambo Viri Patricii. Iſti tum omnia Regum jura, Regiam prætextam, Regiam ſellam, lictores cum faſcibus, ceteraque Regia indumenta ſibi vindicarunt: adeout ſolum nomine, tum Romæ inviſo ipſi a Regibus differre viſi ſint: Ne terror vero duplicatus in Urbe eſſet, ſi ambo faſces haberent, Brutus ſolum, concedente Collega, duodecim faſces ſumſit, alligatas ſecuribus; alter autem faſces virgarum una cum Lictoribus: ita tamen, ut alternatim ſingulis menſibus ambo Conſules faſcibus uterentur: ut docent Livius *lib.* 2. & Panvinus de *Civitate Romana* populi libertatem deſcribens. Brutus

interea, qui antea non tam acris vindex libertatis fuit, quam deinde exactiſſimus cuſtos, primus populum Romanum, avidum libertatis jurejurando adegit: neminem ſe Romæ regnare paſſurum. Quo Sacramento populo adacto, firmiter ipſis Regia poteſtas acceſſit, ac ſumma imperii adminiſtratio. Per Accenſos, & Præcones cogebant, & parabant exercitum: Domini pacis erant, & belli; inconſulto Senatu in caput Civis animadvertere poterant; ab eis provocatio non erat; poſtremo, ut teſtimonio Pomponii hæc ipſa recenſens addit Panvinus: *Penes eos ſummum jus uti eſſet, lege cautum eſt.*

II. Ut autem magis magiſque nuperæ partæ libertati conſuleretur, arreptis a Patriciis, regiis muneribus, de Conſulum imperio, & poteſtate ad populum leges latæ fuerunt; quas Cicero *de legibus lib.3. cap.3.* ita deſcribit: *Conſules, Regio imperio duo ſunto, ut ſi unus improbus eſſe voluiſſet, alter eamdem habens poteſtatem coerceret. Placuit quoque ne imperium conſulare longius, quam annuum eſſet, ne propter Magiſtratus diuturnitatem inſolentiores, ſuperbioreſque eſſent; ſed civiles ſemper ſe redderent, qui ſe poſt annum ſcirent futuros eſſe privatos.* Quod & Manutius de Legibus *lib.2. cap.4. num.6.*, & Kippingus *antiq. Rom. lib.11. cap.3. num.6.* referunt. Mortuo autem Bruto, ne omni prorſus ex parte Conſules regiam poteſtatem ſibi vindicarent, leges alter Collega ſuperſtes P. Valerius tulit, quibus plebi gratificaretur. Harum prima fuit, ut nemo Magiſtratum iniret, niſi a populo acciperet, & ſi quis aliter feciſſet capitali pœna puniretur; quique eum occidiſſet, impunis eſſet, ut liquet ex Dionyſio *lib.5.* Quare in ejus legis exſequutionem creatos fuiſſe Conſules centuriatis Comitiis auctor eſt Cicero pro Muræna: *Illo die*, inquit, *auſpicato Comitiis centuriatis L. Murænam Conſulem deſignavit.* Altera vero lex exſtitit, ut provocatio a Conſulibus ad populum eſſet, neve Conſules poſſent in caput Civis animadvertere injuſſu populi, de qua provocatio-

catione ſcribit Livius *lib.*2. Auguſtinus de Legibus in *Horatia*, *&* *Valeria*, & Manutius itidem *de Legibus cap.* 5. Pomponius *in lege* 58. *ff.de origine Juris. Exactis*, inquit, *deinde Regibus, Conſules conſtituti ſunt duo, qui tamen, ne per omnia Regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata, factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet, neve poſſent in caput Civis animadvertere injuſſu populi*. Id vero libero illorum arbitrio relictum fuit, ut coercere poſſent, & in vincula publica duci quemcunque juberent: quam poteſtatem Pomponius loco recitato his verbis enunciat: *Maximiſque in Reipublicæ periculis, vel neceſſitatibus iis aliquando ſummum jus, & Regia poteſtas ad tempus per Senatum iis verbis concedebatur: Ut Conſules darent operam, ne quid Reſpublica detrimenti caperet*. Panvinus citato loco, & in commentariis Faſtorum late de Coſſ. & omnibus fere Romanæ Reipublicæ Magiſtratibus diſſerit.

III. Id mirum, quantum profuerit pro alliciendis plebis animis ad Patriciorum concordiam, quæ tum non modo omnis expers honoris, Patriciis obediebat; ſed diremtis connubiis ipſius etiam vitæ prope communione privata, maxima cum indignatione ſerviebat: Quibus interea Valeriis legibus ea in Rempublicam inducta fuit moderatio, ut tenuiores cum principibus æquarentur, & plebs pari cum Patriciis in Civitate jure uteretur. Sic libertatis Romanæ Plebis Valerius primus initia jecit, quemadmodum collega Brutus univerſæ Reipublicæ poſuerat, ut ſcite animadvertit Panvinus, ubi de conditione, quæ libertate parta Urbi Romæ, fuerat, ſermonem inſtituit. Quare laudatus Valerius Conſul, cum eas humaniſſimas, maximeque populares leges tuliſſet. Poplicola primo vocatus eſt, quod plebi ſtudioſiſſimus populum potiſſime coluiſſet, ut auctor eſt Dionyſius. His de Conſulum jure, imperio, ac poteſtate præmiſſis, juvat nunc expendere quam pulchrum fuiſſet eos adſpicere, quando ipſi pompa ſolemni Magiſtratum inibant. Frequenti Senatu,

Digitized by Google

natu, populoque Romano, primum in Capitolium, deinde in Curiam deducebantur; Centuriatis enim comitiis, populique ſuffragiis creato Conſule, Senatus, & Populus circa ædes electi conveniebant, eum ſalutabant, & in Capitolium deducebant. Ubi ab illo Sacris Diis factis, in Curiam porro comitabantur: in qua ipſe Reipublicæ gratias agebat. His peractis demum proficiſcebatur maxima hominum circumfuſa multitudine, ac toto comitante Senatu. In iis vero Populi, atque Senatus publicis officiis, (progreſſu temporis jure imaginum, quod ſupra explicavimus, invecto,) lauro ornatas Majorum imagines ex armariis depromptas oſtentabant. Id indicavit Cicero pro Muræna. Quo die Magiſtratus honorem pompa ſolemni inirent, certum non eſt: ſimillimumque vero arbitror juxta temporum, & electionum varietatem diverſos etiam fuiſſe dies inaugurationis, & poſſeſſionis. Exactis namque Regibus juxta Kalendarium Romanum, quod juſſu Auguſti Cæſaris marmoreis tabulis exaratum fuit, Magiſtratum inibant ſexto Kalen. Martii, ſive die quarta ſupra vigeſimam proximi menſis Februarii, quo Tarquinius Regno pulſus fuit. At poſtea quindecim ante plebis ſeditionem, annos, teſte Dionyſio, Conſules Magiſtratum ſumſerunt Kalen. Septembris; Poſt annos inde fere xxx., ut Livius *lib.3.* prodit, Eburio, & P. Servilio Coſſ. Kalendæ ſextiles, quo die annus ordiebatur, ſolemnes fuerunt Magiſtratui ineundo. Inde poſt annos fere quinquaginta Idus Decembris ſolemnes fuerunt, iterumque poſt annos fere octo eodem Livio teſte *lib.5.* Kalendæ Quintiles, quo die per annos fere ſeptuaginta Magiſtratus ſumſerunt, & paullo ante bellum Punicum ſecundum, ubi tunc Idus Martii ſolemnes huic honori ſunt facti. Poſtremo affirmat Pitiſcus verbo *Conſules*: Romanos exinde Kalendis Januarii Magiſtratum inire conſueviſſe.

IV. Interea non patiente Tarquinio Conſules Romæ uti Reges imperare, imperio arrepto; ad Porſenam Cluſinum

num Regem confugit; ut ipſum adverſus Romanos, Patria & Regno pulſum juvaret, ſibique opem ferret, & auxilium. Tarquinio morem gerens Romam Porſena infeſto exercitu venit, tantuſque ejuſdem nomen, Senatui, ac Plebi timor inceſſit, ut ne Plebs metu perculſa Regis cum receptis in Urbem Tarquiniis pacem componeret, multum Senatui, blandimentis etiam adhibitis, laborandum fuerit, teſte Livio *lib.* 2. Eo ſubinde factum eſt, ut Regium nomen, ſummi, infimique magis horrerent. Porſena interea illuſtri victoria, cum exercitu victus, poſtquam fruſtra omnia eſſe vidiſſet, quadraginta finitimas Latinorum Urbes concitavit, ut adverſus Romanos conſpirarent. Quum autem Conſules imminentibus hiſce bellis, eorum, & Reipublicæ curam habere non poſſent. Dictatoris creandi ex Patriciis uſus eſt ortus, ut Conſulibus aliis negociis foris addictis, majori poteſtate fultus in Urbe remaneret Patricius Magiſtratus. Ab ipſo autem Dictatore jus provocandi, etiamſi in caput Civium animadvertiſſet, nemini erat. Unde Pomponius *leg.* 2. §. 10. *ff. de Orig. juris. Populo deinde aucto, cum crebro orirentur bella, & quædam acriora a finitimis populis infererentur; interdum re exigente placuit majoris poteſtatis Magiſtratum conſtitui. Itaque Dictatores proditi ſunt, a quibus nec provocandi jus, & quibus etiam capitis animadverſio data*. Summa propterea iis erat poteſtas ubique ampla, & eximia domi, militiæque de pace, belloque gerendo, ſcribendo, educendo, vel dimittendo exercitu; omnia negocia libere, ac pro arbitrio tractabant, adeout nihil referre ad Senatum cogerentur, teſte Dionyſio *lib.* 6. ſed aliis etiam de cauſſis Dictatores fuiſſe creatos invenimus, nimirum clavos peſtilentiæ cauſſa figendi, habendorum comitiorum, ludorum faciendorum, Senatus legendi, creandorum Conſulum, aut aliorum Magiſtratuum, ut paſſim apud Livium, Hotomannum, Stevecchium, Lipſium, & Blondum, alioſque Romanæ antiquitatis Scriptores legimus.

V. Hu-

V. Hujuſmodi Magiſtratum, qui aſſidue in Republica non erat, tunc potiſſimum conſtitui, ac legi conſueviſſe conſtat, quando Conſules coacti erant bellum gerere; qua de cauſſa curam habere Reipublicæ non poterant. Hinc Dictatoris ſemeſtre erat imperium, ejuſque hunc in modum, vis, ac potentia circumſcripta terminis, ne in tyrannidem diuturnitate, ac longa conſuetudine deflecteret. Eo elapſo tempore Conſules iterum ad Reipublicæ regimen redibant, auctore Dionyſio *lib.5*. Sed dum ipſi Magiſtratu fungebantur, ceteri omnes præter Tribunum plebis imperio ſe abdicabant, & Reipublicæ ſtatus veluti in unius manu, atque arbitrio relinquebatur, ut tradit Plutarchus *quæſt. Rom.8*. Creabatur Dictator a Conſulibus, quemadmodum idem Plutarchus ſcribit *in Marcello*. Scite vero Gruchius *de Comitiis Romanorum* creandi Dictatoris neceſſitatem variam; nimirum tum bellis imminentibus externis, tum aliis poſtulantibus cauſſis, quibus occurri opus eſſet, majoris auctoritatis Magiſtratu fuiſſe, prodit *lib. 2. cap. 2.* Quæ itaque lex de creando Dictatore ab T. Lartio Flavo lata, iterumque Q. Cælio Coſſ. confirmata fuit, ut ab eo jus provocationis non eſſet; & ex Conſularibus legeretur, pro Patriciis fuit, ut explicat Paullus Manutius *de Legibus cap.5*. ſcribens: *Fuit autem hæc lex ideo pro Patriciis, quia cum creari Dictatorem de Conſularibus juberet, ſequebatur, ut de Patriciis crearetur. Conſules enim tunc, & per annos inde multos Patricii fuerunt, nec prius de Patriciis legi Dictator deſiit, quam creari duo Conſules Patricii deſierunt.*

VI. Dictaturam, quæ domi impedientibus bellis, Patricius erat Magiſtratus, alter foris excepit Militiæ Magiſtratus, nempe Tribunus Militum, qui itidem ex Patriciis Conſulari, vel ipſius Dictatoris auctoritate legebatur: quam deinde populus ſibi vindicare cœpit. Qui Tribuni Militum a Conſulibus creabantur, *Ruſuli* ſunt appellati, ut docet Feſtus, quod Rutilius Rufus de eorum-

rumdem juribus legem tulerit. Quando autem a populo in Comitiis Militarium Tribunorum creabantur, ſi ad legitimum numerum Tribus non perveniſſent, judicio Conſulis ſtabatur, ut de Comitiis Roman. *lib. altero cap.* 4. notat Gruchius: quod & *lib.* 1. *cap.* 2. ſcripſerat. Conſtituti autem Tribuni vario fuere numero; ſæpe enim viginti quandoque plures, interdum pauciores fuiſſe oſtendit Hotomannus *de Magiſtrat. apud Grævium tom.* 2. & Panvinus *de Civit. Romana in nomenclatore Magiſtratuum*, quod, & Lætus *de Magiſtrat. cap.* 19. affirmat. Primum eorumdem munus etſi fuiſſet domi circumſcriptum, ut nimirum præeſſent militibus, quos ex Tribubus Romulus ipſe jampridem legerat; a quibus Tribubus, & Militum Tribuni dicti, ut cenſet Vegetius *in lib.* 2. *de re Militari cap.* 7. in Caſtris tamen præcipua iis erat poteſtas Milites continendi, ad exercitationes producendi, aliaque in caſtris peragendi, quæ perſpicue explicat Juriſconſultus *in leg.* 12. *ff. de Re milit.* his verbis: *Officium Tribunorum eſt milites in caſtris continere, ad exercitationem producere, claves portarum ſuſcipere, vigilias circuire, frumentationibus commilitonum intereſſe, frumentum probare, Emanſorum fraudem coercere, delicta ſecundum ſuæ auctoritatis modum caſtigare, Principi frequenter intereſſe. Querelas commilitonum audire, valetudinarios ſuſcipere*: de quibus etiam Polybius *lib.*6. *cap.*25. Horum loco ſuffectos dici poſſe cenſet Pitiſcus verbo *Tribunus Militum*, quos hodie *Mareſcallos* vocamus, veluti majores in bello Judices: idemque alios ante Pitiſcum ſenſiſſe video. Eos etiam, quos modo dicimus *Colonelli*. Siquidem ſicuti Centurio centum, ita Tribunus mille militibus rite præerat.

VII. Sed nec eſt prætereundum, ad eorumdem Conſulum poteſtatem pertinuiſſe jus etiam eligendi Quæſtores, qui rem militarem comitarentur. Omnium primi poſt Tarquinios exactos creati fuerunt Valerius Poſthumius, & Æmilius Mamercus. Hujus Magiſtratus, quamvis Ulpia-

nus *in lege* 1. *ff. de Offic. Quæſt.* antiquiorem originem, & pene ante omnes Magiſtratus fuiſſe affirmet, quod & Tacitus annalium *libro* 2. *cap.* 22. *num.*4. cenſet, utpote qui Quæſtores Regibus adhuc imperantibus fuiſſe narrat; maxime certe in Republica floruerunt Quæſtores, quum non modo rei militaris iis cura daretur, ſed etiam gliſcentibus negociis, duo additi ſint, qui teſte Dionyſio *lib.*44. Statuarum publice decretarum pretium ei perſolvebant, cui locatæ eſſent. Quamobrem in S. C. de ſtatua Servii Sulpitii in foro extollenda apud Ciceronem *Philippic.*9.7. legitur: *Senatui placuit, ut Conſules alteri, ambove Quæſtores imperarent ſtatuam locare, quantique locaverint, tantam pecuniam redemtori attribuendam, ſolvendamque curarent*. Legatos item Exteros, qui Romam veniebant, ipſi excipiebant, parabantque hoſpitium, ut de Rege Pruſſiæ refert Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 11. Coram Quæſtore tandem, is, qui a Senatu triumphare poſcebat, jurare cogebatur, ſe occidiſſe in bello tot hoſtium millia, quot ex præſcripto debebat: nec falſum in litteris ad Senatum miſſis, retuliſſe, ut refert Panvinus *de triumpho tomo altero apud Grævium*. Fuit autem, & hic Magiſtratus penes Patricios: Quin imo omnium prima Patriciis, & Senatoribus adminiſtratio in Republica, gerenda, erat Quæſtura.

VIII. Tanta poſtremo, ac tam inſignis Conſulum poteſtas, a qua, & aliorum Magiſtratuum pendebat electio, non parum a plebe Patriciis, qui ſoli rerum potiebantur, invideri cœperat; unde cum nullo videret ſe Magiſtratu decoratam, ex ipſa creandum petere, cum ſuprema in plebem, poteſtate, nec ulli Patricio ſubjectum, ac ad eoſdem, aut pares poſcendos honores exarſit, & incitata eſt. Decimo proinde anno poſt Reges exactos Appio Claudio, & P. Servilio Coſſ. prima plebis ſeditio orta fuit: cauſſamque maxime præbuit nobilium Fœneratorum potentia, qui plebem ære alieno obſtrictam in vinculis habe-

habebant. Illa tametſi per Servilium Conſulem teſte Livio *lib.* 2. ſedata fuerit, lege per ipſum edicta, ne quis Civem Romanum vinctum, aut clauſum teneret, quominus ei nominis edendi apud Coſs. poteſtas fieret: nihilominus viam turbulentiſſimæ ſeditionis ſequenti anno excitatæ aperuiſſe viſa eſt. A. Virginio ſiquidem, & T. Veturio Coſs. quum Equi, Volſci, Sabini bellum moviſſent, plebs autem ad bellum nomina profiteri, ac dare nollet, nexorum ſeditio ſuperiori anno commota reviviſcere, atque in dies gliſcere cœpit; viſum illico fuit Patriciis ad Dictatorem confugere, ut ejus metu perculſa Plebs facile conquieſceret. Quum vero M. Valerius Voluſus Poplicolæ frater Dictator dictus fuiſſet, ipſe ad ſedandos incitatos plebis animos adverſus Patricios convocata concione, gratiſſimam, ad eam, orationem habuit; pollicituſque eſt, ubi primum confecto bello in Urbem rediiſſet, ſibi curæ fore, ut ad Senatum de nexis referreretur; quam interea his mitigatam promiſſis in hoſtes eduxit. Aut paullo poſt quum per cauſſam renovati ab Equis belli ex Urbe iterum eſſet educta, auctore quodam Licinio a Conſulibus diſceſſit, & trans Anienem amnem collem occupavit, qui *Sacer* appellatus eſt: nec eo anno revocari in Urbem potuit. Anno autem ſequenti, quamvis eleganti Agrippæ Menenii oratione permota a Senatu decem pro conciliatione legatos miſſos accepiſſet, non antea tamen cœtus ſeditioſus ſolutus fuit, quam per Legatos promiſſum ſit, Senatum reipſa effecturum, ut & ipſi jus eſſet Magiſtratum creandi ex ſuo corpore adverſus Patriciorum potentiam. Ut prodit Livius *lib.* 2. & poſt Livium Hotomannus *de Magiſtrat. Roman. apud Grævium tom.* 2. & cum his Panvinus *de Civitate Rom.*

IX. Ita Tribuni plebis principio duo creati fuere, vel ut pleriſque placet, quinque: poſtremo uſque ad decem aucti ſunt, trecenteſimo ſexto a primis Tribunis anno teſte Livio *lib.* 3. Unde Pomponius *in leg.* 2. §. 20. *ff. de*

Origin. jur. ſcribit : *Iiſdem temporibus cum plebs a Patribus diſceſſiſſet anno fere ſeptimo decimo poſt Reges exactos, Tribunos ſibi in monte Sacro creavit, qui eſſent plebeji Magiſtratus*. Et Cicero *pro Cornelio* : *Propter nimiam dominantium potentiam leges ſacratas ipſi ſibi conſtituerent, duos Tribunos crearent*. Quum itaque is Magiſtratus, ut alii vocant, inſtitutus præcipue fuerit ſummo cum imperio adverſus Patriciorum potentiam, inde lege ſacrata cautum eſt, ne quis Patricius eumdem Magiſtratum ſuſcipere poſſet : Qua re Livius *lib.* 2. ita ſcribit : *Agi deinde de concordia cœptum, conceſſumque in conditiones, ut plebi ſui Magiſtratus eſſent ſacroſancti, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſet; neve cui Patrum capere eum Magiſtratum liceret*. Dionyſius porro *lib.6.* de eo prodit. *His propterea ſummum in plebem erat imperium, leges edebant, quæ plebiſcita vocabantur, & Tribuniciæ leges* : de quibus & Panvinus *de Civit. Roman.* verba facit. Initio in plebem jus exercere ſolummodo poterant, utpote qui ad ejus tutamen erant creati. Quare plerique ſunt, qui negant Plebis Tribunatum Magiſtratum fuiſſe, quod neque purpura, neque Lictoribus Tribuni uterentur. Propterea apud Livium *lib.2.* legimus. *Conſul Appius negare jus eſſe Tribuno in quemquam, niſi in plebem, non enim populi, ſed Plebis eum eſſe Magiſtratum*.

X. At mirum, quantum Patriciis hic Tribunatus noxius fuerit: quum non ſolum acerrimo quodam telo contra eorumdem potentiam, atque libidinem, libertatem, ac pudicitiam ſuam tutatus ſit; verum etiam longe majora moliti, magnas ſæpe in Republica turbas, ac ſeditiones Tribuni concitaverint, ut obſervat Panvinus *de Civit. Rom.* Hinc Patriciis ademta poteſtas de Sacris, & Magiſtratibus ſuis, deque iis è ſuo dumtaxat Ordine creandis, quod ſequenti capite enarrare propoſuimus : ubi de Quæſtura, itemque Tribunatu Militum conſulari poteſtate, Conſulatu, qui veluti arx Patriciorum potentiæ fuerat, Dicta-

Digitized by Google

Dictatura, Cenſura, non ſine magnis cædibus plebi Tribunorum ſuorum ope communicatis verba faciemus. Hinc Conſules aliquando in carceres conjicere, quoſdam indicta cauſſa necare, ſibi facile poteſtatem fecerunt, ut propterea recte moneat Livius *lib.* 4. *Datum ſub jugum Tribuniciæ poteſtati Conſulatum fuiſſe*. Enimvero leges univerſas ad utilitatem plebis, & adverſus Patriciorum opes, quo facilius plebejis aditus ad honores eſſet, edidiſſe, *lib.*6. idem Livius memorat: *In præſentia Tribunorum plebis fieri placuit, quo in Magiſtratu ſibimetipſi viam ad ceteros honores aperirent, creatique Tribuni L. Licinius, & L. Sextus promulgavere leges omnes adverſus opes Patriciorum pro commodis Plebis*. Præterea nihil ratum, quod decreviſſet Senatus, habebatur, niſi probaſſent Tribuni plebis. Quibus quum ingredi curiam non liceret; iidem ante valvas poſitis ſubſelliis decreta Patrum examinabant diligentiſſime, ut ſi quæ ipſi ex iis improbaſſent rata eſſe non ſinerent. Proptereaque antiqua *S. C.* litera *T* ſubſcribebant, qua ſignificabatur ipſos quoque Tribunos ita cenſuiſſe, ut docent Prævott. de Magiſtrat. *cap.* 9. Briſſonius *de Formulis, & ſolemnibus Populi Romani verbis lib.* 2., atque Manutius *de Senatu Roman. cap.*10. Quæ Panvinus recitato loco recenſens. *Omnes*, ait, *Magiſtratus ſacroſancta poteſtate ſuperabant. Dictatoribus tantum exceptis. Quod ſi quis ad eos, vel etiam abſentes provocaſſet, is ſtatim liberatus ab eo, a quo comprehenſus fuerat, vel in concionem adducebatur, vel abſolvebatur.*

XI. Eam nihilominus Tribunorum plebis inſolentiam, arrogantemque auctoritatem, Sylla tandem conatus eſt adimere, cavens, ne ullos capere Magiſtratus, eis liceret; ne ad ipſos eſſet provocatio, neque leges condere, neque in concione publica populo fari poſſent; quam Syllanam legem Cicero laudat *lib.* 3. *de legib. cap.* 3. *In iſta quidem re vehementer Syllam probo, qui Tribunis Plebis ſua lege injuriæ faciendæ poteſtatem ademit, auxilii ferendi*

rendi reliquerit : Inde autem factum eſt, ut tametſi nullus Patricius ſuſcipere Tribunatum plebis per legis ſacratæ edictum quoque modo poſſet, niſi ſe in plebem transferret, propria voluntate ſe a Patriciis abdicando, vel per adoptionem in filium Plebeji, nihilominus apud Scriptores valde dubium manſit, an ſuis legibus Sylla ad Senatum, ſeu ad Patricios Tribunatum Plebis tranſtulerit, quemadmodum hæret Appianus *de bello Civili lib*. 1. Sed certum eſt, etiam ante Syllanæ Legis rogationem, Patribus ita mandantibus, Patricios plebis Tribunos ab aliis Collegis fuiſſe renunciatos ex Livio *lib*. 3. Apud eumdem narratur Patricios, licet primum fruſtra inter Tribunos cooptari tentaſſent, nihilominus a Collegis opibus obtinuiſſe in delectu fieri Tribunos plebis. Prodit enim *lib*. 5. *Pugnatum inde, in loca vacua ut Patricii cooptarentur poſtquam obtineri non poterat, tum labefactandæ legis Tribuniciæ cauſſa effectum eſt, ut cooptarentur Tribuni Plebis, C. Lacerius, & M. Acutius haud dubie Patriciorum opibus*: & paullo poſt L. Trebonii verba referens, qui forte illo anno Tribunus plebis erat : *Vocificans*, ait, *legem Treboniam ſublatam, & cooptatos Tribunos plebis, non ſuffragiis populi, ſed imperio Patriciorum, & eo devolvi rem, ut aut Patricii, aut Patriciorum aſſeclæ, habendi Tribuni plebis ſint, eripi ſacratas leges, extorqueri Tribuniciam poteſtatem*. Hæc jampridem animadvertit Alexander ab Alexandro *dier. genial. lib.6. cap.24*. & Joſephus Laurentius *in Polymatia lib*. 3. *Synopſi* 19. *Tribunatum vero plebis*, inquit, *longo tempore nihil cum Patribus conſociatum habuiſſe comperimus; niſi, cum finito Decemvirali imperio, novos Tribunos plebis cooptari oporteret; Sp. Tarpejum, & Aterium Patricios, & Conſulares in Collegium Tribunorum aſciverunt; & mox Minucius Magiſter Equitum, qui de Sp. Melio ſumſit pœnas, & poſtea Appius Pulcher, ut Ptolemæo bellum indiceret, & deinde P. Clodius, ut Tribunus plebis fieret a Patribus ad plebem tranſierunt; donec poſt*

Syllæ

Syllæ tempora Tribunatus plebis a Patriciis, ſummis honoribus functis appeti cœpit.

De aliis Patriciis Magiſtratibus, atque muneribus Plebi communicatis.

CAPUT VII.

SYNOPSIS.

I. *Decemviri Conſulibus ſuffecti; eorumque Regia Majeſtas.* II. *Ipſorum munus: Iis Appii Claudii libido finem fecit.* III. *Conſules iterum creantur.* IV. *Lex de Connubiis a Canulejo lata; Plebis de Tribunatu Militum, & Quæſtura communicanda petitio: Equatus Magiſtratuum, Plebejorum, & Patriciorum numerus.* V. *Conſulatus plebi communicandi occaſio.* VI. *Prætura, & Ædiles curules inſtituti: Eoſdem Magiſtratus Patricii ſuſcipiunt.* VII. *Ædiles curules qui, & quot eſſent?* VIII. *Interrex ſemper Patricius; nec unquam e Plebe lectus.*

I. Conceſſa Plebi, Magiſtratum adverſus Patriciorum potentiam, ſibi conſtituendi poteſtate, Patricii commoti: ſive ut eidem majoris imperii, & auctoritatis Magiſtratum objicerent, ſive, ut plures eſſent in Magiſtratu Patricii, per ſpeciem tuendarum legum, quæ paullo ante ex Græcia per Legatos Romam perlatæ fuerant, Conſulibus, qui tum duo erant, Decemviros Patricios, eodem regio auctos imperio, & poteſtate ſufficiunt; quibus, & cura legum, & Urbis regimen, ſicut antea apud Conſules fuerat, committitur. De re ipſa Livius *lib. 3. Anno trecenteſimo altero, quo condita Roma erat, iterum mutatur forma Civitatis ab Conſulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus ad Conſules venerat, translato imperio, minus inſignis, quia non diuturna, mutatio*

tatio fuit; *Læta enim principia Magiſtratus ejus nimis luxuriaverunt*; *eo citius lapſa res eſt*: Huic Magiſtratui creando originem, cauſſamque præbuit Plebis Patrumque diſcordia de legibus ferendis, quas plebs abſque Tribunorum conſenſu Patricios edere non poſſe contendebat, ac jus illarum ferendarum, quod prius ſolum iis erat, adimere volebat. Poſt Reges quippe exactos ſimul, & cum his, eorumdem abrogatis legibus, ne qua videlicet regiæ poteſtatis umbra ſupereſſet; exceptis legibus Servii de contractibus, quæ paullo ante a Tarquinio Superbo abolitæ, tunc libera Republica ratæ fuerunt; Populus Romanus in privatis controverſiis incerto magis jure, & conſuetudine egebat; Unde Coſſ. Patriciis & Potentioribus pro arbitrio ſuo nullo ſatis legis præſcripto jus reddendi poteſtas erat: Inde edendis legibus, quarum pauciſſimæ erant in Pontificum libros relatæ, ſeditionum, & diſcordiarum colluvies enata; ut refert Jacobus Gothofredus in *hiſtor.*, *ſeu progreſſ. juris civilis Romani cap.*2. Quod vero ad utriuſque partis, tum Plebis, tum Patrum ſedandos animos viſum eſt neceſſarium, ut neutri ſcilicet liberum jus condendarum legum permitteretur, in id conventum fuit, conſtitutumque eſt, ut Athenas a Solone recipiendis legibus Legati mitterentur. Quamobrem, quum Romam ipſi rediiſſent cum Atticis legibus, inſtare primum cœperunt Tribuni, ut earumdem ſcribendarum initium fieret, deinde, ut crearentur Decemviri ſine provocatione; aliuſque eo anno in Republica eſſet Magiſtratus. In hoc vero, utrum admittendi eſſent plebeji, aliquandiu diſceptatum fuit; quem tandem ſibi ſuſcepere Patricii. De re ipſa Livius eodem loco: *Admiſcerentur ne plebeji controverſia aliquandiu fuit*; *poſtremo conceſſum Patribus*; *conceſſumque iis*, *qui deſignati Conſules cum in annum fuerant*, *ut pro honore honos redderetur*. His proximiores illi legati habiti, qui Athenas ierant, ut ſimul pro tam longinqua legatione ſuſcepta præmii loco eſſet honos; Illos demum

demum expleviſſe Decemvirorum numerum, qui ſimul periti legum peregrinarum ad nova condenda jura uſui fore credebantur, prodit Livius *eodem lib.3*. Initium ejus Magiſtratus, primuſque honoris dies denunciatione ingentis terroris inſignis eſt factus: Nam omnes cum duodenis faſcibus in Curiam, & per Urbem prodierunt, centum viginti lictoribus ipſos comitantibus cum faſcibus, ſecuribus, alligatis. *Decem Regum* (inquit Livius) *ſpecies erat, multiplicatuſque terror non infimis ſolum, ſed primoribus Patribus*.

II. Atque hinc primum ingenti exſpectatione propoſitis decem tabulis legum populum ad concionem advocarunt: & quod bonum, fauſtumque ac felix Reipublicæ, ipſis, Liberiſque eorum eſſet ire, & leges propoſitas juſſere: ſe quantum hominum ingeniis provideri potuerint, omnibus ſummis, infimiſque jura æquaſſe. Ita decem tabularum leges centuriatis Comitiis latæ ſunt, iiſque duæ adjectæ, quibus veluti corpus omnis Romani juris abſolvendum eſſe, ſancitum fuit: Quod nunc quoque in hoc immenſo aliarum Legum cumulo omnis publici, privatique juris fons eſt. Nihil interea populo reliquum erat præſidii: Quum ab ipſo Magiſtratu provocatio non eſſet, interceſſione quoque ſublata. Priores Decemviri corrigi vulgata ab ſe jura volebant, & quædam, quæ ſui judicii videri poterant, rejiciebant ad populum. Jus decimo quoque die ſinguli reddebant, eoque penes Præfectum juris faſces duodecim erant, novem collegis ſinguli accenſi apparebant, &, ut ibidem Livius monet: *In unica concordia inter ipſos, ſumma adverſus alios æquitas erat*. Hinc eodem teſte Livio: *Circumſpectare tum Patriciorum vultus, plebs, & inde libertatis captare auram, inde ſervitutem timendo, in eum ſtatum Rempublicam adduxerant; primores Patrum odiſſe Decemviros, odiſſe plebem; nec probare, quæ fierent, & credere haud indignis accidere; avide ruendo ad libertatem, in ſervitutem elapſos juvare nolle;*

L *cumu-*

cumulare quoque injurias, ut tædio præſentium Conſules duo tandem, & ſtatus priſtinus rerum in deſiderium veniant. Porro in indictis futuris comitiis ad tuendam Tribuniciam poteſtatem, cui haud parum fræno erant Decemviri, plebs, Patriciis corruptis juvenibus, auferre hunc Magiſtratum tentavit. Ad populum M. Horatius Barbatus Tribunus plebis expoſuit: ipſum non ferre tot privatorum hominum ſuperbiam, violentiamque, quæ in Regibus ipſis, eorumque liberis ferenda non fuit; ipſum ſemper objectum ſeditioſis Patriciis, qui Primi, omnes ſuſcepere Magiſtratus; ut nil aliud tandem ſupereſſet tribunitiæ poteſtati, ac libertati, quo minus in apertam jacturam incidat. Id quamvis tum a Decemviris ſuperatum fuerit, nihilominus eodem Livio teſte, peſſima in vulgus erat Decemvirorum fama; ut tandem idem fatum, quod Reges ipſi ſubierint; ac par nefas ab libidine ortum Decemviralis imperii finem fecerit. Appii ſiquidem Claudii Decemviri Virginis plebejæ ſtuprandæ libido in cauſſa fuit, ut plebs adverſus eos ſecederet, & concitaretur: ingentique certamine Magiſtratum abrogaret, quam hiſtoriam late, eleganterque Livius *lib.* 3. deſcribit.

III. Hæc de ſublato Decemviratu victoria plebis magis magiſque eam adverſus Patricios inflammavit; Paullo poſt ſiquidem Pontifice Maximo habente comitia; Tribuni plebis, omnium primi illi creantur, qui ſeceſſionis fuerunt auctores. Tribunatu ab his inito, L. Icilius, qui Sponſus Virginiæ plebejæ Virgini ab Appio de Stupro tentatæ, deſtinatus fuerat, plebem extemplo rogavit, ne cui fraudi eſſet ab Decemviris ſeceſſio facta, confeſtim de Conſulibus creandis cum provocatione rogationem ferret: quam pro voto mox tulit M. Druilius. Quamobrem, quod plurimum in cauſſa fuit ſedandis incitatæ plebis animis, Conſules iterum duo creati fuerunt; qui Patricios teneri plebiſcitis peculiari lege, centuriatis comitiis lata pronunciarunt. Cui alteram addidere de provocatione;

quam

quam velut unicum popularis libertatis præſidium poſt Decemviralem everſam poteſtatem reſtituunt, muniuntque: novam rurſus ſanciendo legem, ne quis ullum ſine provocatione Magiſtratum iniret: qui creaſſet, cum jus faſque eſſet occidi. Quum autem plebem hinc provocatio, hinc tribunitium auxilium ſatis firmaſſent, ipſos quoque Tribunos, ut ſacroſancti viderentur, quibuſdam adhibitis cæremoniis renovarunt, & cum religione, tum etiam lege eos inviolatos fecerunt, ſtatuentes: qui Tribunis plebis, Ædilibus, Judicibus nocuiſſet, ejus caput Jovi ſacrum eſſet: Deinde ab eiſdem Coſs. fuit conſtitutum, ut Senatuſconſulta in ædem Cæreris ad Ædiles plebis deferrerentur; quæ antea Conſulum variabantur arbitrio, ac ſupprimebantur. Hæc omnia invitis, non tamen adverſantibus Patriciis tranſacta. Ac iis quidem tunc plebis ſeceſſio haud parum fræno erat, ut Livius enunciato loco hæc referens tradit. Verum ex ipſis actis adeo adverſus Patricios inſolentia plebis excrevit, ut promiſcua ſibi, atque communia vellet omnia Patriciorum Sacerdotia, de quibus ſupra verba fecimus, omneſque Magiſtratus Patricios. Quod & tentavit primum, & vi deinde obtinere contendit, quemadmodum in oratione ſua Canulejum Tribunum plebis de communicandis connubiis palam vociferatum fuiſſe patet ex Livio *lib*.4.

IV. Ipſe fretus ſucceſſu plebis de Decemviris intra decem annos ſublatis, legem de promiſcuis cum Plebe, & Patriciis connubiis, magna licet contentione, Patribus repugnantibus promulgat, poſtquam oratione ſua ad populum expoſuit ea prohibitione ſibi diremtam ſocietatem civilem eſſe, intra mœnia ejuſdem Civitatis exilium pati; nec aliam, illam, quam Patriciorum eſſe libidinem: eaque prohibitione iniquiſſimæ legis vinculis obſtrictam gemere: tanto magis, quia narrante Livio: *Nemo plebejus Patriciæ Virgini vim afferret; Patriciorum iſta libido eſt, nemo invitum pactionem nuptialem quemquam facere*

coegiſſet. Accenſi ſubinde alii Tribuni ad alia certamina pro rogationibus ſuis ſumma vi pugnant, & creſcentis famæ belli occaſione arrepta, delectum, quem tunc in Comitiis pro Tribunis militum creandis, facere debebant Patricii, impedire ſtudent, niſi ipſi ex Patriciis, & Plebejis Conſulari poteſtate fieri promiſcue ſinerent. Exigente belli neceſſitate, lex de Connubiis, & de creandis etiam ex plebe Tribunis militum accepta eſt, quamvis Comitiorum eventus uſquequaque adverſus Patricios minime fuerit; Ut enim narrat Livius *lib*.4. *Animos in contentione libertatis, dignitatiſque alios ſecundum depoſita certamina incorrupto judicio fuiſſe. Tribunos enim omnes Patricios creavit*. Interea, quo plures adhuc in Republica eſſent Patricii Magiſtratus, cenſura inſtituitur ſummæ auctoritatis Magiſtratus, de quo ſupra verba fecimus; quo facto paullo poſt iterum ex tranquillo inopinata diſcordiarum moles inter plebem, ac patres eſt orta. Ea Tribuni excitantur, pro æquando tum Tribunorum Militum, atque Quæſtorum numero, ex Patribus diligendorum, & Plebe. Poſtulatum etiam audacter eſt, ut ſicuti in Tribunis Militum Conſulari poteſtate creandis, ita in Quæſtoribus renunciandis liberum eſſet arbitrium populi; quare quæſtoriis Comitiis ex quatuor Quæſtoribus unus dumtaxat Patricius renunciatus fuit, ut Livius *lib*. 4. ſcribit. Conqueſti ſunt interim Patricii, ita patefactum fuiſſe Plebejis aditum ad Conſulatum, ad triumphos, ceteroſque honores. Quum autem diu inconſtanti fato Tribunos Militum modo promiſcue Patricios, modo Plebem habuiſſe conſpicerent, omnem deinde vim adhibuerunt, ut Patricii anno CCCLXXIX., hunc Tribunorum militum locum a Plebe uſurpatum recuperarent, quo tempore plebs coacta Principum opibus Tribunos Militares, omnes Patricios legit, ut idem narrat Livius *lib*. 6.

V. Conceptus a Patriciis timor, quod ad Conſulatum, unicum ipſorum libertatis præſidium, facile pateret plebi,

plebi, per ſuos Tribunos aditus, non fruſtravit animos: Non magno ſiquidem intervallo poſt arreptam quæſturam, & ut vidimus controverſum Tribunatum Militum: Conſules fieri etiam ex Plebe cœperunt. Occaſionem præbuere duæ filiæ M. Fabii Ambuſti, qui bis Tribunus Militum, Cenſor, & Pontifex Maximus fuit: quarum altera major natu Ser. Sulpitio Viro patricio nupta erat; altera minor L. Licinio Stoloni, illuſtri quidem viro, tamen plebejo; ut narrat Livius *lib.6.* Hanc ferunt invidia Sororis patricio nuptæ, quum ampliſſimis Magiſtratibus ejus familiam, domumque exornatam cerneret, impetraſſe a Patre, & Viro, ut in hanc rem maxime incumberent, ne Conſulatus, quem hactenus geſſere Patricii, Plebejis deeſſet. Ejus voto caſus opportune favit, ac vehementiores adjecit ſtimulos. Forte accidit, ut illa ad rumorem, quem *Lictor* Viri Sororis virga excitavit, expaveſceret; Deluſa proinde ſuperbe a ſorore, riſuque excepta, quod ipſa uti viro nupta Plebejo aſſueta ad id minime eſſet, magis magiſque recenti confuſa metu, ac nova injuria, quum ſe contuliſſet ad Patrem, eidem perconctanti doloris cauſſam, enarravit; Qui filiam ſolaturus, eoſdem prope diem, honores viſuram domi, quos apud Sororem viderat, eſt pollicitus. Novandarum rerum occaſio promtior eſſe non poterat, ingenti ſiquidem ære alieno, quo plebs miſerrime premebatur, levari non poterat, niſi ſuis ſummo in imperio locatis. De re ipſa perficienda fuerunt conſilia inita, adhibito L. Sextio ſtrenuo adoleſcente, *cujus ſpei*, ut Livius ſcribit, *nihil præter genus Patricium deeſſet*. Creati interea Tribuni Cajus Licinius, & L. Sextius Leges promulgavere adverſus Patriciorum opes pro commodis plebis: quarum præcipua fuit de ære alieno, ut eo, quod pro uſuris prænumeratum eſſet, in ſatisfactionem debiti computato, quod ſupererat, triennio æquis portionibus diſſolveretur. Altera extitit de modo agrorum, qua ſcilicet cautum fuit, ne quis plus quingenta agri jugera

gera poſſidere poſſet; Tertia, ne Tribunorum Militum comitia fierent, ſed Conſulum, ut alter omnino crearetur ex plebe. Legem hanc Calvus Tribunus plebis inter magnas, ac pertinaces contentiones adeo ſtrenue tuitus eſt, ut nulla haberi comitia permiſerit, niſi eadem lata. Quamobrem eodem Livio teſte, Curulibus Magiſtratibus, toto quinquennio Roma caruit; atque inde primus ex plebe Conſul renunciatus eſt L. Sextius, quod referunt etiam, & illuſtrant Auguſtinus de legibus in *Licinia*, & *Fabia*, Manutius item de legibus *cap.5.*, Prævottus *de Magiſtrat. cap. 5.*

VI. Occupata a plebe firmiſſima Patriciorum arce, quæ, ut dictum eſt, merito habebatur Conſulatus; paullo poſt, ut ſcribit Panvinus *de Civit. Rom.* ejus conditionem exquirens poſt communicatum plebi Conſulatum: *Imperium*, *Dictaturam*, *Cenſuram*, *Proconſulatum*, *Præturam*, *Sacra*, *Sacerdotia*, *quæ tantum Patriciorum fuerant*, *obtinuit*. Interim vero, ne omnis a Patriciis exiret poteſtas, novi invehuntur in Rempublicam Magiſtratus, Prætura nimirum, & Ædiles Curules, quos illi ſuſcipiunt. *Annus hic*, inquit Livius, *lib. 7. Erit inſignis novi hominis Conſulatu, inſignis novis duobus Magiſtratibus*, *Prætura*, *& Curuli ædilitate*; *Hos ſibi Patricii quæſiere honores pro conceſſo Plebi altero Conſulatu.* Creandi Prætoris cauſſam Juriſconſultus *in leg.* 1. §.37. *ff. de Origin. juris* ita aperit: *Quum Conſules avocarentur bellis finitimis*, *neque eſſet*, *qui in Civitate jus redderet*, *factum eſt*, *ut Prætor crearetur*. Prætor Conſulum dicebatur collega, iiſdem auſpiciis, quibus Coſs., creabatur, ut conſtat ex Livio *lib.*7. quo nomine Gellius *cap.*13., & Lipſius *de Magiſtr. Rom. cap.*10. illum appellant. Duplex autem Prætor erat: alter *Urbanus*, qui Civibus Romanis juri dicundo erat præpoſitus, *alter peregrinus*, qui Urbano veluti in ſupplementum fuit adjectus, quum hic omnibus magna ad Urbem affluentibus multitudine ſatisfacere minime poſſet,

Digitized by Google

ſet, ut Pomponius §. 28. ſcribit. Inſigne Prætoris erat prætexta, & ſella Curulis, qua tam in publico, quam privato loco ſedebat; Haſtam quoque, & gladium jn juriſdictionis argumentum habebat, lictoreſque cum duobus faſcibus anteibant. Ex Patriciis autem illi creabantur: quippe qui omnium primi hunc Magiſtratum geſſere, ut ſupra vidimus; quin imo conſtat ex teſtimonio Manutii in *libro de legibus cap.5.* Camillum Dictatorem, qui controverſias tam proſpere inter Patricios, Plebemque ſedavit, legem tuliſſe de Prætore ex ſolis Patriciis creando.

VII. Haud ita multo poſt Tribuni plebis iterum invidere Patriciis hos prætextatos curulibus ſellis Magiſtratus cœperunt: ægreferentes illos, tam inſignes honores retuliſſe pro conceſſo Plebi altero Conſulatu: Qua de re eodem *libro* 7. narrat Livius: *Silentium omnium rerum, juſtitio ſimul otium fuit, niſi quod non patientibus tacitum Tribunis, quod pro Conſule uno plebejo, tres Patricios Magiſtratus Curulibus ſellis prætextatos, tanquam Coſs. ſedentes nobilitas ſibi ſumſiſſet. Prætorem quidem, etiam jura reddentem, & collegam Conſulibus, atque eiſdem auſpiciis creatum.* Hinc contentio in concione exorta, ut ex plebe quoque ædiles Curules crearentur, adeout pro concordia, eo res perducta fuerit, ut alternis annis ædiles curules ex plebe fierent, quod tamen poſtea promiſcuum fuit: accedente in omnibus ædilium Curulium Comitiis ſuffragio populi: ut oſtendit Manutius *in lib. de legibus cap.* 5. Jampridem vero Livius recitato loco ſcripſerat, Ædilium imperium antiquiſſimum Romæ fuerat; At primum quidem ea de cauſſa creatos Ædiles fuiſſe, ut plebiſcita in ædem Cereris inferri, & illata curarent, atque ædium ſacrarum, privatarumque curam haberent, Pomponius in *leg. itemque ff. de origin. juris* affirmat: & Pancirolus de *Municip. Magiſtr. cap.* 19. Eorumdem quoque munus erat, curare annonam, ædificia publica, ac publicas vias: Vias enim Urbis Militares, eorumque margi-

nes

nes munire, pontes idoneis locis opportunos conſtruere: impedire ne vicinis ſtillicidia nocerent ædibus; neve morticina, aliæque ſordes in publicum effunderentur, cum aliis id genus debebant, quæ referunt Borgier. de *Viis Militar. lib.* 1. *ſect.* 3. §. 5., & Pancirolus *de Magiſtr. Municip. c.* 19. Hanc quoque curam ſumſiſſe ædiles Curules putat Sigonius *de antiq. jure Civi. Rom. lib.* 1. *cap.* 20., ut ludos Romanos curarent, quorum cura ab Ædilibus plebis, fuerat jam pridem neglecta, ac recuſata. Ædiles curules inter reliquos Magiſtratus ſella Curuli vehebantur, ac in ſella eburnea jus dicebant, ut Panvinus *de Civit. Rom.* de tributis Comitiis agens, affirmat; Idcirco *major Ædilitas* appellatur a Plutarcho *in Mario*, & a Lipſio *de Magiſtr. Rom. cap.* 12.

VIII. Enarratis hucuſque pro illorum diſcrimine, & origine Magiſtratibus Romanæ Reipublicæ, eorumque fortuna varia, qua ipſos Patricii primum, deinde Plebeji promiſcue ſuſceperunt patefacta, ſupervacuum ducimus in reliquis immorari, qui progreſſu temporis, vel aucti, vel invecti ſunt. Quorum notitiam Lector plene, exacteque diſcet ex Caſalio, Manutio, Panvino, Sigonio, ceteriſque optime de Romana hiſtoria, & antiquitate meritis Scriptoribus. Et quidem ad eoſdem, tum Patriciis, tum Plebejis, promiſcue ſuſcipiendos aditus perinde patuit. Quamobrem Livius tot plebejos expendens Conſules, tot Dictatores, tot exercituum Duces, atque triumphos *lib.* 10. ingenue fatetur: *Pro certo haberi, ſi quod bellum oriatur, non plus ſpei fore Senatui, populoque Romano in Patriciis, quam in Plebejis Ducibus*. Id ſolum interea conſequi plebs numquam potuit, ut ex ea Interrex crearetur, quem Magiſtratum civilibus vigentibus bellis Patricii non ſolum geſſere; verum etiam renunciarunt. Quando enim Ordinum, Magiſtratuumque contentione, vel Candidatorum ambitu, vel alia quavis ratione ante anni exitum perfici minime poterant Conſularia Comitia, Patricii coibant ad deli-

deligendum Interregem, qui dies quinque imperaret. Quibus elapſis alius deinde creabatur, eodemque modo alii, atque alii, ſingulis quinque diebus, donec ſubrogati eſſent Conſules, qui Magiſtratum inirent. Unde Livius *lib.* 3. *Cum pars major inſequentis anni per novos Tribunos plebis, & aliquot Interreges certaminibus extracta eſſet, modo prohibentibus Tribunis, Patricios coire ad prodendum Interregem, interpellantibus, ne Senatus conſultum de Comitiis conſularibus faceret*. Sic *lib.*4. narrat, quum vigentibus adhuc inter Patricios, & Plebem diſcordiis, Reſpublica eſſet ſine curuli Magiſtratu, Patricios conveniſſe, & Interregem creaſſe. *lib.vero* 7. prodit rem ad Interregnum perductam, Patricioſque Interregem prodidiſſe, quum certamen eſſet de modo convocandi Comitia. Et rurſus eodem libro: *Alia ſententia*, inquit, *aperitur, quæ in ſpeciem, vim minorem aliquanto habuit, quæ Patricios coire ad prodendum Interregem jubebat*. Interregis per Patricios delecti exempla & teſtimonia, in Romana hiſtoria apud Livium ipſum, & alios paſſim occurrunt, quæ omni prorſus ex parte Panvini *de Civit. Rom.* effatum veriſſimum comprobant: *Interregem, Comitiorum habendorum cauſſa non niſi Patricium, & a Patriciis prodi ſolitum*.

De Patriciis Plebejorum, Civitatum, & Collegiorum Patronis.

CAPUT VIII.

SYNOPSIS.

I. *Lex a Romulo lata, de eligendo ex Patriciis Patrono, quem vellent Plebeji*. II. *Clientelæ bujuſmodi arctiſſimum inter eos vinculum*. III. *Patronorum in Clientes beneficia*. IV. *Patriciis perhonorificum Magnum Clientum oſtentare numerum*. V. *Clientum erga Patronos obſequia*. VI. *Mutua inter eoſdem officia*. VII.

 Ci-

Civitates Patronos ſibi Patricios deligebant. VIII. *Duplicis illi erant generis: alii adſciti, alii ab origine.* IX. *Legati ad Patronos miſſi cum electionis decreto, ut eam ratam haberent.* X. *Tabula patronatus domi Patroni collocabatur.* XI. *Monimenta Patronorum.* XII. *Statuæ ſolemnis dedicatio.* XIII. *Patroni originarii qui?* XIV. *Collegia artium etiam vilium Patronos deligebant.* XV. *Patricii, vel Cives Romani Coloniarum, Municipiorum, ac Provinciarum Patroni eligebantur. Ab collegiis autem Milites, ac etiam Fœminæ.*

I. Quamvis initio Romanæ Reipublicæ, ut ſupra vidimus, nonniſi Patricii a Romulo pro illa adminiſtranda delecti fuerint, ab reliqua populari diſcreti turba, cui cetera infimi ordinis munia agenda commiſit; nihilominus, ut ſtabilis utroſque concordia jungeret, quod, ad id maxime fuit opportunum, inſtituit, ut cuilibet Plebejo liceret, liberumque eſſet ſe patrocinio, ac fidei alicujus Patricii committere; quo ſe ab potentibus tueretur. Id certe plurimum, diuque valuit ad mutuam inter Cives ſocietatem, officiorumque communicationem retinendam, illuſtraturque teſtimonio Halicarnaſ. *lib.*2. a Martino Magero *de Advoc. arm. cap.*5. Franciſcus vero Polletus Duacenſis in hiſtoria fori Romani illuſtrata, & aucta corollariis, & prætermiſſis a Philippo Broideo Arienſi, *lib.*2. *cap.*10. *p.*26., *& ſeq.* de re ipſa hæc habet: *Ratio Patronatus, & Clientelæ in Urbem, primum a Romulo invecta eſt, diviſo populo in duos primum ordines, Plebejum, & Patricium; Ut autem in cenſus æqualitate mutua inter Cives ſocietas, officiorumque neceſſariorum communicatio retineretur, inſtituit, liberumque fecit plebejis, ut (quoniam paupertas male tuta eſſet, a divitiis, ſemperque ſibi diffidit) in fidem, clientelam, & patrocinium, cujus vellent ex Patriciis ſeſe quaſi manciparent; operas, obſequia,*

ſequia, & omne genus officii præſtando; ita viciſſim Patricii, ut tutores, & vindices Clientum in fidem receptorum nihil beneficii omitterent. Hinc lex inſcripta legitur eidem Romulo in veteri Juriſprudentia Pandulphi Pratei J. C. *Plebeji, quem ſibi ex Patriciis Patronum volent, eligunto*: cujus deinde, ut ſolemnis, diuque exſtaret memoria, Decemviri in ſuis tabulis, eiſdem verbis expreſſam voluerunt, ut tradit Sichardus *vet. juriſprud. lib.* 3. ad leges Romuli, notatque eodem loco Magerus *num.* 30.

II. Hujuſmodi clientelæ vinculum adeo arctum, atque præcipuum exiſtimatum eſt, tantaque præterea veneratione apud Romanos habitum, ut lege antiqua cautum fuerit, a Patriciis, Clientes ita ſibi charos habendos, ac ſi proprii eſſent liberi, ac ſanguine juncti. Ut referunt Gellius *noct. attic. lib.* 20. *cap.* 1. & Alexander ab Alexandro *dier. genial. lib.* 20. *cap.* 10. Quin imo Marco Catone auctore Patronorum, & Clientum inter ſe conjunctio, arctior, quam agnatorum, propinquorumque habebatur; quod Gellius *de gradu, & Officior. ordine* diſſerens *lib.* 20. *cap.* 1. refert. Idem *lib.* 5. *cap.* 13. oſtendit, more majorum, ſecundum parentes, primum pupillos tenuiſſe locum creditos fidei Tutorum; deinde Clientes, qui ſe in tutelam, & patrocinium Patriciorum contulerunt; tertium denique locum habuiſſe hoſpites, poſtremum cognatos, atque affines, quod & Maſſurius Sabinus J. C. *lib.* 3. tradit: Ex eo porro tam arcto neceſſitudinis, & conjunctionis vinculo tanta inter eoſdem exſtitit fides, ut Patroni etiam contra proprios Cognatos, Clientum defenſionem ſubire tenerentur, idem Gellius prodidit & Gregorius Tholoſan. *ſyntag. juris univerſ. lib.* 47. *cap.* 7. *n.* 18. Quod ſi Patronus aliquis vel in minimo neglexiſſe Clientem convinceretur, Diti ſacer prævaricator eſſet, quemadmodum Dionyſii, & Gellii teſtimonio tradit Kippingus *lib. altero Romanar. antiq. cap.* 1. *nu.* 4. Mos enim erat Romanis, quos vellent impune occidi Diti, & Diis inferis de-

vovere, ut explicat Joannes Roſſinus *antiquit. Romanar. lib.* 1. *cap.* 1. & Balduinus *ad legem XII. tabular. cap.* 5. *Sacer homo* propterea is dicebatur, quem ob maleficium populus judicarat, quem ſi quis occideret, extra omnem noxam erat, neque parricidii damnabatur. Lege ſiquidem tribunicia prima cavebatur: *ſi eum, qui plebiſcito ſacer eſſet, occiderit Parricida non eſſet*: Sacros propterea alio nomine vocabant antiqui, homines execrandos, ac deteſtandos, qui nimirum ob maleficium judicati, damnatique erant, & quibus ſacra interdicebantur, ut prolixe explicat Budæus *in annot. ad pandectas ad tit. ff. de pœnis*.

III. Quo vero ſtabilius clientelæ hujuſmodi diſciplina ſervaretur, atque perſiſteret, Romulus ipſe certa, tum Patronis, tum Clientibus ſanxit officia, quibus utrique mutua inter ſe quædam habuere inſtituta humanitatis, & benevolentiæ, quæ recenſet Dionyſius *lib. altero Roman. antiquitat.* Ac primo quidem Patroni jura Clientibus, quorum rudes, ignarique erant, interpretabantur, ac de eiſdem reſpondebant: Secundo pro iis injuſte aliorum potentia oppreſſis in judicio reſpondebant, totiſque eos viribus defendebant. Tertio pro eiſdem injuria affectis lites ſuſcipiebant, eorumque cauſſas contra accuſantes agebant. Plerumque etiam ad ipſos veluti Arbitros lites Clientum fuiſſe delatas cenſet citato paullo ante loco Henricus Kippingus; Unde, & Horatius *lib.* 2. *epiſt.*1. idem ſpectans cecinit.

Romæ dulce diu fuit, & ſolemne recluſa
Mane domo vigilare, Clienti promere jura.

Idque factum, ne ſumptibus ad publica ineunda judicia rem attenuarent domeſticam. Ipſorum tandem, ſive abſentium, ſive præſentium curam gerebant Patroni. Quamobrem Magerus eodem loco *num.* 34. addit; *In eos beneficia contulerunt, quæ Parentes in filios ſolent, omnem illis quietem publice, & private quærentes*: Quod & Joannes Roſſinus *antiquit. Roman. lib.* 1. *cap.*16. tradidit.

IV. Ma-

Digitized by Google

IV. Maximo proinde honoris loco utrique hujuſmodi clientela, & patronatus cedebat; profecto Patroni adeo in Clientes effuſi, atque benefici eſſe conſueverunt, ut in litibus quoque actorum, ſeu procuratorum fungerentur munere; neque Patriciæ dignitati, & decori, id officiebat; imo quo major cuique Patricio, erat Clientum numerus, eo amplior, & illuſtrior illius habebatur præſtantia. Hinc Horatius *lib.* 3. *Carminum Ode* 1. oſtendit in quibuſdam Candidatis valere nobilitatem generis, in aliis celebrem famam virtutis, magnum tandem in aliis Clientum numerum.

——— Hic generoſior
Deſcendat in campum petitor,
Moribus hic, meliorque fama
Contendat, illi turba Clientum
Sit major.

Sic Appius Claudius, a quo & Appiorum familia ab Sabinis orta propagata eſt, Romam cum quinque millibus Clientibus migraſſe traditur, ut narrat Tranquillus in Tiberio, ubi ſcribit: *Patricia gens Claudia orta eſt ex Regillis Oppido Sabinorum, inde Romam recens conditam cum magna Clientum manu commigravit auctore Tito Tatio conſorte Romuli*: Idem ſcribit Livius *lib.* 2. Præcipuus quoque iis erat honos, ac decus, quando litis victoriam eorum ope, atque auxilio Clientes obtinebant. In obtentæ ſiquidem propitiæ ſententiæ publicum ſignum ad fores Patroni coronam ſuſpendebant, quam ſpectavit Martialis *lib.* 7. *epigramm.*

Si Fora mirentur, ſi te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

Neque demum Clientes, ſi quæ (ut infra videbimus) erga Patronos obſequia præſtare tenebantur, quod quidam putarunt, redigebantur in Patronorum poteſtatem. Cives enim, & ipſi erant, non ſervi, quamvis omnes Clientes ex patronorum Clientela ſimul cum familia univerſa libertos

bertos vocatos fuiſſe opinatus fuerit Franciſcus Polletus in hiſtoria fori Romani *lib. altero cap.* 20. Unde paullo ante laudatus Kippingus recte obſervavit: *Hi Clientes vocabantur, non quidem redacti in poteſtatem Patronorum,* (*Cives enim erant*,) *ſed tamen in omni obſequio eorum obligati*.

V. Plurima enim vero erant Clientum erga Patronos obſequia, quæ omnia *ex recitato c.5.* Martini Mageri de Advocat. armata breviter recenſebimus. Primo quidem, Patricios Patronos ſuos in omnibus honeſtis obſequentes rebus, ad paupertatem redactos pecunia, aliiſque juvabant opibus: maxime autem egentibus dotem filiarum, cum eas nuptui traderent, conſtituebant. Secundo, ſi quis Patronus in vincula conjectus, aut aliquis ex ejuſdem liberis, ab hoſtibus captus eſſet, quam primum, redimere curabant. III. a Creditoribus nexos, vel ære alieno mulctatos propria liberabant pecunia, idque non coacte, ſeu gravatim, ſed ſponte, promtaque benevolentia; nec quaſi fœnoris loco, ſed ad referendam Patrono ſuo gratiam. IV. Clientes Patronis non pace tantum, domique, ſed in ceteris etiam negociis, periculis, belloque præſto erant; & aderant. V. Ut ex Plauti verbis licet conjicere. Clientes olim in æde ſacra convivium apparare Patronis ſuis conſueverant, quam *cœnam popularem* vocabant; quod notavit, & Faber *in libro Semeſtr. cap. 6.* Sic autem apud Plautum Philo loquitur *in Trinummo act. 2. ſcena* 4.

—— *Quid tunc in ædem ad cœnam veneris,*
Atque ibi opulentus tibi par, forte uti venerit,
Appoſita ſit cœna, popularem, quam vocant,
Si illi congeſtæ ſint epulæ a Clientibus
Si quid tibi placeat, quod illi congeſtum ſiet,
Edaſne, an incœnatus cum opulento accubes?

VI. Munuſcula Patronis ſuis Kalendis Januarii tenuia quidem, ſed grati animi perſpicua argumenta, mittere ſolebant,

lebant, nempe aſſem minimum, mel cum caricis, & dactylis palmarum inauratis, ut oſtendit Thomas Dempſterus *in paralipom. ad antiquit. Roman. Roſſini lib.5.cap.32.* & Ovidius ſequentibus indicat carminibus *lib.1. Faſtor.*

Quid vult palma ſibi, nugoſaque carica dixi,
Et data ſub niveo condita mella cado?
Omen ait, cauſſa eſt, ut res ſapor ille ſequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter
Dulcia cur dentur, video.

VII. Tandem honoris cauſſa; Clientes magno numero Patronos comitabantur, dum iidem filios ſuos naturales, vel adoptivos in forum deducebant, eo die quo togam virilem ſumebant, & ſingulis, vel privatis Senatoribus commendabantur tota comitante Clientum turba. Ut tradit idem Dempſterus ibidem.

VI. Hæc erga Patronos Clientum, & Patronorum erga Clientes obſequia erant, & libera officia. Mutua tamen, quæque alternatim, alter alteri præſtare tenebatur, & alia permulta ſunt: Neutri fas erat ſe in judiciis invicem accuſare. Unde Patronus contra Clientem, qui furatus ſibi aliquid eſſet pro re ſua vindicanda actionem non habebat, ut patet *ex leg.* 89. *ff. de furtis*, docetque Tholoſan. *ſyntag. juris univerſ. lib.* 47. *cap.*7. *num.*16., nec adverſus ſe teſtimonium, vel ſuffragium ferre, vel cum alterutrius inimicis ſocietatem inire poterant, ut eodem loco Magerus demonſtrat *num.*17. Qui contra feciſſet, Diis inferis devovebatur, & lege de proditoribus, quam ipſe Romulus ſanxerat, tenebatur: convictumque eo crimine cuique licebat, uti Jovi ſacrum occidere. Quamobrem Servius exponens illud Virgilii: *Et fraus innexa Clienti*, ait: *In XII. tabulis ſcriptam hanc fuiſſe legem, ſi Clienti fraudem faxit Sacer eſto; quam Theodorus Marcilius pleniorem, uberioremque tulit ex Halicarnaſs. hiſtor. Roman. lib. altero.* Clientibus, atque Patronis aſſiduum fere certamen erat beneficia ſibi invicem exhibendi, ne mutua vincerentur gra-

gratia, ac benevolentia. Cliens enim totis enitebatur viribus, ut nullum Patronis negaret, viciſſimque Patroni nullo corrumpi poſſent pretio, nullamque pecuniam, vel aliud accipiebant donum, quo Clientibus moleſtiam inferrent, aut quidquam paterent detrimenti, quemadmodum teſtantur Halicarnaſſ. dicto *lib.* 2. Plutarchus *in Romulo*, & Gellius *noct. attic. lib.* 5. *cap.* 13., & Magerus loco indicato.

VII. Ex hujuſmodi conſtituto patrocinio, vigente Republica, uſus item conſtituendi ſibi Patronos Romanos Patricios ex libera exterorum Populorum electione ſumſit initium. Idque Romanorum virtuti, & temperantiæ datum refert Halicarnaſſ. *lib.* 2., qua temporum felicitatem, & res ſecundas metientes exterorum quoque animos facile ad ſeſe potuerunt attrahere. Hinc factum, ut non in ipſa modo Urbe, plebs tota eſſet patrocinio devincta Patriciorum, verum etiam Coloniæ, Sociæque, & Amicæ, aut bello ſubactæ Urbes e Romanis Patriciis, quoſcunque vellent, Patronos haberent, ut veterum ſuffultus teſtimoniis oſtendit Vir Clariſſimus Petrus Pollidorus Patricius Anxanenſis, Vir omni virtutis, ac eruditionis genere præſtantiſſimus, mihique amiciſſimus, in expoſitione veteris Tabellæ æreæ, qua M. Salvius Valerius vir ſplendidus Emporii Naunani Patronus cooptatur, relata *in tom.* 7. *collectionis operum variorum Venetiis editæ anno* 1731., cui titulus: *Raccolta di Opuſcoli ſcientifici*, *e Filologici nu.* 18. Eos porro, qui Civitates, aut Nationes devictas bello in fidem reciperent, earum fuiſſe Patronos more Majorum, ſcribit Cicero de Officiis paullo poſt initium. Neque ſolum Urbes, Oppida, ſed & univerſas Urbium, & Oppidorum regiones, agroſque, tutela ſua Patronos fuiſſe complexos liquet ex laudati Ciceronis *lib.* 3. Hinc idem Cicero *epiſt.* 4. *lib.* 5. Inſulam Cyprum, Cappadociæque Regnum, & Citeos Catonis vocat Clientes. Fabricium, Luſſinum univerſos Samnites in Clientela habuiſſe teſtatur

tur

tur Valerius Maximus *lib.*4. *cap.*3., & Cicero *lib.*2. *de legibus*. Italos quoque ſpe melioris fortunæ, ac boni Cornelium Scipionem Patronum adoptaſſe narrat Appianus Alexandrinus de bello civili. In oratione autem 31. pro Gneo Plancio ſcribit Cicero: *Quum omnia municipia, quæ ſunt a Vibone Brunduſium in fide mea, Judices, eſſent, iter mihi novum multis minitantibus, magno cum ſuo metu præſtiterunt*. Plurium Coloniarum, & Municipiorum Herophilus Patronus exſtitit teſte Valerio Maximo *lib.*9. *cap.* 15. Cajum Aquilium gentis Patriciæ virum Antiates ſibi Patronum cooptaſſe oſtendit Philippus a Turri in Monumentis veteris Antii Caji Aquilii inſcriptionem Antii repertam illuſtrans, & Joſephus Roccus Vulpius Soc. Jeſu *in ſuo De Antiatibus libro Vet. Latii p.* 3. *lib.* 4. Sæpe tamen una Civitas non unum, ſed multos habuit Patronos. Cicero *Philipp.*2. *in M. Antonium*. *Vexavit*, inquit, *Puteolanos, quod L.Caſſium, & Brutum Patronos cooptaſſent*: Maſſilia in Cæſaris, atque Pompeji fide fuit, ut ex eodem *Cæſare de bello Civili lib.*1. conſtat. Unum ſe Capuæ Patronum adſcriptum fuiſſe, quoniam præclarum erat, & honorificum, magnopere Tullius gloriatur, adverſus L. Piſonem *oratione* 37. in Tiberio prodit Suetonius *cap. altero* Claudium Druſum vigente Republica Clientum fretum ope, Italiam occupare tentaſſe. Pompejus vero adoleſcens auctore Paterculo facile in Piceno noſtro collegit exercitum, quod ea regio referta eſſet Clientibus Patris, ex quo ſcite laudatus Pollidorus expendit: *Quanti momenti eſſet ampliſſimis pollere Clientibus, & patrociniis*.

VIII. Idem Vir Clariſſimus recitato loco antiquis inſtructus monimentis opportune monet, Oppidorum Patronos, alios *adſcitos*, alios *originarios*, ſive *ab origine* eſſe conſueviſſe. Adſciti erant, qui Civium conſenſu eligebantur certo ritu, ac formula adhibita, quam exhibet marmoreum ſaxum ab eodem deſcriptum ex Muſeo Maſcardorum Veronenſium, cujus hoc eſt exemplum.

M. CRASSO L. CALPVLNIO
PISONE COS
III NON FEBR.
CIVITAS THEMETRA IN AFRICA HOSPITIVM
FECIT CVM C. SILIO C. F. FAB AVIOLA .·.·. M
LIBEROS POSTEROSQVE EIVS SIBI LIBERIS
POSTERISQVE SVIS PATRONVM COOPTAVE
RVNT
C. SILIVS C. F. FAB. AVIOLA CIVITATEM THEME
TRENSEM LIBEROS POSTEROSQVE EORVM
SIBI LIBERIS POSTERISQVE SVIS IN FIDEM
CLIENTELAMQVE SVAM RECEPIT
EGERVNT
BANNO HIMILIS F. SVFES
ALDRVBAL BASILECIS F. LEG.
IDDIBAL EOSIHARIS F.

Id vero clarius patere arbitror ex altero ſaxo, tum ab eodem eruditiſſimo Viro, tum etiam a Magero *cap. 5. de Advoc. armata*, *nu.55.* relato, in quo non ſolum decreti, quo *Peltuini*, *Veſtini*, quorum meminit Plinius *lib.3.cap.3.* Nummiam Variam ſibi Patronam elegerunt, ſed etiam Legatorum, qui conſummandæ rei ſequeſtres ab eligentibus ad electam mittebantur, occurrit mentio. Decretum ipſum, quod Gruterus quoque exhibet *folio* 443. *num. 6.* ſequens eſt.

PLACERE VNIVERSIS CONSCRIPTIS
NVMIÆ VARIÆ C. F. SACERDOTI
VENERIS FELICIS PRO SPENDORE
DIGNITATIS SVÆ PATROCINIVM
PROEFECTVRÆ NOSTRÆ OFFERRI
PETIQVE AB EIVS CLARITATE
ET EXIMIA BENIGNITATE, VT
HVNC HONOREM LIBENTI ET PRONO
ANIMO SVSCIPERE, ET SINGVLOS
VNIVERSOSQVE NOS REMQVE PVBLI
CAM NOSTRAM IN CLIENTELAM
DOMVS SVÆ RECIPERE DIGNETVR
ET IN QVIBVSCVNQVE RATIO EXE

GERIT

GERIT INTERCEDENTE AVTHORITATE
DIGNITATIS SVÆ TVTOS DEFENSOSQVE
PRÆSTET TABVLAMQVE ÆNEAM HVIVS
DECRETI N. VERBA CONTINENTEM
OFFERRI EI &c.

IX. Alterum luculentum teſtimonium exhibet Ferentinatum tabella, qua patrii Municipii Patronus electus eſt Titus Pomponius Baſſus, integra a laudato Pollidoro deſcripta, *num.*24. qua liquet Legatos electionis decretum Patrono obtuliſſe, ut ratum haberet, atque ſuſciperet; quod & ex ærea tabella Patronatus M. Salvii a Naunæ populo oblati obſervavit eodem loco Pollidorus. Id genus in antiquis monumentis multa occurrunt exempla, ex quibus illud, quo Titus Pomponius Baſſus electus in patronum fuit a Ferentinatibus ex ipſo recitabimus.

LVCIO ARVNTIO STELLA
C. IVLIO MARINO COS.
XV KAL NOVE
M. ACILIVS PLACIDVS L. PETRONIVS
TRONTO IIII L. D. S. C. FERENTIN IN CVRIA
ÆDIS MERCVR SCRIBVNDO ADFVERVNT
Q. SEGLARNVS MARCIANVS T MVNNIVS
NOMANLIVS
QVOD VNIVERSI V. F. T. POMPONIVM BAS
SVM CLARISSIMVM VIRVM DEMANDATAM
SIBI CVRAM AB INDVLGENTISSIMO IMP. CÆS.
ARE NERVA TRAIANO AVGVSTO GERMANICO
QVA ÆTERNITATI ITALIÆ SVÆ PROSPEXIT
SECVNDVM LIBERALITATEM EIVS ITA ORDI
NARI VT OMNIS ACTAS CVRÆ EIVS MERITO
GRATIAS AGERE DEBEAT FVTVRVMQVE VT TAN
TÆ VIRTVTIS VIR AVXILIO SIT FVTVRVS MVNI
CIPIO NOSTRO Q. D. E. R. E. D. E. R. I. C.
N. PLACERE CONSCRIPTIS LEGATOS EX HOC
ORDINE MITTI AD T. POMPONIVM BASSVM
CLARISSIMVM VIRVM, QVI AB EO IMPE
TRENT IN CLIENTELAM AMPLISSIMÆ
DOMVS SVÆ MVNICIPIVM NOSTRVM

RECIPERE DIGNETVR PATRONVMQVE SE COO
PTARI TABVLA HOSPITALI INCISA CVM HOC
DECRETO IN DOMO SVA POSITA PERMITTAT
CENSVERE
EGERVNT LEGATI.
A CÆCILIVS. A. F. QVIRINALIS. ET
QVIRINALIS F.
AD AVG. AD AVG
TEM C. P. TEM C. P.

X. Collati Patronatus publicas tabulas deinde in ipſis Patronorum domibus fuiſſe collocatas, ut viventium honori, ac poſteritati monimento eſſent, tum ex hoc ſaxo patet; tum inſuper non unum apud Janum Gruterum oſtendit exemplum: *In tomo 2. theſaur. antiquar. inſcript. fol.* 1011. exhibetur ærea tabella Rhegii inventa, quæ rem noſtram non uno quidem nomine illuſtrat, atque commendat his verbis.

IMP. CÆS. M. AVRELIO
ANTONINO AVG. PIO
FELICE VI. M. PETRONIO SEPTIMI
ANO COSS.
X. CAL APRIL IN TEMPLO COLLEGI FABRVM
ET
CENTONARIORVM REGIENSIVM
QVOD REFERENTIBVS P.SAENIO MARCELLINO ET
C. AVFIDIO
DIALOGO QVOESTORIBVS V. F
IV SILIVM IVLIANVM VIRVM ET VITA ET MO
DESTIA ET INGENITA VERECVNDIA ORNATVM
ET LIBERALEM OPORTERE COLLEGJ NOSTRI
PATRONVM COOPTARI VT SIT CETERIS
EXEMPLO IVDICJ NOSTRI TESTIMONIVM
Q. F. P. D. E. R. I. C.
SALVBRI CONSILIO TAM HONESTA RELATIONE
A QVOESTORIBVS,ET MAGISTRIS COLLEG NOSTRI
FACTVM, ET SINGVLI, ET VNIVERSI SENTIMVS,
ET IDEO EXCVSANDAM POTIVS HONESTO VIRO
IV-

Digitized by Google

IVLIANO HVIVS TARDÆ COGITATIONIS
NOSTRÆ NECESSITAT PE
TENDVMQ. AB EO LIBENTER SVCIPIAT
COLLEGJ NOSTRI
PATRONAL. HONOREM, TABVLAMQ. ÆREAM
CVM INSCRIPTIONE HVIVS DECRE... N. DOMO
EIVS PONI CENSVERVNT.

XI. Id non ſolum domi patroni ab Legatis Urbium honoris cauſſa factum: ſed in ipſa Civitate publicis quoque monumentis plerumque electos Patronos fuiſſe conſignatos, multa nobis apud Hiſtoricos occurrunt teſtimonia; Plura etiam ſuperſunt exempla, quæ antiquitatis ritum, ac morem illuſtrant, ac ſuæ poſteritati commendant. Quin imo & ſtatua in tutelæ ſuſceptæ argumentum publicè Patrono poni conſuevit: quod Plinius indicat *lib.* 34. *cap.*4. in fine de origine, & honore Statuarum loquens. Hinc Cicero in Oratione adverſus Piſonem: *Me*, inquit, *inaurata ſtatua donarunt, me Patronum unum adſciverunt, a me ſe habere vitam, fortunas, liberos arbitrantur*. Sic Manlium Theodorum æreo ſigno Patronum teſtata eſt Africana Provincia, quam proconſulari Imperio rexerat, ut Claudianus oſtendit in panegyr. de ejus Conſulatu *verſ.* 34. Auctor eſt Cicero contra Verrem *act.* 4. Siculos poſuiſſe ſtatuam Marcellis uti Patronis. *In Philipp. vero 6.* indignatur ſtatuam L. Antonio tanquam populi Romani Patrono fuiſſe erectam. Exempla antiquorum monumentorum, de ſtatuis, quas Clientes Patronis ponebant paſſim occurrunt apud Janum Grutherum, præſertim *pag.* 446. *num.* 1., *&* 2. *pag.* 491. *n.* 12. *&* 5. ſingulare ſaxum Fulginei in Umbria repertum ex Lodovico Jacobilli Vir Clariſſimus Marcellus Franciarinus, exhibet in diſſertatione de antiqua Iguvii Urbe italico ſermone edita inter opuſcula ſcientifica, & philologica Venetiis vulgata *tom.*7. ex quo patet Umbriæ populos, & quindecim ejus Civitates anno ab U. C. DCLXXXVI. Betuum

tuum C. filium Patronum delegiſſe, cujus ſequens eſt inſcriptionis exemplum.

C. BETVO C F. TROCILONI
AMERINI, ASSISINATES FORO FLAMINIEN.
FVLGINATES HISPELATES IGVVINI
INTERAMNATES MEVANATES NARNIENSES
NVCERINI OTRICVLANI SPOLETINI
TEBRIATES TVDERTINI ET VETTONENSES.
B. M. P.

Apud Panvinum quoque *de Civitate Roma*: agentem de vigeſima Tribu, *Sergia* appellata, ſaxum Aſſiſii in Umbria repertum proſtat, in quo legitur.

C. RASINIO C. F. SER.
FETTIANO
PRÆF. FABRVM IIII. VIR
PRÆF. COH. PRÆTOR
PATRONO MVNICIPI.

Sequens item exhibet idem Scriptor, cum de vigeſimatertia Tribu, *Tromentina* verba facit Peruſii jampridem effoſſum.

C. BETVO C. F. TRO
CILONI MINVCCIANO
VALENTI ANTONIO
CELERI P. LIGVVIANO
ÆDILI II VIR CVINO
SACERDOTI III LVCERVM. PR.
VMBRIÆ XV POPVLORVM
PATRONO MVNICIPI
BETVRES PECTILLA FILIA
PATRI PIISSIMO L. D. D. D.

Quæ ſequuntur inſignes Inſcriptiones proſtant apud eumdem de Imperii Romani Coloniis diſſerentem; quarum prima in Piceno exſtat.

PA-

PATRONO COL. ÆSIS
Item
PATRONO COL. AVXIM.
ET COL. ÆSIS
ET MVNIC. NVMANAT.

XII. Cum ſtatua ponebatur Patrono, ſæpenumero ſolemnis accedebat dedicatio, qua in publicæ lætitiæ ſignum plebi, & Decurionibus denarii largiebantur. Ceteris autem prætermiſſis, quæ paſſim apud antiquarum Inſcriptionum collectores occurrunt, ero contentus referre ſaxum, quod exhibet idem Panvinus *de Civit. Romana*, ubi de ſecunda ſupra vigeſimam Tromentina Tribu loquitur, quod Galeatæ viſebatur.

Q. VELCENNÆ
L. F. STEL.
PROCVLO
DECVRIONI
MEVANIOLÆ
C. C. M. M. PATRONO
HONORE. CONTENTVS
IMPENDIVM. REMISIT
ET DEDICATIONE. STATVÆ
NVMER. COLL. IPSORVM
SPORTVL. DEDIT
SINGVL. DENARIOS BINOS
L. D. D. D.

Pulcherrimam item exhibet Inſcriptionem Martinus Magerus *de advoc. arm. cap. 5.*, ex qua patet quid in publicæ lætitiæ argumentum, quum ſtatua dedicaretur, impendebatur; Ea eſt ſequens, quæ Reatæ in Italia proſtat.

T. TVNDVLIO GEMINO VI VIR AVG
MAG. MV. AVGVSTALES PATRONO ET QVINQVE
PERPETVO OPTIME MERITO HIC ARCE AVGV
STALIVM SE VIVO H. S. XX. DEDIT, VT EX
REDITV SVMMÆ DIE NATALI SCV IIII KALEN

FE-

Digitized by Google

FEBRV. PRÆSENTES VESCERENTVR, ET OB DEDICATIONEM STATVÆ DECVRIONIBVS ET SEVIRIS ET IVVENIBVS SPORTVLAS, ET POPVLOS EPVLVM ET OLEVM EADEM DIE DEDIT.

At non ſolum publico ſumptu, & Civitatis univerſæ decreto, erectam Patronis ſtatuam conſtat; verum etiam ex privatorum hominum munificentia: quod ſane demonſtrat ſingularis Inſcriptio Interamnæ Nahartium in Umbria reperta, in qua A. Pompejo Interamnatis Municipii Patrono ſtatutum fuiſſe ex Teſtamento Licini ſimulacrum legitur. Hujuſmodi Monumentum, quod hic exſcribimus, una cum aliis, in eadem Civitate exiſtentibus, quæ in opere noſtro referremus, nobis communicavit Vir Clariſſimus Philippus Phebeus in Romana Curia Cauſſarum Patronus.

A. POMPEIO A. F. CLV. Q. PATRONO
MVNICIPI INTERAMNAT NAHARTIS
QVOD EIVS OPERA VNIVERSVM
MVNICIPIVM EX SVMMIS PERICVLIS
ET DIFFICVLTATIBVS EXPEDITVM ET
CONSERVATVM EST EX TESTAMENTO
LICINI T. F. STATVA STATVTA EST.

XIII. Hactenus de Patronis adſcitis egimus: nunc de Originariis, ſeu ab origine verba faciemus; quorum plura, hodieque occurrere in Regno Neapolitano monumenta teſtatur compluries a nobis laudatus Petrus Pollidorus in recitata expoſitione Tabellæ æreæ, qua M. Salvius Valerius Naunani Emporii Patronus decernitur. Præterea apud Fabrettum in expoſitione antiquarum Inſcriptionum *cap.* 2. *num.* 232. *pag.* 101. Campana legitur Inſcriptio, ex ſchedis Barberinis expreſſa.

C.AR-

C. ARRADII
LVCIO AVRELIO AVXON.
TI LEONIDAE V. C.
CAPVENSIVM ———
AB ORIGINE PATRONO.

Apud Gruterum, ipſumque Fabrettum *cap. 5. num. 286. pag. 398.*

POSTVMO LAMPEDIO V. C. —
————————— PATRONO
LONGE A MAIORIBVS ORIGINALI
ORDO CAPVENSIS.

Ex ſchedis item Barberinis idem Fabrettus *num.* 287.

FLAVIO. FVRIO. FAVSTO. V. C. TRIBVNO
AB ORIGINE PATRONO
——— VNIVERS. ORDO
ET POPVLVS SVRRENTINORVM.

Jacobus Sponius in Miſcellaneis eruditæ antiquitatis *ſection.* 1. *art.* 7. *pag.* 36. Sæninſis Urbis Inſcriptionem vulgavit ex baſi ſtatuæ in Villa Mattheja, in qua oblitterato benemeriti Viri nomine legitur.

. . . . IAM INDE
A MAIORIBVS SVIS INLVSTRIBVSQVE
FAMILIIS CIVITATIS PATRONO.

XIV. At non ſolum Urbes, atque exteri populi, de quibus hactenus loquuti ſumus, ſibi Romæ Patronos deligebant, verum etiam collegia Artificum ſuos habuiſſe, iiſdemque ſtatuas in foro, aut loco maxime conſpicuo erigere conſueviſſe docent Dempſterus *in paralipom. ad antiquit. Romanas Roſſini lib.* 1. *cap.* 16. & Martinus Magnus *de Advocat. armata cap.* 5., cujus rei multa ſuppetunt teſtimonia in vetuſtis Inſcriptionibus. Tergeſti in Hiſtria ex eodem Magero hæc habetur.

O L.VA-

L. VALERIO PAPIRIO PAPIRIANO II. VIR. I. D.
II VIR ID. Q. Q. PRÆTOR FAB. ROM. ET
TERGESTO FLAM HADR. PONT AVGVR
COLLEGIVM FABRVM PATRONO MERENTI.

Certis etiam generibus hominum, vileſque artes, ac turpia profitentibus miniſteria Patronum datum fuiſſe conſtat, ex ſequenti lapide, quem laudatus Pollidorus exhibet.

.... PATRONO DECVRIÆ SCRIBRAR. CERARIOR.
ET LIBRARIOR. ET LICTOR. ET VIATOR. ITEM
PROECONVM ET ARGENTARIOR. ET NEGOTIAT.
VINARIOR. AB VRGE ITEM MENSOR. FRVMEN-
TARIOR. CERERIS AVGV. ITEM CORPOR SCAPHA
RIOR. ET LENVNCVLARIOR. TRAIECT. LVCVLLI
ET DENTROPHORORVM ET TOGATOR. A FORO
ET DE SACOMARI ET LIBERTOR.
ET SERVOR. PVBLICOR.
ET OLEARIOR. ET IVVEN. CISIANOR.
ET VETERANOR. AVG. ITEM BENEFICIARIOR.
PROC. AVG. ET PISCATOR. PROPOLAR.

Hunc Lapidem minutiſſime explicavit Vir Clariſs. Joſephus Roccus Vulpius Soc. Jeſu *Vet. Lat. parte ſexta Libro undecimo de Oſtienſibus apud quos repertus fuit*.

XV. Id tamen erat diſcrimen inter Collegiorum artificum Patronos, ac illos ab Coloniis, & Municipiis adſcitos, quod iſta plerumque Romanum Patricium Patronum cooptabant, ut tradit Philippus a Turri in monument. veteris Antii Caji Aquilii Inſcriptionem illuſtrans: *Solemne*, inquit, *Coloniis, & Municipiis fuit, ſe in Patriciorum, tunc præpotentium Civium Romanorum clientelam adſcribere*: Quod animadvertit, & Sertorius Urſattus *de notis Romanor. apud Grævium pag.* 895. *tom.* 2. Non ita vero Collegia Artificum, quæ plerumque Milites, vel aliquem illius Urbis Virum egregium, in qua ea erant Collegia, Patronum legebant, ut idem diſcri-

crimen indicans tradit laudatus Scriptor: Fœminas quoque ac nobiliſſimas Matronas clientelam, tum Urbium, & Populorum, tum etiam Collegiorum conſtat ſuſcepiſſe, eaſque decreto publico, legatione illuſtri, ceteriſque præclaris honoribus ad eam dignitatem populos cooptaſſe liquet ex relata Inſcriptione Peltuinatium in Veſtrinis, qui Nummiam Variam Sacerdotem Veneris ſibi Patronam conſtituere. Conſtat etiam ex Grutero *pag.322.nu.2.* Canitam Sanconiam Patronam Coloniæ Ariminenſis electam. Apud Fabrettum *cap.9. num.1. pag.19.* exſtat lapis Piſaurenſis in ejuſdem Urbis foro proſtans, in quo Albina Balbina Municipiorum Pitinatium, & Piſaurenſium, & ipſa Elaminica Sacerdos Patrona cooptatur. In Nummiæ Variæ inſcriptione ſæpe laudatus Vir Clariſſimus Petrus Pollidorus poſtrema verba notanda cenſet, ex quibus ſcitiſſime colligit: *Quod præſtare Clientibus fœmina ſexus conditione non poterat, Viri ſupplebant, nec tam Nummiæ, quam totius Familiæ Variæ patrocinium eo publico monimento Peltuini ſibi procuraſſe videntur*. De alia fœmina a Collegiis in Patronam adſcitam, exſtat apud Pitiſcum quæ ſequitur Inſcriptio Firmi in Piceno olim poſita.

ALLIENÆ TF.
BERENICÆ
C. VETTIVS POLVS
VXORI
SANCTISSIMI ET
C. VETTIVS POLVS
MATRI
PIISSIMÆ PATR
COLLEG FABR. ET CENT.

Et Interamnæ in Umbria in Eccleſia S. Pauli ſequens ſaxum inſpicitur.

Digitized by Google

LEVCADII MEL
HELVIDIÆ BVRRENIÆ
MODESTÆ
NEPOTI HELVIDI BVRRENI SEVERI V. C.
FILIÆ BVRRENIÆ SEVERÆ C. F. PVDICITIA'
SAPIENTIA INNOCENTIA OMNIBVS RETRO
MEMORABILI. OB MERITVM
AMOREMQVE EIVS CIVES INTERAMNÆ
CIVIT. VTRIVSQVE SEXVS ÆRE CONLATO
POST OBITVM HVIVS PATRONÆ

Nec eſt cur in re ipſa illuſtranda lectorem diutius moremur.

De Filiis Patriciorum, eorumque muneribus, & exercitationibus.

CAPUT IX.

SYNOPSIS.

I. *Patriciorum filii Patrimi, & Matrimi in Saliorum Collegium cooptati.* II. *Ancilia cæleſtia cuſtodiebant, eaque ſaltu, & tripudiis per Urbem menſe Martio ferebant.* III. *In Palatio ſacrarium habebant, ideoque, &* Palatini *dicti. Salii a ſaltu, & tripudiis appellati.* IV. *Saltationum motus, & Saliorum veſtes, dum ancilia ferebant.* V. *Carmina, quæ canebant qualia. Collegii Magiſter carmina, & ſaltus juvenes Salios docebat, quos etiam inaugurabat.* VI. *Juvenum Patriciorum florente Republica Senatui adverſus Plebem præſtita auxilia.* VII. *Eadem pro tuendo Decemviratu Appio Claudio data. Patricii Juvenes Ædiles plebis.* VIII. *Patriciorum puerorum ludi inter Circenſes peracti,* Troja *&* Pirricha *vocati.* IX. *Quando hos ludos ipſi exercerent. Qui eorum auctor, & quis Princeps juventutis!*

I. Poſt-

I. POſtquam vidimus ſummam rerum Patriciis Viris ſuiſſe commiſſam, quippe qui auctoritate, ætate, & gravitate in Republica plurimum poterant; nunc ſermonem inſtituemus de eorumdem liberis, quibus in minori ætate ſacra quædam iis ſolum curanda credebantur, ac nonnulli etiam Magiſtratus conceſſi fuerunt; Ii enim generis ſui nobilitate freti, atque præſtantia, non minorem, quam Parentes in Urbe oſtentabant auctoritatem, & potentiam. His itaque primum Saliorum Collegium novo exemplo conceſſum eſt a Numa Pompilio, quo Martis Gradivi Sacerdotes inaugurabantur, ut per id nobili Juventuti aditus ad honores eſſet. Qua de re Iſaacus Caſaubonus in notis ad Julium Capitolinum in vita M. Antonini num.46. ſcripſit: *Soliti enim in hoc Martis Sacerdotum Collegium Patricii juvenes cooptari Patrimi, & Matrimi. Fere autem nobilis juventus ad honores per Sacerdotia adibat*. Nec præterea in idem Collegium, niſi Patricia juventus poterat cooptari; quam proinde Lucanus *lib.*9.467. *lectam Juventutem Patriciam* appellavit. Huic Sacerdotio quamvis certa non eſſet, requiſita ætas, ut in illud adſciſceretur; nihilominus Dionyſio teſte *lib.*2. juvenes omnes candidati eſſe debebant Patrimi, & Matrimi, hoc eſt, ut iis uterque parens ſuperſtes eſſet, ut docet Feſtus. Quamobrem apud Capitolinum legimus *cap.*4. Imperatorem Antoninum philoſophum octavo ætatis ſuæ anno in Saliorum Collegium fuiſſe relatum. Eum honorem perpetuo Patricios ſibi vindicaſſe una cum Flaminibus majoribus abſque immixtione Plebis, ſupra non uno Scriptorum teſtimonio comprobavimus.

II. Fertur autem regnante Numa Pompilio breve ſcutum de cælo fuiſſe dilapſum, quod peſtilentiæ, qua tum Civitas afflictabatur, remedium exſtitit. Quamobrem conſultos Aruſpices reſpondiſſe: ibi futurum totius Orbis imperium, ubi ſcutum illud ſervaretur; vel, ut alii produnt de cælo hujuſmodi auditam vocem. Tum autem hono-

honoris cauſſa, tum etiam, ut idem ſcutum tutius ſervaretur, nec ab hoſtibus ſurripi, nec aliquo modo internoſci poſſet; Numa Pompilius undecim alia ad ſimilitudinem cæleſtis a quodam artifice, cui nomen Mamurius fabricari juſſit; quæ deinde in Templo Martis fuere repoſita. Ad ea propterea cuſtodienda exactiſſimaque Religione ſervanda duodecim Sacerdotes ex ſpectatiſſimis Patricio genere natis juvenibus idem Numa Marti Gradivo allegit, teſte Livio *lib.*1. Idemque tradit & Dionyſius *lib.*2. Eadem ſcuta vocabant ancilia, vel quod unumquodque eorum ex utroque latere eſſet reciſum, culmenque, & extremum pateret latius, ut videtur Panvino *de Civit. Roma.* de eiſdem ſcribenti: vel, ut alii tradunt, quod plane figuræ circularis eſſet abſque angulo, ut patet ex nummis Domitiani, aliiſque theſauri Arſchetani, itemque Licinii triumviri monetalis. Et ex marmoreo ſcuto, quod in Romani Collegii Societatis Jeſu Muſeo aſſervatur, in quo Ancile incluſum eſt. Ejuſdem ſententiæ fuerunt Gutberleth *de Saliis cap.* 12. & Gutherus *de Vet. Pontiſ. lib.* 1. *cap.* 2. Ea porro Sacerdotes Marti Gradivo ſacrati Salii non ſolum cuſtodiebant, verum etiam per Urbem portabant: More veteri ſolemnes erant Kalendæ Martii ad Ancilia movenda per Urbem conſtitutæ, quæ a Saliis collo ſuſpenſa, & quædam carmina canentibus ſolemni ſaltatu, tripudiis, & agitatione ſanatica corporis ferebantur. Interea vero per eos dies, quo Ancilia movebantur, tanta modo in Foro, modo in Capitolio, ceteriſque publicis aut privatis locis ſuperſtitioſa erat Romanis Religio, ut nihil publice geri, non capi arma, non moveri caſtra, neque ſuſcipi iter fas eſſet: Qui autem contra faceret, ſacer, improbuſque eſſet. Illud præterea, quod egiſſet, infelix, infauſtumque capiti ejus futurum crederetur; quemadmodum ex recitatis liquet Scriptoribus. Quare Dionyſius *lib.* 2. ritum ipſum ita deſcribit: *Horum ſolemnitas erat menſe Martio, quæ ſumtu agitur publico multos dies, qui-*

quibus ducunt choreas per Urbem, & in forum, & in Capitolium, & in multos alios privatos, publicoſque locos: quod etiam tradit Lucianus *de Saltat. lib.* 1.

III. Sacra illi in Palatio Marti Gradivo factitabant, ubi præcipuum illorum ſacrarium fuiſſe referunt Sextus, Rufus, & P.Victor. Hinc & Salii *Palatini* ſunt appellati, ut ex antiquorum Scriptorum teſtimonio prodit Panvinus. Salii vero M. Varroni dicti ſunt a ſaltando, quod illi facere in Comitiis, & Sacris quotannis ſolebant, & debebant. De re ipſa Ovidius *Faſtorum lib.*3. cecinit:

Jam dederat Saliis a ſaltu nomina dicta
Armaque, & ad certos verba canenda modos.

At Sextus Pompejus aliter ſentit, opinaturque Arcadam quemdam fuiſſe nomine, *Salium*, quem Æneas, a Mantinea in Italiam duxerat, quique Italos juvenes enopliam ſaltationem docuerit, additque teſtimonio Critolai Joannem ex Samothrace cum Ænea Deos Penates, qui Laviniam tranſtulerat, ſaliare genus ſaltandi inſtituiſſe, a quo appellatos notat Salios. At Plutarchus in Numa eum refellens: *Salii*, inquit, *vocati ſunt, non ut quidam fabulantur a Viro Samothrace, ſeu Mantineo, Salio nomine, qui ſaltationem, quæ armata dicitur, edocuerit; ſed ab ipſo potius tripudio ſaltatorio, quod vehementius, robuſtiuſque per Urbem euntes ſubſultant, quum ad menſem Martium ſacra ſcuta, quæ Ancilia dicebantur ſuſcipiunt.* Hæc magis arridet opinatio, cui ſubſcripſit Panvinus *de Civit. Romana* de iiſdem verba faciens.

IV. Saltationum motus, dum per Urbem Ancilia ferebant Salii, certa quadam, ac eleganti celeritate edere debebant, quos Plutarchus in Numa hunc in modum deſcribit: *Movebantur eleganter, celeriter, atque confeſtim, Orbem implicantes, & evolventes, multumque in eo roboris, & agilitatis oſtendentes*: Et Seneca *epiſt.*15. *Sunt exercitationes, & faciles, & breves, quæ corpus, & ſine mora laxent, & tempori parent*: & refert Dionyſius *lib.*2.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo autem ii habiti fuerint, clarius recitato loco explicat Panvinus, cujus hæc verba ſunt: *Moventur autem ad tybiam ex modulo armatis motibus, quandoque ſimul, ac viciſſim, quandoque patria quædam canentes carmina cum tripudiis, ſolemnique ſaltatu, ſimul cum choreis.* Huic referendam puto antiquam Inſcriptionem a Grutero *pag.* 175. *ſui theſauri* recitatam, in qua mentio occurrit Collegii Tibicinum, & Fidicinum, qui Romæ Saliis præſto aderant, præibantque ſonitu, quando nimirum per Urbem ritu ſollemni cum Ancilibus procedebant; cujus hoc eſt exemplum.

COLLEGIO TIBICINVM
ET FIDICINVM ROMANORVM
QVI S. P. P. S.
TI. IVLIVS TYRANNVS
..... MVNIS PERPETVVS ET
.... VLIVS TYRANNVS F
H. C. D. D.
DEDICATVM K. MAR.
.... RSO SERVIANO II. L. FABIO IVSTO COSS.

Gaſpar tamen Bartholinus *in lib.* 2. *de Tibiis Veterum, & earum antiquo uſu cap.* 7. hanc ipſam Inſcriptionem recenſens, tertium ejus verſum interpretatur. *Qui Sacris publicis Præſto ſunt.* Sed alii viri docti gravioribus fulti momentis Inſcriptionem ipſam ad Salios referunt, ac nobiſcum ſentiunt. His Saltationibus, atque tripudiis incedebant per Urbem ancilia moventes induti, teſte Plutarcho eodem loco, puniceis tunicis, æneis balteis, latiſque ſuccincti; æneaſque in capite galeas portantes parvis gladiis arma pulſantes. Quæ indumenta Dionyſius *lib.* 2. diſerte explicat. Circumlatis exinde hunc in modum per Urbem Ancilibus, ad Martis ſacrarium redibant, & in æde ejuſdem, ut largius inde epularentur, cœnam copioſam, lautam, magnificamque parabant, de qua appoſite pro re nata Feſtum explicans Samuel Pitiſcus in verbo *Cœna Sa-*

Saliorum ſcribit: *Feſtus modo laudatus*, *apud quem per omnes dies non intelligendi omnes totius anni*, *ſed Feſti Anciliorum*.

V. Carminum porro, quæ ſolemni ſaltatu, tripudiiſque canebant, frequens apud veteres Scriptores eſt mentio; eis tanta erat obſcuritas, ut ne ab ipſis quidem Saliis intelligerentur. Illis jam tum ætate Numæ ea tradita fuerunt; mutare autem, vel aliquem ipſis ſenſum tribuere, vetabat Religio. Unde Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 2. *Saliorum carmina vix Sacerdotibus ſuis ſatis intellecta*, *mutari vetat religio*. Finem cuique carmini nomen faciebat Mamurii artificis, qui cum undecim ancilia cæleſti ſcuto, quam ſimillima juſſu Numæ feciſſet, mercedis loco eam petiit gloriam, ut ſuum nomen a Saliis in cujuſque carminis fine recitaretur, ut poſt Sextum Pompejum Feſtum tradunt Ruſticus *in antiq. Roman. apud Græviumi tom.* 8. *pag.* 20. Alexander ab Alexandro *dier.genial.lib.* 1. *cap.* 27. Panvinus *de Ludo Circenſi lib.* 1. *cap.* 20. qui de *Civit. Romana* hæc addit: *Quorum carmina quædam vocabantur axamenta*, *quæ erant in hominum memoriam compoſita*, *ut Mamurii*, *&* *Volumniæ*. *Nam in Deos ſingulos*, *verſus ficti a nominibus eorum appellabantur*, *ut Januali*, *Junonii*, *Minervii*. Hæc carmina juxta Rithmicos modos, ſaltationum motus, tripudia, anciliaque geſtare, Juvenes Salios nuper in Collegium receptos, Collegii Magiſter docebat, cui ſoli, & non populo jus inaugurandi erat, & exaugurandi Patricios juvenes. Certis ad id adhibitis ritibus inauguratio peragebatur: nimirum, unus Saliis ſolemnia quædam inaugurationis, vel exaugurationis carmina recitabat, ut notat Cuperus *obſervat.* 4. 2. *in tom.* 1. *theſauri Græviani*, oſtenditque Kippingus *antiquit. Roman. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 7. Huc ſpectant veteres quædam inſcriptiones a Panvino relatæ, in quibus de Saliis, & Collegii Magiſtro occurrit mentio, quas nos quoque hic Lectoribus exhibemus.

M. RVBRIO. L. F
PROCVLO
PR. ÆD. Q.
PONT. SALIO
MVNIC. ET. IN. COL
Item
L. ANTISTIVS. GN. E. HOR. SARCVLO
SALIVS ALBANVS. IDEM. MAG. SALIORVM
ANTISTIA L. L. PLVTIA L. ANTHVS RVFVS
L. IMAGINES. DE. SVO. FECERVNT.
PATRONO. ET. PATRONÆ PROMERITIS

VI. Neque hæc ſolum cæleſtium (ut illi jactabant) armorum cuſtodia propria fuit Patriciorum juvenum. Non exigua præterea eiſdem fuit auctoritas, atque potentia, in tuendis præſertim Patrum ſuorum & libertatis juribus adverſus Plebem; quare non ſemel Senatus in civili certamine eorum uſus eſt ope, atque auxilio; Quod feliciſſimis illis temporibus, quibus juventus aliis erat publicis occupata muneribus, facilius ſibi Senatus, ab iis obtinebat. Ortis ſiquidem magnis in Urbe ſeditionibus pro agrariis legibus, unus Q. Cæſo juvenis ferox, gentiſque nobilitate conſpicuus, tum etiam corporis magnitudine præſtans, ac viribus: quum inſuper belli quoque floreret ſtudiis in medio agmine Patrum conſtitutus impetum plebis, populareſque procellas pro abrogandis agrariis legibus excitatas ita repreſſit, ut Livio monente *lib.3. Nemo lingua, promptior in Civitate haberetur*. Pulſos ſæpe foro ipſo Duce Tribunos plebis, fugatamque plebem ipſam eodem in loco Livius demonſtrat. Patriciam aliam juventutem ſuo exemplo, & hortatu excitavit, tum ad tuendas agrarias leges, tum etiam ad reſtitendum tribuniciis conatibus. Præ ceteris enim in iis contentionibus M. Volſcius tribunicia perfunctus poteſtate eum graſſantis juventutis Ducem in Suburra germanum fratrem ſuum pugno ab ipſo ictum, ac ſemianimem in terra relictum incuſabat. Illum propterea morti tradendum eſſe contendebat,

bat, quod tamen Conſules neglexerunt; qua re, eodem narrante Livio: *Hæc Volſcio clamitante adeo concitati homines ſunt, ut haud multum abſuerit, quin impetu populi Cæſo interierit; Virginius arripi jubet hominem, & in vincula duci; Patricii vi contra vim reſiſtunt.* Excitatis nihilominus Patriciæ juventutis animis, ſequenti anno ob ſermonem a Senatu injectum ferendæ legis, quæ aliquandiu ob tribunicios furores ſepoſita fuerat, primum ipſi Patricii juvenes ſeſe plebi inſinuarunt, minantes ſibi a Patribus negocium datum tollendæ e Republica tribuniciæ poteſtatis, reddendæque priſtinæ Civitatis formæ, quæ ante occupatum a Plebe montem Aventinum fuerat; ut narrat eodem loco Livius. Non mirum interea, ſi tanta pollens in Republica poteſtate Patricia juventus Senatum juvabat; mirum quidem, quod plebs ipſa ad tuendam ſibi tribuniciam poteſtatem, ob recens invectum Decemvirorum Magiſtratum, Patriciam juventutem, ut ejus auxilium Decemviris deeſſet, expugnare tentaverit. Hinc Livius eodem *libro* 3. *Decemviri*, ait, *qui primo tribunicios homines, quia id populare habebatur, circum ſe oſtentaverant Plebi, Patriciis juvenibus ſepſerant latera; eorum catervæ tribunalia obſidebant. Hi ferre, agere plebem, plebiſque res; cum fortuna, qua quicquam cupitum foret, potentioris eſſet, & jam ne tergo quidem abſtinebatur: virgis cædi alii, alii ſecuri ſubjici, & ne gratuita crudelitas eſſet bonorum donatio, ſequi Domini ſupplicium. Hac mercede juventus nobilis corrupta non modo ire obviam injuriæ, ſed propalam licentiam ſuam malle, quam omnium libertatem.*

VII. Cum autem jam Plebs adverſus hujuſmodi Decemviralem Magiſtratum, Appii Claudii Decemviri libidine cauſſam dante, concitata eſſet, partim atrocitate ſceleris, partim per occaſionem repetendæ libertatis, nullum Appio aderat auxilium, quam Patriciorum juvenum, ut ii ipſum tuerentur. Hinc Livius eodem loco: *Appius*, in-

inquit, *nunc vocare Icilium, detrectantem arripi, poſtremo, cum locus adeundi apparitoribus non daretur, ipſe cum agmine Patriciorum Juvenum per turbam vadens in vincula duci jubet*. Hæc illuſtria facinora generoſa juventus patricia pro tuendis Patrum ſuorum Magiſtratibus, ac libertate patraverat. Sed, non minori præterea virtute, atque ardore plebis ædilitatem ſuſcepit, quando plebs ipſa hunc honorem recuſavit; Quum enim ab diuturna ſedata ira, tandem Ordines ad concordiam redacti fuiſſent, conceſſo plebi altero Conſulatu, & a plebe Patriciis, Prætore uno, qui jus in Urbe diceret, iſque ſemper legeretur ex Patriciis, rem putavit Senatus digniſſimam, ut ludi maximi fierent, diemque unum ad triduum adjici, quibus ab univerſis, gratiæ Diis agerentur. His præeſſe ludis cum ædilitatis plebis honore, quoniam plebs ipſa recuſaverat: *Conclamatum*, inquit Livius, eodem libro, *a Patriciis eſt juvenibus, ſe id honoris Deum immortalium cauſſa libenter acturos, ut ædiles fierent, quibus cum ab univerſis gratiæ actæ eſſent, factum Senatuſconſultum, ut duos Viros ædiles ex Patribus, Dictator populum rogaret*.

VIII. Præterea ad excolendam nobilem indolem Patriciæ juventutis, & ad Urbis, Patriæque decus & amplitudinem augendam, quidam inter Circenſes inſtituti ſunt, invectique ludi, quibus illa bello gerendo aptaretur: Certis enim decurſionibus, cum curribus in Circo certare ludis hiſce aſſueſcebat, qui *Troja* ſunt appellati; de quibus Dio *lib*.43. *Trojam*, inquit, *antiquo more, Patriciorum filii luſerunt, juveneſque, qui dignitate æquales erant, curribus certaverunt*. Et lib.28. *Splendide omnia* (Agrippa) *ludoſque inter cetera equeſtres, ſeu circenſes, ut Leanclavius legit, biduo præibat, & Trojam vocatum ludum per nobiles pueros exercebat*: libro item 49. *Ludis, autem, quos multos & omnis generis exhibuit tanta uſus eſt magnificentia, ut pueros etiam, qui Trojam equeſtri certamine luderent, pretio conduxerit, ne quis ſumptum facien-*

Digitized by Google

faciendum haberet. Suetonius quoque in Cæſare *cap.* 39. de Circenſibus ab eo editis ſcribens: *Trojam*, inquit, *luſit turma duplex*, *Majorumque*, *Minorumque pueri*: & in Auguſto *cap.* 43. Hos ludos alio vocabulo dictos fuiſſe *Pyrricha* veterum fultus teſtimonio cenſet Vignolius *de Columna Antonini Pii cap.* 9. *Atque ideo*, inquit, *ob eamdem Pyrrichii motus rationem aliud etiam his decurſionibus quam ſimillimum ludi genus, quo pueri in Circo exercebantur Pyrricha quoque dicebatur*. De re ipſa ad illud Virgilii *lib.* 5. *Æneid. verſ.* 602.

Trojaque nunc pueri, *Trojanum dicitur agmen*,

hæc habet Servius ex Suetonio: *Luſus ipſe*, *quem vulgo Pyrricham appellant Troja vocatur*, ex quo notat laudatus Vignolius, quod etiamſi decurſiones, quæ per Equites, Militeſque fiebant, nihil a Troja propemodum differrent; Uſus tamen loquendi effecit, ut nonniſi Decurſiones illæ a Romanis *Trojæ* nomine indigitarentur, quæ per Patricios, nobileſque pueros inter ludos Circenſes agitabantur.

IX. Porro autem hi ludi ab Patriciis pueris potiſſimum factitabantur, ut iis bello gerendo animum, vireſque aſſueſcerent; unde Auguſtus, Suetonio teſte, *in ejus vitæ cap.* 43. eos ludos quam frequentiſſime edebat, majorum, nimirum, minorumque puerorum: *Priſci*, ut inquit, *decorique moris exiſtimans claræ ſtirpis indolem ſic noteſcere*: Sed deinde quibuſdam etiam celebrioribus anni ſolemnitatibus indici ſolebant, ut Dio. demonſtrat *lib.* 51. de conſecratione templi Julii Cæſaris verba faciens: *Porro in ſacrarii conſecratione*, *ludi omnis generis facti ſunt*, *Patriciique pueri Trojam luſerunt*, *virique ſimili ratione ſingulis equis celeribus*, *bigiſque*, *& quadrigis certaverunt*: Hujuſmodi ludorum auctorem Virgilius *lib.* 5. *Æneidum verſ.* 596. Aſcanium perhibet.

Aſcanius, *longam muris quum cingeret Albam*
Rettulit, *& priſcos docuit celebrare Latinos*,

Quo

Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troia pubes
Albani docuere ſuos: hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium ſervavit honorem,
Trojaque nunc pueri; Trojanum dicitur agmen.

Qui ludis hiſce præerat, Juventutis equeſtris ordinis *Principem* appellatum exemplo Aſcanii autumat recitato loco Vignolius, qui poſt deſcripta recenſita a nobis Virgilii carmina, addit: *Quocirca Aſcanii forſan exemplo inde factum eſſe reor, ut qui huic ludo præerat, Juventutis, Equeſtris nempe Ordinis, Princeps diceretur*. Id conjicere poſſe opinatur ex Cæſarum, & præcipuæ Septimii Getæ nummis, in quibus ipſe *Juventutis Princeps* dicitur, & modo tres, modo quinque Equeſtres figuræ decurrentes viſuntur. Auguſti filium honorem hunc aſſequutum Ovidius de Arte amandi *lib.* 1. *verſ.* 193. his carminibus alloquitur:

Tale rudimentum tanto ſub nomine debes
Nunc Juvenum Princeps, inde future Senum.

De Patriciorum Muneribus poſt translatum ad Cæſares Urbis Imperium.

CAPUT X.

SYNOPSIS.

I. *Poſt caſum Romanæ Reipublicæ diminuta Patriciis poteſtas. Cæſar Dictator complures Lege Caſſia adlegit.* II. *Auguſtus quindecim Patricios ſibi conſiliarios domeſticos ſumſit, quem ſequuti ſunt Adrianus, & Alexander Severus Imperatores.* III. *Patricii ab Auguſto Claudio, & Veſpaſiano Imperatoribus lecti, atque communi Flaviarum Gentium nomine appellati.* IV. *Iſaacus Caſaubonus aſſerens Ciceronem Lege Caſſia inter Patricios fuiſſe cooptatum, rejectus.* V. *Patricii ſub his Imperatoribus duplicis generis: alii dicti inter*

inter Patricios Candidati: alii inter Patricios, vel in familiam Patriciam adlecti. VI. *Patriciorum hujuſmodi munera: Decemviratus Stilitibus judicandis, iis præcipue datus. Et Quis?*

I. A Plebis factionibus per ſeditioſos Tribunos excitatis, ut Patriciis poteſtatem adimerent, paullatim patefactus eſt aditus excidio Reipublicæ; ſpecie ſiquidem tuendæ plebis, quum ſeditioſi Tribuni dominationem ſibi quærerent, crebro a paucis de ipſa occupanda, cogitatum eſt. Tum enim Piſo, tum Craſſus, tum Catilina cum aliis ejuſdem meriti, & audaciæ ſociis adverſus Rempublicam conſpirarunt: Cæſar etiam, & Craſſus, & ipſe mutata ſorte mente Pompejus, inita ſocietate, nec ſine ſtudio quam largiſſimas opes, quæ liberæ Civitati jure formidabiles eſſent, ſibi quæſierunt. Propterea fatali Reipublicæ bello Pharſalico, devicto Pompejo, atque Optimatum factione afflicta, Cæſar ſe Dictatorem perpetuum fecit; atque ita unius dominatu, Reſpublica oppreſſa eſt, & aliquot annis gubernata, ut prodit ex Latinis veteribus Scriptoribus Panvinus *de Civit. Rom.* Cauſſas ejuſdem excidii aperiens. Hinc maxima, ac ſplendida Patriciorum poteſtas, qua libera Civitate, non ſecus, ac tot Supremi Domini potiebantur, paullatim cum Reipublicæ libertate imminuta eſt, & ademta; adeout totius Reipublicæ imperio ſoli Cæſari Dictatori aſſerto, & a Senatu, Patriciiſque abdicato, variam ipſi tum fortunam pati: tum obire munera, atque officia longe diverſa, ſeu minimæ, vel nullius prorſus auctoritatis coacti ſint. Et quidem quamvis initio ſuæ Dictaturæ & Imperii, teſte Tacito in *annalium lib.* 2. idem Cæſar complures Patricios adſciverit, alioſque lege Caſſia delegerit, quos genere, & opibus præſtantiſſimos noverat; tunc tamen conſilia Principi, & Imperatori præſtare cœperunt, nec eadem, quæ pridem in Senatu, iis erat abſoluta, ac ſuprema

in

in regenda Urbe, ſubjectiſque populis auctoritas, ſive poteſtas; quæ deinceps ſub ſequentibus Imperatoribus in dies magis magiſque minuebatur, ac decreſcebat.

II. Et quidem ipſo Cæſare ab iis, qui libertati ſtudebant interfecto, quamvis reviviſcere priſca Patriciorum poteſtas, atque ad ſpem priſtinæ libertatis adſpirare videretur, tamen haud ita multo poſt, in ipſo recuperandæ Reipublicæ apparatu ab Antonio Lepido, ac etiam Octavio, qui Cæſaris partes pari conatu vindicandas ſuſceperant, ſublata funditus, atque oppreſſa eſt. Hi inauditum triumviratum intulerunt: qui quum diu ſtare minime quiverit, poſt varia rerum diſcrimina, populareſque procellas, tandem ſolus Octavius totius Reipublicæ jus, poteſtatem, atque imperium, quod ab initio Regum, poſt, Magiſtratuum, Senatus, ac populi fuerat, in perpetuum Principem tranſtulit. Auguſti præterea & Imperatoris nomine ſibi indito, ſingulare imperium confirmavit, ordinavitque, ut poſt Suetonium, alioſque Auguſtæ hiſtoriæ antiquos Scriptores fuſe oſtendit Panvinus in *comentar. Faſtor. lib.* 3. Idem Princeps peculiare conſiliariorum munus Patriciis commiſit, quod ipſi deinde uſque ad novam Imperii translationem Roma Byzanzium fere conſtanter obierunt. Enim vero ſenio confectus quindecim Senatores ſingulis menſibus deligebat, quorum conſiliis in expediendis negociis utebatur, ex quibus veluti peculiaris Principis Senatus conſtitutus videbatur. Hos a Senatu uſque ad viginti, annis ſingulis, auctos accepit: obtinuitque, ut quidquid cum iis Tiberio, Conſulibus, Nepotibus, & aliis ab eo convocandis ſtatuiſſet, ratum eſſet, ac ſi ab univerſo Senatu decretum fuiſſet, ut tradit Dio. *libro* 55. Eos Senatores, ac Conſiliarios Patricios fuiſſe nemo eſt, qui dubitet: Unde Pancirolus *in notitia dignitatum utriuſq. Imperii cap.* 2. *Hi poſtea*, inquit, *Summi Senatores, & Patricii fuerunt, qui arbitrio Principis ſoli ſententiam in Senatu dicebant*. Morem eum-

eumdem complures poſtea ſequuti ſunt Imperatores: De Adriano potiſſimum teſtatur Spartianus in ejus vita, quos ille veluti in contubernium Imperatoriæ Majeſtatis conſiliarios adſcivit, ſecumque continuo habitare voluit; quod item recitato loco prodit Pancirolus. De Alexandro Severo refert Herodianus *lib. 6.* Ipſum ſexdecim Ordinis Senatorii Viros ætatis gravitate, ac vitæ ſanctimonia præcellentes adſeſſores Principis, & Conſiliarios legiſſe; ut nihil ageretur, aut diceretur, niſi ipſorum accedente ſuffragio. Quare indicato loco addit Pancirolus: *Itaque in duas claſſes Senatus dividi cœpit, Illuſtrium, & Clariſſimorum; Proprie Senatores erant Patricii, qui præcipuus in Imperio gradus habebatur.*

III. Paucis jam exſiſtentibus Patriciis familiis, quæ *Majorum*, & *Minorum gentium* dictæ ſunt, complures ab ipſis Imperatoribus factas fuiſſe Patriciorum lectiones conſtat. Et quidem Auguſtum gentes Patricias ſuppleviſſe tradit Tacitus *lib. 2. annalium*. Hujuſmodi tamen adlectiones more omnino ab illo priſco, diverſo, factæ videntur. Enim vero, ubi primum legebantur Patricii, ut Senatum implerent, complerentque Senatorum numerum, e Senatu, præſtantiores Senatores in hujuſmodi Patriciorum referebantur numerum. Sic Claudius Imperator vetuſtiſſimum quemque e Senatu, vel quibus clari parentes erant in Patricios cooptavit; de quo Tacitus *lib.2.* ita ſcribit. *Iiſdem diebus in numerum Patriciorum aſcivit Cæſar vetuſtiſſimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus Majorum, & L.Brutus Minorum gentium appellaverat.* Eos novos a Claudio Patricios adſcitos cenſet Iſaacus Caſaubonus in notis ad Trebellium Pollionem communi *Flaviarum gentium* nomine fuiſſe appellatos: explicans enim ea Pollionis verba: *Gentes Flavias, quæ Veſpaſiani, & Titi, nolo autem dicere Domitiani, fuerant, propagavit*: hæc notat: *Veſpaſianum, & Titum,*

Q *cum*

Digitized by Google

cum Cenſores eſſent, Patriciarum gentium numerum auxiſſe ſcribunt veteres. Videntur autem, qui in Patricios tum adſciti fuerunt communi Flaviarum gentium nomine appellati; nam interpretari aliter hunc locum non poſſumus. Has igitur gentes Flavias propagavit Claudius, inque eorum numero novos Patricios adſcivit, quaſi jam tum, ait, Pollio veluti ex ſpecula prævidiſſet deferendum imperium uni ex illis gentibus orto, Conſtantio nempe Cæſari. Veſpaſianus autem ſapienter proſpiciens, ne in poſterum deficerent Patricii, mille legit, ut ex Tacito paullo ante memorato tradit idem Caſaubonus in notis ad Suetonium, Cæſaris vitam illuſtrans.

IV. Ingeſta ſuperius legis Caſſiæ mentio, qua Dictator Cæſar complures Patricios legiſſe vidimus, nos provocat ad expendendum Caſauboni aſſertum, quo cenſet eadem lege Tullium Ciceronem inter Patricios cooptatum fuiſſe. Nolim quidem vel minimum dubitare de præſtantiſſimi Viri fide candida, & auctoritate; verum ſalvo ejus honore licebit nobis hujuſmodi hiſtoriam in dubium revocare. Namque adverſus eamdem plurimum movet, ac urget altum ipſius Ciceronis ſilentium, qui ceteroquin honores, quibus ipſe in Republica functus eſt, in ſuis litteris, orationibus, & opuſculis quam frequentiſſime narrat, & effert; certe non omiſſurus nomenclationem Patricii, ſi re ipſa inter eos fuiſſet adlectus. Id præterea non indictum reliquiſſent, qui generis ejus nobilitatem ab Regia uſque Tullii ſtirpe petitam commendarunt. Ipſe ſiquidem Arpini ſe natum nobiliſſima, & antiquiſſima familia profitetur *lib. 2. de legibus cap. 3.* cujus auctorem idem profert indicatum Tullium Volſcorum Regem *in quæſt. Tuſculanis.* 1. Quum autem de Majoribus ſuis ad populum in oratione pro Lege agraria fatus eſſet, illoſque honoribus Reipublicæ caruiſſe, nihil de Patriciatu in Republica meritorum cauſſa ſibi collato loquitur, quod ea potiſſimum occaſione reticere minime debuiſſet. Ait enim: *Mihi*

Mihi quidem apud vos de meis Majoribus dicendi facultas non datur, non quod tales fuerint, quales nos illorum ſanguine creatos, diſciplinisque inſtitutos videtis, ſed quod laude populari, atque honoris veſtri luce caruerunt. Paſſim propterea de ſe ipſo, honoribuſque, quibus auctus fuerat, mentionem ingerit, nec unquam ſe Patricium appellat. Et profecto habitus Cicero fuit ſemper in Republica genere peregrinus, quin imo, & ignobilis, ſolumque Romana Civitate donatus, & fortaſſe ob cenſum equeſtrem Cenſorum gratia, equum publicum meruit. Etenim apud Salluſtium in Catilina illi objicitur præter genus peregrinum, quod eſſet: *Inquilinus* Civis Urbis Romæ. Juvenalis *Satyra* 8. de eodem ſcribit.

Hic novus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis Eques.

His demum accedit Stanislaus Santinellus in diſſertatione de veterum Romanorum nobilitate, qui quamvis *cap.*8. vindicaverit ab invidis peculiari tractatione Ciceroniani generis nobilitatem, eum nihilominus domi nobilem tantum vocat inter Arpinates; neutiquam tamen inter Romanos Patricios adſcitum fuiſſe memorat. Quod ſi verum fuiſſet, non domi dumtaxat nobilem appellaſſet.

V. Duplicis autem generis fuiſſe Patricios ab Imperatoribus lectos reperio, quorum alii inter Patricios *Candidati*, alii inter Patricios, vel in familiam Patriciam *adlecti* dicebantur. Quod ex ſequentibus patet Inſcriptionibus. Id factum puto, ut quemadmodum ea ætate illorum aliqui præcipue aſſumebantur ad conſilia Imperatori præſtanda; ita illi inter Patricios dicerentur adlecti, qui actu eo munere fungerentur. Candidati vero, qui licet re ipſa in conſilio Principis non eſſent, tamen ejuſmodi aſſequendi muneris, Candidati inter Patricios appellabantur. De his mentio occurrit in collectione antiquarum Inſcriptionum Marquardi Gudii edita a Franciſco Heſſellio Leovardiæ *anno MDCCXXXI. pag.* 127. *num.* 2. Vetus enim In-

Inſcriptio, quæ in via Claudia Romæ proſtabat, ſequens eſt.

DIIS MANIBVS
M IVLIO M. F. AN. SVFFICIATO
ALBANO ADLECTO A SACRATIS
SIMO IMP. CÆS. TIB CLAVDIO AVGVSTO
INTER PATRICIOS CANDIDATO ET
PRO; FOR. PROVINCIÆ GALLERIÆ PROE
FECTO PEREGRIN. PROVINCIÆ BEL
GICÆ LEGATO PROVINCIÆ CYRANNICÆ
TRIBVN MIL. BIS CVR. VIAR AVRELIÆ TRI
VMPHAL CLAVDIÆ ET CASSIÆ CIMINÆ
CORRECT. TVSCIÆ ET VMBRIÆ
Q. ISACIVS M. F AV. AN RVFFIVS
PATRI DIGNISSIMO POSVIT.

De aliis apud eumdem *pag*. 3. literatum ſaxum occurrit deſcriptum ex via Gabinia Præneſtina ſequentis exempli.

IOVI OPTIMO MAXIMO
SERENATORI SACRVM
M DOVIVS CRISPINVS VIR CL.
LEG. AVG. Ñ. LEGION. M. ITA
LICÆ PROCOS. PROVINCIÆ AFRICÆ
COS. CAMPANIÆ CVRATOR REIP.
SVESSVLANORVM
QVOESTOR CANDIDATVS ELEC.
TVS IN FAMILIAM PATRICIAM
XV VIR SACR. FAC. X VIR STLITI
BVS IVDICANDIS VII. EPV
LONVM PONTIF. MINOR ET
VI. VIR AVGVST.

Item *pag*. 125. *num*. 6. ſequentem exhibet Inſcriptionem Romæ repertam in Vinea Cardinalis Ridolphi.

A. GA-

A. GABINIVS M. F. QVIR. PRISCVS
V. C. VIR A. A. A. FF QVOESTOR
A A ÆRARIO SATVRNI TRIBVNVS
MIL BIS PROEF. PROETOR. ET PRO
PROPROETOR PROVINCIÆ ACHAIÆ
ET BITHINIÆ PROCOS. PROVINCIÆ
AFRICÆ CVRATOR AQVAR. LEG. PRO
VINCIÆ ASIÆ IIII VIR VIAR CVRAND.
LATINÆ LAVICANÆ AC NOVÆ TRAIA
NÆ AB IMP. CÆSARE ADRIANO ELECTVS IN
TER FAMILIAM PATRICIAM PATRONVS
COL ÆLIÆ ZAMÆ REGIÆ XV
VIR STLITIBVS IVDICANDIS ET PROC
VR. XX HERED

Apud eumdem *pag.*37. *num.*5. aliud exhibetur literatum ſaxum effoſſum inter rudera fori Romani, cujus ſequens eſt exemplum.

L. PORCIO L. F. Q VIR. PRISCIA
NO COR. TVSCIÆ ET VMBRIÆ
XV VIRO SACR. FACIVND. ADLECTO
INTER PATRICIOS PONTIF. MINORI
ADLECTO INTER PROETOR. CAN.
DIDATO M. AVRELII ANTONINI AVG
CVRAT. ALVEI TIBER ET CLOACAR
VRB. PATRO DIGNISSIMO POPV
LONI D. D. P. P.

VI. Ex his etiam patet, quæ tunc hujuſmodi Patriciis munera committebantur, nimirum præfectura, & correctura Provinciarum, quæ Romano erant ſubjectæ Imperio, Cura viarum, Tribunatus Militum, Decemviratus Stlitibus judicandis, aliaque demum, quæ recitatæ Inſcriptiones indicant, quamobrem Dio Caſſius *lib.* 53. affirmat Patricios ab Auguſto Cæſare Provinciis fuiſſe præfectos, & *lib.*52. in fine ſcriptum reliquit: *Patriciis ad pleroſque Patrios Magiſtratus obeundos opus eſſe, ad judicia, ad litteras, ad privatorum hominum poſtulata,*

ad

ad aliaque omnia , quæ adminiſtrationi Imperii competunt: qua de re ſcribit , & Joannes Jacobus Draco *de Origine , & jure Patric. lib.*3. *cap.*4.*num.*10. De Decemviratu Stlitibus judicandis , qui in Imperio per eadem tempora potiſſimum vigebat , hæc habet eruditiſſimus Maſſonius in vita Ovidii : *Decemviratus Stlitibus judicandis recenſetur inter honores Conſularium virorum , quos omnes ex Equitibus in Senatum adlectos affirmari nequit , cum & plures ex Patriciis fuerint*:Hos Decemviros quidam credidere Conſiliarios Prætoris urbani , qui diebus juridicis adhibebantur ; Auguſtoque imperante decem erant Senatores , aut Patricii . Sub Antoninis , & Alexandro quinque Senatores , & Equites totidem ; ut animadvertit Jacobus Rævardus libro ſingulari *Pro tribunalium cap.* 18. Ipſos tamen non adſeſſores Prætoris Urbani , aut Conſiliarios fuiſſe , ſed Judices , ex Ulpiano collegit memoratus Scriptor . Ille enim *lib.* 2. *ad legem Eliam Sentiam cap.* 16. *de Manumiſſion.* ita ſcribit: *Illud in cauſis probandis meminiſſe Judices oportet , ut non ex luxuria; ſed ex affectu deſcendentes cauſas probent* . Ibi ſane de hujuſmodi Decemviris, quos Prætor adhibebat , Ulpianum loquutum fuiſſe idem opinatur Rævardus , probatque ex eo , quod ibi de cauſſis probandis ageretur , quæ probatio apud Concilium fieri ſolebat , tum etiam , quia ad legem Eliam ſentiam illud Ulpiani reſponſum pertinet ; cujus vi minor annorum viginti , nonniſi cauſſa apud Concilium probata manumittere poterat . De his mentio habetur in antiqua Inſcriptione Interamnatium Nahartium , quæ exiſtit adhuc inedita inter regiſtra Vaticani . Quam nos hic exſcribimus .

. . . .
TRIB. LEG. XI. CL. P. F. ....
X VIR STILIT IVDIC. CVR. GRA
VISCANORVM ET INTERAMNATIVM
NAHARTIVM OPT PATRONO VOL.
SINIENSES

De

De Patriciorum Indumentis, & ornatu.

CAPUT XI.

SYNOPSIS.

I. *De Purpura, aureo annulo, & Mulleis, a Patriciis, geſtatis variæ Scriptorum ſententiæ. Feſtus explicatus.* II. *Patriciorum calcei, ab aliis diverſi: Budæus, Briſſonius, & Lipſius notati. His adſuta erat lunula corniculans.* III. *Joannis Jacobi Draconis affirmantis calceos lunatos, eos ſolum Patricios tuliſſe, qui Senatores erant, opinio rejecta.* IV. *Lunula in calceis antiquiſſima nobilitatis erat inditium.* V. *Stanislaus Santinellus aſſerens lunulam ipſam in calceis Plebejos quoque nobiles geſtaſſe, confutatus. Ea erat corniculans deſinens in litteram C.* VI. *Nobiles pueri ſine diſcrimine Patricii, ſive Plebeji auream bullam collo ſuſpenſam ferebant.* VII. *Iidem latum clavum cum toga purpura induebant.* VIII. *Latum clavum quid, ejuſque forma.* IX. *Quæ Lunulæ patriciæ forma, & qua in parte tibiæ poſita.* X. *Quo tempore Patricii calceos quatuor corrigiarum abſque luna geſtarent.* XI. *Lora, & Corrigiæ patriciæ nigri coloris. Calcei patricii, & lunula quem colorem præſeferrent?* XII. *Patricii vicum Patricium in Suburra incolebant. In Capitolio habitare prohibiti, & quare?*

I. VAriis Patriciorum muneribus, Sacris, Magiſtratibus, nobilitate demum, atque præſtantia, pro virili parte enarratis; id nunc ſupereſt, ut ad ipſorum indumenti, & ornatus explicationem progrediamur. Generi enim, Ordini, Magiſtratibus, & cuique etiam nationi erant antiquitus propria conſtituta ornamenta, quibus unus ab alio diſcernebatur. Quod tamen diſcrimen immoderata noſtrorum temporum luxus, & cultus licentia penitus

nitus abſtulit, quum in dies fere ſingulos nova indumenta pro more, & uſu quiſque ab exteris mutuatur populis. Abuſus hujuſmodi Romæ olim invectus pœna infamiæ, Imperatoria ſanctione coercitus fuit, cujus mentionem facit inter Conſtit. Imperial. Enimundus Bonefidius relatus poſt Dionyſium Gotofredum *in Cod. Iuſtinian. pag.* 446. *edit. Lugdunen. tom.* 2. his verbis: *Alterum vero illius Imperatoriæ providentiæ ſpecimen: quod cum videret Romanas divitias in peregrinas, ac ſumptuoſas veſtes ſericas, Aſſyrias, Babylonicas, atque Italicas vario, ac ſolerti artificio confectas effundi: decreto ſanxit, ne quis ſubditorum iis uteretur, niſi ipſe quiſquis eſſet cum omni familia in ordinem cogi, ac notari infamia vellet, ſed iis contenti eſſent, quas Romæ provinciæ, ac munus præberent.* Hinc ad proprias Patriciorum veſtes explicandas accedens ea in re varias video Scriptorum ferri ſententias. Joannes Bohemus Aubanus in ſua omnium Gentium, morum, legum &c. collectione *lib.* 3. *cap.* 19. de Europa diſſerens: Purpuram Patricios diſcreviſſe ab Equitibus, & aurum ab Plebejis Equites, opinatur. Contra vero Henricus Kippingus *lib. altero Romanar. antiquit. cap.* 1. *num.* 3. aureum annulum Patricios geſtaſſe, ut Equites, nobileſque affirmat. Feſtus autem credit Patricios uſos mulleis fuiſſe, quibus Albanorum Reges utebantur, cujus verba deſcribens idem cenſuit Vir Clar. & Eminentiſſimus Cardinalis Corradinus *in Latio veteri tom.* 1. *cap.* 7. At ego Patricios hujuſmodi indumenta, atque inſignia geſtaſſe reor, non in argumentum Patricii generis, quum eadem Equitibus, ceteriſque nobilibus eſſent communia, veluti purpura, & aureus annulus. Quod ipſi laudati fatentur Scriptores: ſed ea induiſſe, veluti propria ejus Ordinis inſignia, in quo fortaſſe cenſiti reperiebantur, aut etiam ejus Magiſtratus, quo fungebantur. Profecto, quod attinet ad mulleos, conſtat initio iis uſos fuiſſe Ædiles ſuo jam perfunctos officio, ad quos a Regibus Albæ tranſierunt; Illis propterea die-

diebus ſolemnibus in triumphis, ludiſque publicis utebantur; erantque punicei coloris, quos nunc fortaſſe *les Mulles*, aut *Pantoſles* Galli appellant; ut ſcite animadvertit Bernardus Montfaucon in libro, cui titulus: *L'Antiquitéz explicées, & repreſentées in figure tom. 3. lib. 2. cap. 5. num. 3.* quo in loco narrat: *Ad Romanos tranſiere, deinde ad Ædiles, præcipuoſque Magiſtratus*: Hinc recte cenſet Samuel Pitiſcus *in lexico Romanar. antiquit. in verbo Mullei* vitioſum eſſe Feſti locum paullo ante recitatum: *Non enim*, inquit, *Cato, quem Feſtus allegat, Patricios uſos mulleis fuiſſe dicit; eos enim geſtaſſe affirmat, qui Magiſtratum curulem cepiſſent*: & paullo poſt addit: *Ceteri Patricii nonne Magiſtratu functi? & num Patricii tantum Magiſtratum curulem capiebant? Aut igitur aliquid deeſt in verbis Feſti, aut ejus, ſive Catonis ſententia eſt, eos, qui Magiſtratum curulem cepiſſent mulleos calceos geſtaſſe*.

II. Proprios autem calceos Patricii ferebant a mulleis, ceteriſque calceorum generibus longe diverſos. Hi ſiquidem Alberto Rubenio teſte *de Re Veſtiaria lib. 2. cap. 1. & 2.* Cavi erant, totumque pedem tegebant; quapropter *cap. altero* merito refellit Budæum, Briſſonium, Lipſium, Petavium, alioſque exiſtimantes, patricios calceos, eoſdem exſtitiſſe, ac mulleos. Hinc opportune advertens, quod de calceamenti genere a Julio Cæſare ſumto alii notarunt: *Non video*, inquit, *quare Julius Cæſar notatus fuerit, qui calceamento punico utebatur, quale olim Reges Albanorum geſtabant. Julium enim Cæſarem Patricium fuiſſe omnes norunt*. Sed præ ceteris id diſcrimen erat in Patriciorum calceis, quod in iis lunula quædam corniculans ſpectabatur adſuta, quæ Patricii generis argumentum præbebat, eamque Statius lunulam patriciam vocat *lib.4. Silva 2.* quum cecinit.

Sic te clare puer genitum ſibi Curia ſenſit,
Primaque patricia clauſit veſtigia luna.

R Eam

Eam in proprii generis ſplendorem, ac decus, ut ab reliqua populari diſcernerentur turba Patriciis Romulum ipſum conceſſiſſe auctor eſt *S. Iſidorus lib.* 19. *Originum cap. ultimo* ſcribens: *Patricios calceos Romulus reperit quatuor corrigiarum, adſutaque luna. Iis ſolum Patricii utebantur.* Idem indicat vetus Juvenalis Scholiaſtes *ad Satyram 7.* verſum explicans,

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ:

Lunula adſuta calceis, inquit, *diſcernebantur Patricii a novitiis*. De hujuſmodi calceis, quos alii lunatos, alii Patricios appellant, eleganter ſcribunt Guiellelmus Budæus *in annotationib. ad leg. ultimam ff. de Senator. pag.* 75. Roſſinus *antiquitat. Romanar. lib.* 1. *cap.* 35. Thomas Dempſterus *in paralipom.* Gothifredus *in lege Specioſus ff. de verbor. ſignificat. Lævinus Torrentius ad Satyram 6. lib.* 1. *Horatii Flacci num.* 27. & noviſſime illuſtrator Sectani in notis *ad Satyram 6. tom.* 2. *num.* 83. hujuſmodi lunulæ calceis adſutæ figuram exhibens, quam apud Solerium *in tractatu de Pileo* vidiſſe teſtatur: *Lunula*, inquit, *calceis ſuperimpoſita, & adſuta Patricios a reliquis diſtinguebat*. Proſtat, & apud Joannem Jacobum Draconem *de origin. & jure Patric. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. vetus Inſcriptio Caji Murii de Jugurtha Numidiæ Regis triumphantis, ex qua ipſum triumphali veſte, & calceis patriciis tunc uſum fuiſſe liquet. Eos autem Hermolaus Barbari *in Plini. Gloſſemat. ad Alexandrum VI. Summum Pontificem litt. C. verbo Calceorum* refert complures exiſtimare patentes fuiſſe calceos, eiſque Marium triumphaſſe. Quamobrem: *ſunt*, inquit, *qui non Patricios, ſed paticios, hoc eſt patentes calceos, ex illo Hieronymi teſtimonio, quod attuli, ſuſpicentur.* Nos autem interea integram Patricii effigiem ex Caſalio *de Imper. Rom. cap.* 8. ex quo & Balduinus exhibuit *lib. de calceo antiqu. cap.* 9. hic ob oculos lectorum repræſentamus, & ſequens eſt.

III. Sed



III. Sed idem Draco minime eſt audiendus, quum libro eodem *cap.* 10. *num.* 5. perperam cenſet, non omnes Patricios uſos lunatis his calceis fuiſſe, ſed eos dumtaxat, qui Senatorii Ordinis erant. Aſſertum gravium Scriptorum confirmari poſſe teſtimonio ſibi blanditur, præſertim vero Sigonii *lib.* 3. *de Judiciis cap.* 20. Hæc tamen prodens non ita caute diſſimulat auctoritatem Plutarchi, & aliorum, qui deſignatos calceos lunatos Viros Patricios dumtaxat geſtaſſe, referunt. Illud præterea eſt animadvertendum, adeo ſemper ſolis Patriciis hujuſmodi calceos cum

lunula fuiſſe proprios, ut pueri quoque Patricii ante ætatem Senatoriam, iis uſi ſint, & ante depoſitam prætextam; ut conſtat ex citatis paullo ante Statii carminibus; ex quibus idipſum recte animadverterat Rubenius *de Re Veſtiaria lib.2. cap.4.* Non enim noverat Draco, quale inter Senatorios, ac Patricios calceos diſcrimen eſſet, tum ex ligularum inflexione, tum maxime ex forma. Enim vero illi cavi erant, habebantque adſutam lunulam, uti ex Cicerone colligitur. 13. *Philipp.* ubi de Aſinio Senatore loquens, cujus calcei ab illis Plebejorum diverſi quidem erant, minime tamen lunati, hæc habet: *Eſt quidam Aſinius Senator voluntarius lectus ipſe a ſe, apertam Curiam vidit, poſt Cæſaris mortem, mutavit calceos, Pater conſcriptus factus eſt.* Hunc autem locum illuſtrans Rubenius ſcribit: *Supereſt, ut videamus, quibus calceis Senatores, qui non erant Patricii, uſi fuerint, florente Imperio: Nam ſane haud quaquam lunatos fuiſſe eos calceos ſatis in confeſſo eſt, & tamen diverſos fuiſſe a Plebejis ex Cicerone conſtat.* Et mox illorum formam deſcribens. *Mihi ſane indubitatum videtur, Senatores Romanos, florente Imperio, calceos cavos portaſſe, atque eos quidem haud quaquam diſſimiles Patriciorum calceis, ſi eburneam lunulam excipias.* In eamdem ſententiam recitatum Ciceronis locum explicat Joſephus Laurentius *in polymatia lib. 1. diſſert. 6.*

IV. Et ſane iis ſolum, qui Patricii erant, non vero iis, qui Senatum adibant calceos lunatos congruiſſe ex eo etiam fit manifeſtius, quod per eoſdem minime deſignabatur Ordo, in quo quis cenſebatur, nimirum utrum Senator eſſet; ſed ſolum ea generis nobilitas, quæ inſidebat Patriciis, ut iis certe, quam Senatoribus eſſent aptiores. Lunula enim in calceis antiquiſſimum erat nobilitatis inditium, & argumentum, ut patet ex ſacris quoque literis *cap.3. Iſaiæ*, in quo legimus: *In illa die auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques.* Has pri-

primum Reges Albæ mulleis adnexuerunt. Quem morem ab Arcadibus, qui cum Euandro in Latium appulerant, deductum perhibent. Arcades enim etiam *Proſelenes* ſunt appellati, hoc eſt *antilunares*, qui, ut oſtenderent, ſe ante lunam natos, eo fibulæ genere uſi ſunt, ac ſi lunam ſub pedibus haberent, ut auctor eſt Plutarchus ***problem.*** *cap.76.*, quibus alludit Ovidius *lib.* 1. *Faſtorum*.

Orta prior luna (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Hanc lunulam, teſte Philoſtrato Vit. Sophiſt. *lib.* 3. *in Herode*, quum quidam Brudeus celeberrimus inter Conſules in nobilitatis ſuæ ornamentum, & notam, calceis adnexuiſſet, Romam profectus, ac Senatum ingreſſus longo ſermone ſuæ ſtirpis laudes enarravit, at Herodes eum intuens: *Nobilitatem*, inquit, *in pedum mulleo habes:* Ejuſmodi nobilitatis ſignum, alio nomine vocabatur antiquitus *Epiſphyrion*, ut docet Cælius Rhodiginus *Noct. Atticar. lib.*20. *cap.*28. At non tantum in calceis ejuſmodi lunulæ antiquitus geſtari conſueverunt ad nobilitatis indicium, verum etiam eaſdem, mulieres, Matronæque nobiles collo ſuſpenſas, ferebant, ut idem Cælius teſtatur recitato loco, qui lunulas pro aureis bullulis collo circumjectas refert, complures exiſtimare. Hinc Corradinus *in Latio veteri tom.*1. *cap.*7. prodit: *Latinæ Matronæ ut ad Euandrum, Arcadeſque genus referrent, lunulas, bullas ſcilicet lunæ inſtar geſtare conſueverunt. Erat lunula muliebris Mundus, collum ambiens, & in formam orbicularem circumpoſitus, quem ſibi mulieres circumponebant, ut collum palam oſtenderent.* Ex his etiam liquido patet ad ſuam prodendam generis nobilitatem lunulam Patriciis a Romulo fuiſſe conceſſam, ut paullo ante ex Iſidoro vidimus; eamque ſumſiſſe ab Arcadibus, a quibus, & alios complures ritus Romam invexit, non autem a Numa Pompilio, ut opinatus eſt Alexander ab Alexandro *dierum genialium lib.* 5. *cap.* 18. & poſt Alexandrum laudatus

datus *Corradinus in Latio veteri* loco paullo ante citato.

V. Fallitur autem hac in re vehementer Santinellus in ſua *de veter. Romanor. nobilitate diſſert. cap.* 16., ubi nullo antiquorum fultus teſtimonio, ac fruſtra exercendo cenſuram adverſus S. Iſidorum opinatur, ejuſmodi lunulas initio ſolum fuiſſe conceſſas Patriciis, illarumque uſum ſequentibus temporibus plebejis quoque nobilibus exſtitiſſe promiſcuum. Poſtquam nimirum plebi omnia Patriciorum munera, & jura nobilitatis acceſſere. At vero ſatis mirari non poſſum eruditiſſimum Virum, poſtquam Patriciorum nobilitatem illa Plebejorum longe præſtantiorem, illuſtrioremque fuiſſe demonſtravit, hac ſolum de cauſſa, quia Patricii erant, illud idem proprium, ac patens indumenti diſcrimen abſtuliſſe, per quod ſicuti ſupra plebejos nobiles illi erant, ac diſtinguebantur, ita quoque eo veluti proprio, ac peculiari inſigni ſe tales oſtendebant; Quod ut palam fieret, nil congruum magis, quam indumenti peculiaris genus exiſtimatum eſt. Quo manifeſtior ejus error fiat, animadvertendum diligenter eſt, non ad quodcunque nobilitatis genus oſtendendum, lunulam illam, quam geſtabant Patricii, a Veteribus uſurpatam fuiſſe, ſed ad deſignandam dumtaxat Patriciam nobilitatem a Plebeja diverſam. Aliam enim Patriciorum, aliam Plebejorum fuiſſe nobilitatem: ipſe quoque Santinellus *recitatæ diſſertationis cap.* 11. animadvertit. Ob id autem lunula ipſa erat corniculans, deſinebatque in litteram *C*, quia indicabat centenarium illum a Romulo lectorum Patrum numerum; Unde Zonaras *lib.* 2. *Patricii*, inquit, *habebant calceamenta, quæ & inflexione corrigiarum, & nota littera ornabantur*. Quem Auctoris locum explicans Samuel Pitiſcus verbo *lunula*: *Hoc Zonaras*, inquit, *eſt interpretatus, cum legiſſet littera centenarium numerum deſignante calceos patricios ornatos fuiſſe*; *ſed C lunæ corniculantis figuram exhibens*. Idipſum jampridem Iſidorus *lib.* 19. *Originum cap. ultimo* aſſeruit: *Luna autem*

Digitized by Google

autem in iis, non ſideris formam, ſed notam centenarii numeri ſignificabat, quod initio Patricii Senatores centum fuerint. Iſidorum ſequutus eſt Paſſeratius *prælect. ſolemn. in Sex. Aur. Propertium lib. 4. In calceis patriciis*, inquit, *non ſideris formam, ſed notam centenarii numeri fuiſſe, quod initio centum Patres fuerint*. His acceſſit, & Franciſcus Hotomannus *de Senat. apud Grævium tom. 2. cap. 1. litt. E*. Male autem Zonaras, quum littera, centenarium ipſum numerum deſignante legiſſet, ornaſſe patricios calceos, eam intepretatus eſt litteram *R*, quæ apud Græcos ejuſdem numeri nota eſt. Eum propterea ſcite refellit Albertus Rubenius *cap.4*. Magis itaque congruens erat, ut ipſam in calceis Patricii dumtaxat geſtarent, quibus ea nobilitas a centum illis Patribus erat, non vero Plebejis, qui alio nomine ſibi nobilitatem comparabant, nec æqualem Patriciis oſtendere poterant, & objicere.

VI. Id autem Plebejis pueris nobilibus promiſcuum erat cum Patriciorum filiis, ut utrique auream bullam collo ſuſpenſam geſtarent, quemadmodum veterum ſuffultus teſtimoniis late demonſtrat Vir Clariſs. Franciſcus Ficoronus peculiari de Aurea Bulla tractatu edito, quem pro pleniori notitia lector conſulere poterit. Ex Etruſcis eam Bullam una cum aliis inſigniis nimirum prætexta, toga picta, ac ſella Curuli Romam illatam a Tullio Hoſtilio, poſtquam eoſdem bello ſubjecit, auctor eſt Macrobius *Saturn. lib. 1. cap.6.*, qui exinde narrat Tarquinium Priſcum de Sabinis triumphantem filium ſuum annos quatuordecim natum, quod hoſtem manu eo bello percuſſerat omnium primum aurea bulla & prætexta decoraſſe, quod & tradit Bernardus Montfaucon libro, cui titulus: *Les antiquitéz expliquée, & repreſentée en figure tom.3.lib.2. cap. 10. num. 1.* atque exhinc mos Romæ invaluit, ut nobiles Pueri aurea Bulla ornarentur, incluſis in ea quibuſdam, quæ adverſus invidiam valentiſſima credebantur, reme-

remediis. Quare idem Macrobius ſubdit: *Hinc deductus mos, ut prætexta, & bulla in uſum Puerorum nobilium uſurparentur*: & Plinius *lib.33. cap.1. Unde*, inquit, *mos bullulæ duravit, ut eorum, qui equo meruiſſent, filii inſigne id haberent*. Nobilium porro Puerorum erat ornatus, ſicut lorum Plebejorum, ut tradunt Aſconius Pedianus *in 3. in Verrem act.* & Plinius eodem loco; quod etiam indicare videtur Juvenalis *Satyr.5.* his carminibus:

Nec male conjectat; quis enim tam nudus ut illum
Bis ferat Etruſcum puero ſi contigit aurum?

Et paulo inferius.

Vel nodus tantum, aut ſignum de paupere loro.

Eam pueri uſque dum decimum attigiſſent ætatis annum, ferebant, quam deinde collo Deorum Larium ſuſpendebant, ut idem narrat Monfaucon *num.* 4. quod & Perſius *Satyra 5.* indicat:

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Præter ejuſmodi Bullæ exempla, quæ ære inciſa memoratus Vir eruditiſſimus Franciſcus Ficoronus operi ſuo inſeruit, nonnulla alia ſpectantur in aula Capitolii collocata inter antiqua ſimulacra, ac monimenta pro commodo antiquitatis ſtudioſorum eximia munificentia, & juſſu Regnantis Pontificis Optimi Maximi CLEMENTIS XII., cui nos non uno beneficio ob ingentem in nobis collatam benignitatem devinctiſſimos profitemur.

VII. Placet præterea & Viri Clariſſimi Joannis Maſſonii opinio, qui in vita Ovidii nonnulla ipſius explicans carmina ex *Elegia* 10. *lib.* 4. *Triſtium*, itidem cenſet nobiles pueros ſine diſcrimine Plebejos, Patricioſque cum toga purpura latum induiſſe clavum. Enimvero poſtquam Suetonii locum retulit de Auguſto ſumente virilem togam cum tunica laticlavia: *Non magis*, inquit, *iſta ſententia juvat, quam aliorum exiſtimantium Patricios, uti ceteros nobiles pueros nonniſi cum toga pura latum induiſſe clavum.* Et quidem ſatis apparet ex explicatis ab ipſo carminibus

latum

latum clavum Equites quoque induiſſe, quorum ordini acceнſebatur Ovidius, qui de ſe ipſo ita loquitur.

Induiturque humeris lato cum Purpura Clavo.

Eoque ſenſu intellexerunt Iſaacus Caſaubonus *in notis ad Suetonium in Auguſto cap.* 38., & Octavius Ferrarius *in analectis cap.*20.Quamvis enim tunica laticlavia proprium eſſet Senatorii Ordinis ornamentum, ut paſſim legitur apud Suetonium *in Auguſto cap.* 28. *in Tiberio cap.* 35. *in Claudio cap.* 24. nihilominus teſtimonio Manutii idem Scriptor affirmat latum clavum eorum omnium fuiſſe, qui vel patre Senatore, vel Equite nati eſſent, non quidem a primis annis per reliquam ætatem; ſed ab anno, quo virilem togam ſumebant, & quo Curiam ingrediebantur ejuſdem tunicæ jus accedebat: adeout ſi Senatoriam dignitatem aſſequi, aut nollent, aut minime poſſent, lato clavo depoſito, anguſtum clavum ſumebant. Erat autem ſolemnis Pueris Patriciis dies, quo ipſi virilem togam induebant, de quo teſtimonium perhibet antiquum monumentum Puero Patricio ſumenti virilem togam inſcriptum recitatum a Reineſio *Syntagm. inſcript. antiq. claſſ. VI. num. LXII.* & tale eſt.

TITIANO
C. MAESI TITIANI ET
FONTIEAE FRENTINAE
CONSVLARIVM FILIO
PATRICIO
OB HONOREM TOGAE VIRILIS
CLODIVS RVFVS EQVES ROMANVS
AMICO SVO INCOMPARABILI

Ceterum licet paullo poſt idem Ferrarius non univerſis, ac ſemper Equitum filiis latum clavum conceſſum fuiſſe teſtetur, & animadvertat; iis tamen ex Dione apud Xiphilinum *lib.* 67. *pag.* 164. affirmat indultum in ſpem Senatorii Ordinis. Quo vero tempore latum clavum ſumere veteres conſueverint: Idem Scriptor recitato loco aperit.

S VIII. Non


VIII. Non unà tantum de lato clavo eſt Scriptorum opinio. Manutio *quæſitor. per epiſt. lib. 2. cap. 2.* de Toga Romana (cui auctori hic liber tribuitur, tametſi non Manutium, ſed Janum Parraſium ſcriptorem ejuſdem fuiſſe ſcite, & optime obſervet Vir Clariſs. Thomas Aceti *in notis ad Barrium de ſitu Calabriæ lib. II. cap. VII.*) videtur fuiſſe purpurea tunica. Etenim quum in rem ipſam teſtimonium ex Quintiliano, & Cicerone recitaſſet, addit: *Verum de tunica laticlavi purpurea, ut omittantur dubiæ fortaſſe fidei teſtimonia, ſatis aperta ſit ſignificatio in hoc Ovidii verſu. Induiturque &c.* Octavius Ferrarius *de re veſtiaria lib. 3. cap. 10.* qui cum aliis exiſtimat tunicas, uti & togas viriles fuiſſe albas, eoſdem Quintiliani, & Ciceronis locos, quibus Manutius fidebat ad examen revocat, ut illi eripiat, ſed de recenſito Naſonis loco prorſus ſilet. Alii crediderunt latos clavos fuiſſe flores, alii fibulas, alii globulos. His vero nec immerito poſthabitis auctorum ſententiis Bernardo de Mountfaucont potius ſubſcribimus, qui *tom. 3. lib. 2. cap. 6. num. 1.* ſatis nunc apud eruditos Viros convenire aſſerit latum clavum fuiſſe aſſumentum purpureum, quod tunicis inferebatur, omneſque latos clavos, clavorum formam habuiſſe: Indeque iis ortum nomen eſſe. Quod ad illius tamen formam, atque figuram attinet, alii putant, purpurea hujuſmodi aſſumenta rotunda fuiſſe, ſicque clavum retuliſse, ideſt caput Clavi rotundum. Quando autem aſſumentum illud majus erat, tunc *latum clavum*, quando minus *anguſtum clavum* dictum fuiſſe cenſet laudatus Ferrarius, quem alii paſſim libenter ſequuntur. At Albertus Rubenius latum clavum ſignificare putat non aſſumentum rotundum, quod clavi caput refert, ſed oblongam purpuræ lineam, aut virgam, togis tunicis, vel aliis veſtibus aſſutam. Tunc vero latum clavum fuiſſe vocatum, quando latiores illæ virgæ erant; anguſtum autem clavum, quum anguſtiores.

IX. Aliis Interea eruditione, & judicii acrimonia præ-

præſtantibus Viris, quæſtionibus hiſce dirimendis, conſulto relictis, ad inſtitutum noſtrum, a quo paullulum digreſſi ſumus, revertamus. Lunulam itaque patriciam quidam fuiſſe cenſent eburneam fibulam, lunæ inſtar. Alii autem arbitrantur quemdam fuiſſe uncinum in prima calcei fronte infixum, qui propterea uncinatos calceos cum lunatis confundunt. Balduinus vero *in lib. de Calceo antiqu. cap. 9.* calcei patricii figuram ære inciſam ex Caſalio refert, quam nos quoque ex iiſdem ſupra retulimus, in qua apparet lunulas ea in parte tibiæ fuiſſe poſitas, ubi calceorum extremitates inter ſe coeunt. In hanc ſententiam, Albertus Rubenius *de re veſt. lib. 2. cap. 4.* locum, ubi poſita erat lunula, ejuſque formam explicat his verbis: *Communis Doctorum opinio, hoc inſigne calcei Patricii fuiſſe fibulam eburneam lunæ corniculantis ſpecie in malleolo pedis.* Et paullo poſt: *Alii per lunulam patriciam uncinum intelligunt in fronte calcei infixum, unde uncinatos, ſive repandos calceos cum lunatis confundunt &c quos ſatis refellit Philoſtratus.* Quatuor corrigias, quibus lunula illa commodius adnecteretur, id genus calceos habuiſſe auctor eſt idem Rubenius *cap. 2.*, & quidem ad calceorum plebejorum, unam tantum ligulam habentium, diſcrimen.

X. Sed idem Scriptor *cap.3.*ad Patriciorum calceos deſignandos refert Anaſtaſii Viri Conſularis ectypon, in quo præter alia inſignia ornamenta apparent abſque lunula calcei quatuor tantum corrigias, ſive ligulas habentes. Tametſi Conſulatus Anaſtaſii inciderit in annum Chriſti CDXCII. indict. XV. juxta Conſulares faſtos a Franciſco Pagio vulgatos *in breviar. hiſtoric. Summ. Pontific.* ut profecto eos calceos minime tulerit, uti Patricius Romanæ Reipublicæ: Conjici nihilominus poteſt poſteriori ævo, vel florente Imperio Patricios hos calceos ſumſiſſe, quo tempore Senatorum numerus ultra centum excreverat, iique poſtea proprii fuerint eorum, qui vel Conſula-

tu, vel Patriciatu aucti ab Imperatoribus erant, de quibus libro ſequenti ſermonem habebimus. Ceterum cum certum ſit hujuſmodi Calceis etiam florente Republica uſos Patricios fuiſſe, quamvis ex ſuperius allata Patricii effigie minime appareant, quod & nobis argumentum ſuppeditat poſteriori ævo, uti indicavimus, eoſdem abſque lunula habuiſſe ex memorata Anaſtaſii figura, rurſus hic exhibemus.



XI. Has corrigias Seneca *in libro de Tranquillitate animæ* vocat *lora patricia*: *Quæ dignitas*, inquit, *cujus non prætexta, & augurale, & lora patricia, & ſordes continentur*. Eaſdem nigras ex nigra aluta compoſitas fuiſſe autumat recitato loco Rubenius, qui tamen non ita nigros calceos fuiſſe prodit. Verum ex Juvenali erui poſſe arbitror haudquaquam totum calceum, ſed ſolum ſuperiorem ejuſdem partem ad tibiam, provenientem nigram fuiſſe. Scribit enim Satyra 7.verſ.191. Poeta lepidiſſimus.

Adpoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Joſeph Laurentius *in polymatia lib.*1.*diſſert.*6. calceos nigri coloris fuiſſe cenſet; Rubenius autem modo albos, modo coccineos, vel auratos putat. Illuſtrator vero Q. Sectani in notis ad Satyram 6. *tom.*2. *num.*83. *Color, autem ejus ab initio niger, poſtea tamen cereus, galbeus, coccineus*. Et quidem ad Plebejorum diſcrimen, quorum calcei albi erant, ut probat Lipſius *elect. lib.* 1. *cap.* 3. ex loco Martialis:

Sor-

Sordidior cœno cum ſit toga, calceus autem
Candidior prima ſit tibi Cinna nive.

Lunulam iis fuiſſe ſubtextam cum pelle capræ ex veteribus mſs.Codicibus interpretantibus deſcriptum Juvenalis carmen in allata Satyra 7. refert Samuel Pitiſcus verbo *Lunula*. Quum autem ipſæ tum uſui, tum etiam ornamento eſſent, Balduinus *de Calceo antiqu. cap.* 9. demonſtrat eas non eburneas ſolum, ſed, & pretioſas, auroque, & gemmis ornatas Patricios geſtaſſe. Scribit enim: *Quod ſi quis veteri more Romano ſingulos Patriciorum calceos una tantum lunula, eaque, vel ferrea, vel ærea, vel ad ſummum eburnea fuiſſe inſignitos, contendunt, non repugno.*

XII. Illud tandem pro coronide ſcire juvat: Patricios, ſicuti propria habuere munera, ſacra, Magiſtratus, atque ornamenta, ut hactenus vidimus, ſic etiam præcipuam, ac unis ipſis in Urbe Roma conſtitutam regionem incoluiſſe. Iis ſiquidem Servio Tullio jubente conceſſum fuit, ut ſolum in ea Urbis parte morarentur, quæ ab hodierna Suburra, inter Viminalem Collem, & Eſquilias ad S. Pudentianæ extenditur, & Villam Perettam, quæ ab ipſis incolis vicus patricius eſt appellata. Hunc Feſtus ita deſcribit: *Patricius, vicus Romæ dictus, eo quod ibi Patricii habitaverunt, jubente Servio Tullio, ut ſi quod molirentur adverſus ipſum, ex locis ſuperioribus opprimerentur*. Eum porro fuiſſe non regionis nomen ex illis quatuordecim ab Auguſti partitione in Urbe deſignatis, ſed Regionis quintæ Eſquilinæ partem ex eodem Feſto, & ex aliis Romanæ Urbis hiſtoricis licet colligere, præſertim ex Donato *lib.*3. *cap.*10., Nardino *lib.*5. *cap.*2. & Marliano *lib.* 4. *cap.* 20. Vici patricii meminit & Martialis *lib.*7. *epigr.*72. quum cecinit:

.... *Eſquiliis domus eſt tibi Colle Dianæ.*
Et ſua Patricius culmina vicus habet.

Fas autem Patriciis non erat in Capitolio habitare: Siquidem poſt caſum M. Manlii Viri patricii, qui crimine affe-

affectati Regni damnatus, e ſaxo Tarpejo dejectus fuit, latum ad populum exſtitit, auctore Livio *lib.6.*, ne quis Patricius in arce, aut in Capitolio habitaret. De hujuſmodi populi edicto & Plutarchus *in quæſt. Roman. nu.*91. ſic ſcribit: *Cur Patriciis non licebat prope Capitolium habitare? An quia M. Manlius ibi habitans tyrannidem affectavit? propter quem illa familia jure jurando ſe obſtrinxit, nemini ſe Marci prænomen facturam. Aut antiquus tenebat metus? Etenim Poplicolam hominem magis, quam quiſquam fuerit, popularem non deſtiterunt calumniis impetere potentiores, metuere vero Plebs, antequam domum ſuam ipſa diruit, quod ea imminere foro videretur.*

OCTA-

OCTAVIANI GENTILII

De Dignitate Patriciatus ex Inſtitutione Orientalium Imperatorum

LIBER SECUNDUS.

De Origine, & Qualitate Patriciatus.

CAPUT I.

SYNOPSIS.

I. *Tranſlato Byzantium Imperio Conſtantinus Magnus in honoris titulum Patriciatum excogitat*. II. *Alexandri ab Alexandro opinio, qua cenſet, primum Patricios ab Alexandro Severo inſtitutos, confutatur*. III. *Zoſimus, & Pithæus adverſus Thomam Dempſterium defenſi*. IV. *Examinatur Guido Pancirolus ſcribens, Patricios ab Auguſto inventos*. V. *Patricii Romani Byzantium acciti plura ædificia conſtruunt. Sertorii Urſatti, & Samuelis Pitiſci de origine Patriciatus opiniones rejectæ*. VI. *Accurſii, & Valentini Foſterii de re ipſa errores notati*. VII. *Conſtantinus Magnus Patricios Romanæ Reipublicæ nec abolevit, nec iis quidquam detraxit*. VIII. *Patriciatus unde dictus, Patricii* Patres Imperatorum *vocati*. IX. *Patriciatus Purus, ſed ſummus honor abſque juriſdictione*. X. *Patriciatus an Ordo, vel Dignitas?*

I. ACturo nunc de Patriciorum honorificæ dignitatis origine in ipſo primo diſſertationis limine notandum occurrit: Conſtantinum Magnum poſtquam ab Urbe, victo Maxentio Romanum Imperium, Byzantium tranſtulit; plures

Digitized by Google

plures in aula imperatoria dignitates inſtituiſſe. Euſebius Cæſarienſis in ejus vita *lib.* 4. *Alii*, inquit, *prope infiniti clariſſimos honores adepti ſunt*; *nam*, *ut plurimos honoribus afficeret*, *diverſos dignitatum gradus excogitavit*: Ratus fortaſſe inter tot nobiliſſimos Viros ſui obſequio addictos ſeſe exhibere ſpectaculum ſplendidiſſimæ majeſtatis. Patriciatus autem dignitatem excogitaſſe habetur ex Zoſimo *libro altero hiſtoriar.*, cujus auctoritate nixi docent id etiam Baronius *annal. Eccleſiaſt. to.* 3. *anno* 337. *litt.* D. Henricus Spondanus *in epitome eorumdem num.* 9. Jacobus Gutherus *de officiis domus Auguſtæ lib.* 2. *cap.* 19. Sigonius *de Regno Italiæ lib.* 4. *anno* 173. Julius Cæſar Bulengerus *de Imperatore*, *& Imperio Romano lib.* 3. *cap.* 1. Angelus de Nuce *in notis ad Chronica Monaſterii Caſſinenſis* Leonis Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis a Clariſſimo Viro Ludovico Antonio Muratorio vulgatum *tom.* 4. *rerum Italicarum*.

II. Mirari certe vehementer ſubiret, hujus dignitatis Euſebium nuper relatum, antiquum ſcriptorem in vita Conſtantini non meminiſſe; niſi, ut opinor, ſilentio prætermiſerit, tanquam rem ſuo ævo notiſſimam: quare ne alterius quidem dignitatis ab eodem inſtitutæ, aliqua mentione facta, generatim ſcripſit plurimas, ipſum, dignitates inſtituiſſe. Atque hinc ad refellendos quorumdam Neotericorum errores progredior. Nonnulli hanc dignitatem primum ab Alexandro Severo Imperatore inſtitutam putant. Id cenſuit jampridem Alexander ab Alexandro *Dierum genial. lib.* 4. *cap.* 11. quem deinde Herodiani perperam accepto fultus teſtimonio ſecutus eſt Matthæus Indenius *in ſuis prælectionibus ad* §. *Filius familias Inſtitut. quibus modis jus patriæ poteſtat. ſolvitur*. Hos tamen Joannes Jacobus Draco *libro ſecundo de Origin. & Jure Patric. cap.* 1. merito cenſet non eſſe audiendos. Quod enim ſpectat ad Herodiani teſtimonium *ex lib.* 6. *hiſtoriar.* nullum ſane inſtitutionis hujus dignitatis pro-

profert inditium : *Alexander* , inquit , *poſt Antoninum* , *nomen* , *inſigniaque gerebat imperii* . *Ceterum negociorum adminiſtratio* , *ac Principatus gubernacula mulieribus* , (*Aviæ* , *ſcilicet* , *ejus Meſæ* , *&* *Matri Mammææ*) *incumbebat* , *omnia transferre ad modeſtiam* , *gravitatemque conantibus* . *Quippe jam primum ſexdecim ordinis Senatorii Viros* , *ætatis gravitate* , *vitæque ſanctimonia præcellentes adſeſſores Principis* , *&* *Conſiliarios delegit* , *nihil* , *aut dicebatur* , *aut agebatur niſi illorum accedente ſuffragio* : Ex his itaque verbis, Viris illis ab Imperatore delectis ad Imperii negocia tractanda , novum aliquem Patriciatus honorem attributum fuiſſe minime inſpicitur; nec ſi illi fortaſſe aliqua Patriciorum dignitate fulſiſſent , non ipſa ſtatim dignitas cenſenda eſſet , de qua nunc agimus ; ſed , quoniam Senatorii erant ordinis , ea , de qua ſuperiori libro egimus , ornati eſſe poterant . Quæ res , ut opinor , in cauſſa fuit , ut memorati ſcriptores fallerentur .

III. Jam vero ab recenſita, & rejecta non admodum diverſę ſententię inhęrere videtur Thomas Dempſterus *in paralipom. ad antiquitates Romanas* , Roſſini *lib.7.cap.15.* qui interea , nec Zoſimo ſcriptori antiquiſſimo , nec Pithæo Zoſimum ſecuto adſentitur , certe antiquorum Patriciorum nomine , & uſu deceptus : *Neque vero* , ait , *Pithæo adſentior* , *qui ex Zoſimo lib.2. vult Patriciatus honorem a Conſtantino inſtitutum* . *Ille enim tantum arbitrariam hanc prærogativam deſignat ab eo excogitatam*; *diu enim antea nomen fuerat* : Sed ipſum inique adverſus memoratos ſcriptores cenſuram exercuiſſe notat Draco *loco citato num.7.* Profecto, quamvis ante Conſtantini ætatem Patricii nomen viguiſſe nemo jure negaverit : quoniam ab antiquiſſima Romuli inſtitutione profectum , notum eſt : eo tamen ſenſu , quo ille accipit de Patriciatus dignitate differens , ante Conſtantini ætatem uſurpatum , invenire non licet . Nec ejus ſententiam probat , quod ex

Suetonio, & Symmaco refert; nimirum Patris Patriæ, ac Tutoris Imperii nomina jam pridem nota: enim vero, ut recte Draco arguit loco allegato: *Alia eſt dignitas, aliud nomen, Patriciorum antiquitati hoc ſenſu prorſus incognitum*. Qua de re conſulenda ſunt, quæ nos *ſuperioris libri capite extremo* protulimus.

IV. At non deſunt, qui ab Auguſto Cæſare jampridem hanc dignitatem inſtitutam prodant: propterea quod ex Dione conſtet *libro 55.* quindecim Senatores ſibi Conſiliarios domeſticos adlegiſſe, & a Senatu alios viginti annuos accepiſſe, eoſque propterea veluti Principis Conſiliarios ab antiquis Patriciis, *Patricios* fuiſſe appellatos. Ita Pichardus *in Commentar. Inſtitut. Juſtiniani lib.4. tit.16. §. Non omnium num. 35. & 36.* & Panciroluſ *in notitia dignitat. utriuſque Imperii cap. 2. de Illuſtrib. Spectabil. & Clariſ.* Quem tamen refellunt Franciſcus Amaya *in Comentar. ad tres libros poſter. Cod. Juſtiniani lib.10. tit.31. num. 50.* & Bulenger. *de Imperatore, & Imperio Romano lib.3. cap.1.*, ac Laurentius Beyerlink *in theatro vitæ humanæ verbo Patricius*: Ab iſtis Patriciis derivatam fuiſſe dignitatem Patriciatus conjectat idem Franciſcus Amaya loco allegato: *Licet non dubitaverim hanc dignitatem Patriciatus ab illo inſtituto Auguſti originem aliquam duxiſſe, & a Conſtantino, novo genere dignitatis amplificatam*: Quod nec diſſimulat Laurentius Beyerlink ſcribens: *Alioquin etiam Auguſtus Patricios inſtituerat*. Quorum Scriptorum ſententiam facile amplector.

V. Conferunt enim huic opinioni, quæ apud Glicam *Annal. par.4.* Legimus; Magnum nempe Conſtantinum, quum novam ab ſe Urbem extructam exiguo hominum numero refertam cerneret, quotquot Romæ illuſtriores Patricii erant, Conſtantinopolim tranſtuliſſe. Et primum quidem impulit eo migrare, ut deinde excogitato quodam artificio ibidem retineret; Quippe eorum annu-

los

los ab ipſis recepit, eoſque contra Perſarum Regem miſit. At interea eiſdem bello occupatis annulos Romani ad uxores deferri juſſit, quo ſuaderet, ut Byzantium ſe conferrent. Tandem victo Perſarum Rege, illi reverſi, cum Romam cogitarent, ex eo facto, intellecta voluntate Imperatoris, tandem ceſſere, patriamque cum nova Urbe commutarunt. Idem Glicas teſtis eſt, ipſos deinde ibidem conſediſſe, ac Domos, Templa, Hoſpitia, ac Ædes plurimas condidiſſe. Propterea horum nomine dignitatem Patriciatus appellatam fuiſſe, mirum forte videri non poterit repetenti ea, quæ dictis optime congruunt penes Cangium *in Conſtantinopoli Chriſtiana lib. 2. num. 16.* Cum enim eadem ædificia ab his Patriciis extructa, & ab eorum nominibus ſuam ſumſiſſe nomenclaturam ſcribat, eoſdem non immerito, *Primos Patricios Conſtantinianos* appellat: *Primi iſti*, ait, *Patricii Conſtantiniani magnificas in Urbe habuere ædes*: Hoc itaque ſenſu arbitror intelligendum eſſe Pancirolum, qui poſtquam plura de Patriciis ab Auguſto inſtitutis delibaſſet, adjecit: *Patricii Comites Conſiſtoriani, quam dignitatem a Conſtantino inventam Zoſimus autumat*: Sed hinc refellitur Sertorii Urſatti opinio, *qui libro de Notis Romanorum apud Grævium in Theſauro Antiquit. Romanar. tom. 2. pag. mihi* 892. eam dignitatem exortam putat tempore Juſtiniani; cujus auctoritate deceptus eſt nuper Samuel Pitiſcus *in Lexico Romanar. antiquit. verbo Patriciatus*, qui illius ſcriptoris, etſi nullam mentionem fecerit, ab eodem tamen omnia accepit, ejuſque verbis pro ſuis eſt uſus. Doctis enim, ac eruditis Viris ſatis nota, ac explorata res eſt, Patriciatus originem Juſtiniano antiquiorem eſſe, cum ex veterum auctoritate, tum etiam ex pluribus a Theodoſio, & Zenone editis de eadem dignitate Conſtitutionibus. Qui ſane Imperatores Juſtiniano antiquiores ſunt.

VI. Nunc, quænam fuerit hæc dignitas, & in quo con-

conſiſteret diſquirendum eſt. Accurſius *in* §. *Lex eſt Inſtitut. de jure naturali Gentium*, *&* *Civili*, *&* §. 4. *verbo Patriciatus Inſtitut. quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur* memoratos Patricios confudit cum Patriciis priſcæ Romanorum Reipublicæ, tali nuncupatione a prima donatis origine: ac proinde omnia, quæ ad iſtos ſpectare noverat ad Patricios Conſtantinianos tranſtulit. Eum proinde merito erroris arguunt Martinus Magerus *de advocat. armata cap.* 5. Gregorius Toloſanus *ſyntagm. juris civilis cap.* 16. *num.* 4. & Franciſcus Amaya *in Commentar. ad* 3. *lib. poſter. Codicis Juſtinian. lib.* 10. *tit.* 31. *nu.* 49. Eodem laborat errore Valentinus Foſterius *de juriſdictione Romana cap. altero num.* 14. ubi confuſa Patriciatus dignitate a Conſtantino inventa cum Patriciatu Romanæ Reipublicæ, eadem jura, & honores Patriciis iſtis accommodavit, qui, ut modo ajebam, Conſtantinum Magnum auctorem habuerunt: additque auctam tantum, & amplificatam tempore ejuſdem Conſtantini, Theodoſii, ac ſequentium Imperatorum uſque ad Juſtinianum eam dignitatem fuiſſe. Accedit his Otto *in diſſertat. de jure publico Imperii Roman. cap.* 3., ubi veterum Romanorum inter Patricios, Plebejoſque memorata diviſione ſtatim de Patriciis ſubjicit: *Quorum dignitas Imperatoriæ majeſtati erat proxima*, *ſuperiorque Præfectura Prætorii introducta a Conſtantino Magno*: Quare Joannes Jacobus Draco in proœmio adverſus eumdem ſic ait: *Fœdus re vera error*, *&* *nulla ratione componendum diſſidium*, *ideo præſertim*, *quia ſibi ipſi non conſtans auctor eodem cap.* 3. *pag.* 49. *ſubjicit*: *Ceterum longe aliter in Conſtitutionibus Imperatorum accipiendi ſunt Patricii*, *ubi quos antea pro eiſdem acceperat*, *nunc differre ait*, *ſui*, *ut apparet non parum oblitus.*

VII. Hic autem juvat animadvertere, memoratos ſcriptores fortaſſe hac hallucinatione fuiſſe occupatos, quod Patricii illi cum majorum, tum minorum Gentium tum illi, qui ab Imperatoribus, concedente Senatu in Con-

Digitized by Google

Conſiliarios aſſumebantur, de quibus ſuperiori libro ſermonem inſtitui, occurrunt etiam poſt Conſtantinum Magnum, quos ipſe neque abolevit, nec quicquam iis detraxit. Propterea recte obſervat Jacobus Gutherus *de Offic. Domus Auguſtæ lib. 2. cap. 19. Varios Patriciorum ordines poſt Conſtantini tempora. Primum eorum, qui a majorum, vel minorum gentium Patriciis originem ducunt; ſecundum eorum, qui generali nomine a Conſtantino Patres appellati ſunt*: & paullo poſt: *Patricii autem veteres jus gentilitatis retinuerunt, cui nihil Conſtantinus Imperator derogavit*: Ex his mentio occurrit Joannis Patricii, qui vixit anno CCCLII., & Liberianam Baſilicam in Exquilino Colle a Deipara cælitus cum uxore in ſomnis admonitus, loco prodigialibus nivibus Auguſto menſe delapſis deſignato, in honorem ejuſdem Virginis Matris extruxit, & prædivite patrimonio dotavit apud Eminentiſſimum Baronium *in Annalibus Eccleſiaſticis tom. 4. anno 367.*, & apud Civem meum Joannem Severanum *libro de ſeptem Urbis Eccleſiis folio 690.* Præterea in ſuis Inſtitutionibus de unoquoque Patriciorum genere diſtincte loquitur Juſtinianus. *In* §. Enim *lex eſt de Jure natural. Gentium, & Civili: Plebs autem*, inquit, *a populo eo differt, quo ſpecies a genere, nam appellatione populi, univerſi cives ſignificantur, connumerati*[illegible]*m Patriciis, & Senatoribus. Plebis autem appellatione ſine Patriciis, & Senatoribus, ceteri cives ſignificantur*: In §. Vero, *Filius familias titulo quibus modis jus Patriæ poteſt. ſolvitur: Ex conſtitutione*, inquit, *noſtra ſumma Patriciatus dignitas, illico imperialibus codicillis præſtitis filium a patria poteſtate liberat*: Recte propterea ad hujus §. Explicationem Mathias Indenius Noricæ Academiæ olim illuſtris Profeſſor in ſuis prælectionibus docuit non eoſdem eſſe Patricios iſtos de quo in eo §. Loquitur, ac illi de quibus in §. Lex eſt, ſermo erat jampridem ab Imperatore inſtitutus, quod & firmat Matthæus Weſſenbecius *in dicto*

dicta

Digitized by Google

dicto §. *Filius familias num.* 4. Hoc autem animadvertit diſcrimen inter utroſque Jacobus Gutherus, nimirum, ut intelligendum ſit, novos Patricios novis honoribus Conſtantinum cumulaſſe, & ab illis vetuſtioribus omnino diſtinctos. Unde perperam Bartholomæus Platea libro de Hierarchia Cardinalitia *in proœmio digreſſ.* 2. Italico ſermone vulgato hos Patricios a Conſtantino inſtitutos, vocavit Patricios Romanos. Præterea ſcite obſervavit Julius Cæſar Bulengerius de Imperatore, & Imperio Romano *lib.* 3. *cap.* 1. *Quod ne hi, quidem Patricii, fuerunt illo ſignificatu, quo a Conſtantino Patricii facti: ſed neque ii, qui priores, ac primores Senatus dicuntur Tacito lib.* 4. *Annal. Patricii novo Conſtantini more fuere*.

VIII. Patriciam itaque dignitatem non ex eo dictam putarem, quod Patricii Patres Patriæ eſſent, ut placuit Laurentio Beyerlink *in theatro vitæ humanæ verbo Patricius*, ſed quia Patricii Patres eſſent Imperatorum, ut ſcite explicat *Gloſ. in leg. quoties Cod. ubi Senator. vel Clariſ.* in qua habetur: *Et dicitur Patricius, quem ſibi in Patrem Imperator elegit*. Unde Cujacius *in leg.* 5. *Cod. de Conſulib. & non ſpargen. &c. lib.* 12. *Recte autem*, inquit, *in hac lege Patricium Juſtinianus definit, quem ſibi Patrem fecit Imperator*: Et Matthæus Weſſembecius *in* §. *Filius familias Inſtitut. quibus modis jus patriæ poteſt. ſolvitur num.* 4. idemque Franciſcus Amaya *num.* 52. affirmant, ut cenſet etiam Julius Cæſar Bulenger. *lib.* 3. *cap.* 1. Hujus ſententiæ videntur etiam fuiſſe antiqui Poetæ. Claudianus *lib.* 3. *in Eutropium*.

..... Præſidium legum Genitorque vocatur
Principis &c.

Et Corippus *lib.* 4. *de laudibus Juſtini num.* 5.

Patricius ſenio fulgens Calinicus honore
Qui Pater Imperii meruit jam factus haberi.

Sæpe in Codice Theodoſiano; virum Patricium *parentem* ſibi kariſſimum, atque amantiſſimum Imperator appel-

Digitized by Google

pellat : *In lege enim unica ſub titulo de Parentibus*, *qui filios ſuos diſtraxerint*, Etium Patritium, cui illa mittitur, Valentinianus Imperator his verbis alloquitur : *Eti Parens kariſſime, atque amantiſſime inluſtris, ac præcelſa magnificentia tua notitiæ omnium, propoſitis vulgabit edictis*: Idem Imperator *legem unicam ſub titulo de Epiſcopal. Judic.* dirigens Firmino Patricio eique præcipiens, ut eam vulget edictis : *Firmine Parens kariſſime*, inquit, *atque amantiſſime inluſtris, ac præcelſa magnificentia tua hanc ſaluberrimam legem &c.* Et Majoranus in ſua ad Senatum miſſa epiſtola, quo tempore Imperator fuit renunciatus præter cetera hæc habet : *Nos cum Patre, Patricioque noſtro Recimero rei militaris curam gerevus, & Romanæ Reipublicæ ſtatum, quem communibus excubiis, & ab heſterno hoſte, & a domeſtica clade liberavimus*: quæ epiſtola recitatur a Sigonio *lib.*14. *Imperii Occident.* Memoratus proinde Franciſcus Amaya animadvertit Patricios in Codice Theodoſiano his notis ſignari ſolitos : P. K. A. : hoc eſt : *Parens kariſſime, amantiſſime.* Neque prætereundum eſt, non alio nomine uſum erga Patricios fuiſſe Juſtinianum Imperatorem, cum eoſdem ſolverit a nexu patriæ poteſtatis: *Ne videantur*, inquiens, *qui a nobis loco Patris honorantur*, *alieno juri eſſe ſubjecti*: ut conſtat *ex leg. ſancimus* 5. *Cod. de Conſul.* & *non ſpargen.*

IX. Præterea, ſumma iſta dignitas nihil aliud, quam parum honoris titulum conferebat; erat enim abſque ulla juriſdictione, & tunc ſolum, potiſſimum augebatur, quum Patriciis adminiſtrationem Imperatores committebant, ut affirmat Hieronymus Bignonius *in annot. ad lib.*1. *formular. Marculphi Monachi cap.*35. recte quoque Jacobus Gutherus *cap.*14. *Omnes omnium dignitatum*, ait, *a vacantibus, & honorariis, titulo tenus acquiſitas, Patriciorum, Conſularium, Præfectorum, quæ quidem nihil aliud, niſi parum honorem conferebant, qui augebatur, ſi adminiſtrationis merito, & in ipſo cingulo vacantes*

tes deſignarentur : quod aſſerunt Franciſcus Amaya loco ſupra allegato *num. 62.*, & Angelus de Nuce *in notis ad Chronica Monaſter. Caſſinen. ad cap.* 1. Ex his propterea inferunt Jacobus Gretſerus *lib. 3. obſervat. ad Georgium Curopalatam cap.* 17., *& Cæſar Bulenger. lib. 3. cap.* 1. Patriciatum quandoque importare non ſolum dignitatem, ſed etiam officium, & Præfecturam, cujus rei exempla Jacobus Gretſerus congerit plurima, quæ tamen jampridem obſervarunt Meurſius in Gloſſar. ex Suida, Procopio, & Malco in Byzanticis. Summum præterea honorem tum perſonæ, tum familiæ Patriciatus dignitas afferebat; quare Apolinaris Sidonius *epiſt.16. lib.5.* ad Papianillam ſcripſit: *Ego vero non tantum inſignibus veſtris, quæ tu hactenus, quanto, liberius tanto impatientius præſtolabare, quantum concordia fruor, quam par eſt, noſtris ſuiſque Liberis in poſterum exopto votis in commune depoſcens, ut ſicut nos utramque familiam noſtram præfectoriam nacti, etiam Patriciam divino favore reddidimus, ita ipſi, quam ſuſcipiunt Patriciam faciunt conſularem* : Sed perperam ex eo arguit Wolfangus Lazius *lib. 9. Comentar. Roman. cap.*8. Patriciatus honorem ſemel adeptum non ſolum perpetuo in vita manſiſſe, verum etiam in filios, nepoteſve fuiſſe tranſmiſſum; erat namque illa dignitas, non ſucceſſione cuiquam debita, ſed a Principe concedi ſolita ob alicujus præcipua merita, quæ propterea ad heredes ſucceſſionis nomine tranſire non poterat: ſequebatur enim perſonam, cui hærebat. Quapropter non recte Alciatus *in annotat. ad titulum de Conſulib.* & Myſinger. *ad §. Plebiſcitum Inſtitut. de Jure naturali Gent. & Civili* dubii hac in re hærent; quum æque dici poſſit: impetrata a Principe, dignitate, Poſteritati quoque conſultum, quum ob id *familia Patricia* ſubinde appelletur, quamvis nemo re ipſa Patricia fungatur dignitate; Quod certe hodie etiam in uſu eſſe videmus: ut qui ejus ſunt gentis, & agnationis, in qua re ipſa exſtiterit ali-

aliquis Marchio, Comes aut Dominus, adhuc retineant eoſdem dignitatis titulos, & honoris inſignia, quamvis ob dominium, vel feudum amiſſum, aut alteri venditum nullus ſit modo Comes, Dominus, aut Marchio; ita tamen dignitatis titulis potiantur, ut ſuæ gentis deſignent originem, & ex illis Comitibus, aut Dominis jure appellandi ſint; ut ſcite demonſtrat Cardinalis de Luca *de Præmin. diſc.45. num.12.*

X. Illud etiam præſtat animadvertere: memoratum Franciſcum Amaya, etſi ſemper Patriciatum dignitatem vocaſſet, hæſiſſe tamen loco recitato *num.62.*, an ordinem ille potius haberet, quam dignitatem. Unum nihilominus ex Caſſiodoro verbum ſibi inſtar faculæ affulſiſſe dixit, quod Patriciatus ordo, non dignitas fuerit, quoniam Patricii nihil juriſdictionis haberent, ac plurimi eſſent; Matthęus etiam Weſſenbecius loco allegato Ordinem vocat. Sed, ſi poſt tantos Viros, quos magni facio, ſententiam meam aperire licet, puto, quod neutiquam inter ſe diſcrepet. Patriciatum Ordinem eſſe, & dignitatem: quodve Patricii uti univerſi, Ordinem conſtituerent, & uti ſinguli, dignitatem. Profecto eos uti univerſos, Ordinem conſtituiſſe, perſpicuum, ni fallor, præbet argumentum Nicetas Paphlago *in vita S. Ignatii Patriarchæ C. P.* e Græco idiomate in Latinum converſa a Cangio *in Conſtantinopoli Chriſtiana lib. 3. cap. 76.* Narrat enim Ignatium ipſum Patriarcham Baſilii Imperatoris juſſu ab exilio revocatum ab occurſantibus Patriciis in Magnam Eccleſiam fuiſſe exceptum; quo in loco quum Patricii plures eſſent, ac univerſi, eos deſignat cum nota Ordinis: *Cum ad ſuperiora templi*, inquit, *per portam dextram duceretur*; *ingredientem Ordo Patricius occurſans, venerabundus excepit*: Ceterum Patriciatus non ſolum *ſublimis honor*, *excelſa*, *ſummaque dignitas*; *verum etiam dignitatum culmen*, *& apex* ab eiſdem Imperatoribus nuncupatur. Habentur hujus rei luculentiſſima exempla *in*

V *leg.*

Digitized by Google

leg. nemini Cod. de Conſul. & non ſpargen. leg. ſancimus Cod. eodem leg. curialibus Cod. de Decurion. ibique Gloſſa. Quod fortaſſe ſpectavit illuſtris Poeta Apollinaris Sidonius *carm.7. verſ.155.* apud Sirmundum *to.1.oper. Variar.*

Per Proavos Gentiſque tuæ, te teſte Philagri
Patricius reſplendet apex.

De Patriciorum Creatione, conditione, & meritis.

CAPUT II.

SYNOPSIS.

I. *Aſcendere ad Patriciatum non licebat, niſi poſt optime geſtos quoſdam Magiſtratus.* II. *Eunuchi a Patriciatu excluſi lege per Theodoſium lata. Iidem deinde, & Poetæ ad eam dignitatem admiſſi.* III. *Juſtinianus abrogat conſtitutionem Zenonis Imperatoris; Moremque reſtituit, quo Patricii Imperatorem ſalutabant.* IV. *Qua ætate Patricius creari liceret.* V. *Abſentibus Patriciatus delatus, codicillorum miſſione, vel delegatione alterius Patricii, qui abſentem Patricium renunciaret.* VI. *Indigenæ coram Imperatore, quum dignitatem inirent, tondebantur.* VII. *Formula conlati Patriciatus.* VIII. *Patriciatus confertur a Gothorum Regibus, & in quo conſiſteret, & quamdiu ab ipſis collatus.* IX. *Poſt conlatam alicui dignitatem, conferentes, Senatum Urbis certiorem reddebant.* X. *Patricii creati a Galliæ Regibus. Iidem, etiam apud Anglos & Belgas.*

I. Patefacta origine, & qualitate Patriciatus e re ducimus exponere, cuinam ea dignitas, quomodo, & a quibus conferri ſoleret. Equum ſane erat, ut ad tanti honoris faſtigium eveherentur tantummodo Viri emeriti,

riti, qui inferioris Ordinis Magiſtratus cum laude perfuncti, in aula Principis loco Patris eidem eſſe debebant. Eum itaque initio conlatum fuiſſe Viris eximia virtute, ac nobilitate præſtantibus, ſæpe etiam Regibus, Principibus, & iis, qui Imperatoribus erant fœdere juncti prodit Bodinus *de Republic. lib.* 1. *cap.* 4. & Angelus de Nuce *in notis ad Chronica Monaſterii Caſſinenſis lib.* 1. *cap.* 12. De poſtremis ſuo loco a nobis ſingillatim erit agendum: de ceteris opportunam hic tractationem aggredimur. In primis Conſtantinum Imperatorem cognomento Magnum Patriciatu Viros Clariſſimos decoraſſe, teſtis eſt Zoſimus *lib.*2. *hiſtor.* ubi Optatum ab ipſo ad Patriciatum, elatum, & a Conſtantio Imperatore poſtmodum interfectum, *Virum Clariſſimum* nuncupat. Conſtantini exemplum ſequuti nonnulli ſequioris ætatis Imperatores, ut magis Patriciatus gloria augeretur, ſanxerunt, ne quis ad hujus dignitatis culmen aſcenderet, niſi poſt Conſulatus honorem aut bene geſtam Præfecturam Prætorii, vel Præfecturam Illyrici, ac demum niſi Magiſtri Officiorum fuiſſent, aut Magiſtri Militum: quo experimento fides eorum, ac induſtria approbata cenſebatur. Eam Zeno Imperator legem edidit, quæ refertur *in Cod. Juſtinianeo leg. nemini titulo de Conſul. & non ſpargen.*, quam explicat in hunc ſenſum noſter Juriſconſultus Joannes de Platea, eumque ſequitur Soacius *de Romanor. & Venetor. Magiſtrat. inter ſe comparat. nu.* 36. & Bulengerius *de Imperat. & Imper. Romano lib.* 3. *cap.* 1. Obſervant autem Eminentiſſimus Noriſius *in Cenotaphiis Piſanis diſſert.*4., & Vir Clariſs. Joannes Franciſcus Baldini *in notis ad Anaſtaſ. Bibliothec. in Stephano III. in to.*4. *ſect.* 244. iis præſertim patuiſſe aditum ad ejuſmodi dignitatem, qui Magiſtri Militum in bellis operam ſuam bene navaſſent. Hinc porro Ecdicius, cum fuiſſet ſub Anthemio Magiſter Militum, deinde Patricius creatus fuit a Nepote, ut ſcribit *in epiſt.* 1. *lib.* 2. Apollinaris Sidonius apud Sirmundum *oper. variar. to.* 1.

V 2 Ida-

Idacius *in Chronico ad initium Imperii Valentiniani III.*, ait: *Felix Patricius ordinatur ex Magiſtro Militum*: Et ad annum nonum ejuſdem Imperatoris: *Etius Dux utriuſque militiæ, Patricius ordinatur*. Alexius item Armeniacorum Prætor ab Imperatore ad dignitatem Patriciatus fuit evectus, teſte Anonymo *in hiſtor. miſcell. lib.23.* apud Muratorium *tom.1. rer. Italic.* Quare neceſſe erat, ut per alias dignitates ad ipſam fieret progreſſus *ex Gloſſa in leg. Curialibus 66. Cod. de Decurionibus*. Quamobrem ſi eo non ſervato munerum, ac meritorum Ordine Patriciatum quis adipiſceretur, *per ſaltum promotus Patricius dicebatur*; Hinc Ammianus Marcellinus *lib.26. num.10. Socer Petronius*, inquit, *ex Præpoſito Martenſium promotus repentino ſaltu Patricius*.

II. Prius autem Theodoſius Imperator cogitans Eutropium Eunuchum læſæ majeſtatis reum a parente ſuo Arcadio condemnatum, edicto vetuit, ne quis Eunuchus inter Patricios cooptaretur, ut tradit Suidas *hiſtor. litt. P. verbo* πάτρικιος, & Bulengerius *lib. 3. cap. 1.* cujus publicationis, & ademti Patriciatus conſtitutio eſtat *in Cod. Theodoſ. ſub tit. de pœnis*, ejuſque meminit pro re nata Cujacius *in leg. 5. Cod. de Conſulib. & non ſpargen. lib.12.* In Eunuchos, poſtquam plura congeſſiſſet Joannes Jacobus Draco *de origine, & jure Patr. lib.2. cap.2. a num.21. ad 27.* Rationem etiam latæ legis enunciat: *Propter hæc omnia*, inquit, *viſum ſine dubio fuit Theodoſio, Eunuchos tanquam minorum bonorum incapaces, multo magis a ſublimi Patriciatus dignitate procul abigere*: At vero quum ceteri Imperatores cœpiſſent poſtmodum cuique de ſe optime merito hanc dignitatem tribuere, Patricios creabant, etiamſi requiſitis dignitatibus prius potiti non fuiſſent; Quare ſæpenumero ſuis etiam Eunuchis, quos apprime diligerent, probatæque fidei haberent, deferre Patriciatum conſueverunt, ut obſervat Angelus de Nuce *lib. 1. cap.52.* Huic enim, potius aſſen-

Digitized by Google

aſſentiri libet, quam Draconi, *qui lib.2. cap. altero n.2.* citati operis, de re ipſa ſatis ex hiſtoriis explorata ſubdubitat. Etius ſane Eunuchus, quum ab Æmulo pulſus in Dalmatiam, ad Hunnos profugiſſet, & eorum opera pacem obtinuiſſet; Patriciatus dignitatem illico ab Imperatore adeptus eſt, ut conſtat ex Anonymo *in hiſtor. miſcel. lib.* 14. Sed, & apud eumdem Anonymum *lib.* 23. de Theodoro Eunucho Patricio, tempore Irenis Imperatricis Prætore Siciliæ fit mentio, qui in bello, cum Francis inito, ibidem peremptus fuit; ac de Leone Eunucho item Patricio, & Sacellario Sinopeos. Præterea Clariſſimi etiam Poetæ, Patricii renunciati ab Imperatoribus fuerunt; Zenonis enim Auguſti geſta Georgius Cedrenus deſcribens *in compend. hiſtoriar. tom.* 1. *pag.* 354., tradit Pelagium, Virum, dignitate Patricium, hiſtoriam metro digeſſiſſe ab Auguſto deductam, & Homerocentones compoſuiſſe, eumdemque ab eodem Zenone deinde interfectum. Occurrit etiam apud Suidam Cyrus Panopolita Poeta, quem Theodoſius junior Præfectum Prætorio, Urbis Prætorem, Conſularem, & Patricium creavit, ut obſervat Clariſs. Vir Juſtus Fontaninus *de antiquit. Hortæ lib.*2. *cap.*5. *num.*5.

III. Summæ huic dignitati Juſtinianum Imperatorem non parum detraxiſſe conſtat; Conſtitutionem ſiquidem Zenonis abrogavit, & illuſtribus etiam Viris patere Patriciatum edixit, etſi neque conſulare, neque præfectorium munus obiiſſent, ut colligitur ex ejuſdem *novella* 62. apud Julianum. *In Gloſſa legis nemini Cod. de Conſulibus, & non ſpargen. verbo dignitatem*, ſcriptum legitur: *Sed Illuſtribus Viris permittebatur Patriciatus Codicillos accipere, quamvis hujuſmodi dignitatibus non fuiſſent decorati, ut in novella de ordine*: In rem ipſam, etiam notant Jacobus Cujacius *in leg.*3. *Cod. de Conſul. & non ſpargen. lib.* 12., & Jacobus Gutherus *de Officiis Domus Auguſt. cap.*19., quod: *Huic conſtitutioni* (Zenonis) *Juſtinianus*

nus derogavit, *nam ex illius novella 62. licuit Illuſtribus Viris Patriciatus Codicillos accipere*, *quamvis neque Conſulares eſſent*, *neque Præfectorii*: Quo factum eſt, ut, quum ipſe, quos vellet ad Patriciatum extolleret, Patriciorum ampliſſimum Ordinem, ſuo ſenſim obſequio addictum reddiderit. Novavit ſiquidem plura, quæ ſilentio prætermittere profeſſus fuit idem Procopius *in hiſtoria arcana cap. ultimo*: Referam tamen, quæ idem narrat de more ſalutandi Imperatorem. Profecto quiſque Patricii Ordinis antiquitus ad dextram mammam Cæſarem venerabatur, illique recedenti oſculum Cæſar impartiebat in capite; Auguſtæ autem mos nullus adorandæ fuit: *Verum*, inquit Auctor, *cum in conſpectum Juſtiniani*, *Theodoræque venirent*, *tum alii*, *tum qui Patriciæ dignitatis eſſent*, *ſtatim in faciem procumbebant*, *ac manibus*, *pedibuſque tenſis utrumque Principis pedem oſculo proſequebantur*, *ac tunc abſcedebant*; *neque hunc honorem reſpuit Theodora*.

IV. Supereſt hic aliquid addere de ætate, qua ad hujus honoris culmen pervenire liceret: Sero enimvero, ac fere provectiori ætate in Patriciorum ordinem cooptabantur Viri præſtantes; Nam quum poſt Conſulatum ad illum fieret progreſſio, conſtat Conſulatum circa ætatis annum ſecundum, & quadrageſimum ex legum ſanctionibus adire quempiam conſueviſſe, ut docent Juſtus Lipſius *in lib. poſt. de Magiſtrat. veter. populi Romani cap. 5.* Jacobus Cujacius *lib. 17. obſervat. cap. 34.* Dionyſius Gothofredus *ad legem unicam ff. de Officio Conſul.* Patriciatus itaque accedebat ætate magis provecta, ut animadvertit, & probat Joannes Jacobus Draco *lib. 2. cap. 2. num. 11.* At ob hoc, minime præcluſus fuit aditus Juvenibus ad hanc dignitatem adipiſcendam, qui meritis, ac prudentia præditi ſe ipſos, ſenes factis præclaris oſtenderent, Ecdicio ſane florenti juventute Patriciatum a Julio nepote fuiſſe conlatum, teſtatur Sidonius *lib. 5. epiſt. 16.* ſcribens: *Honor*

nor Patricius, accedit celerrime, ſi cogites ætatem, ſi merita, tardiſſime: De hoc Ennodius *in Vita Epiphanii*: *Stupuerunt, plurimi*, ait, *qui mores illius cum ætatis immaturitate jungebant, ſeram credebant hanc dignitatem redditam eſſe, qui noverant*: Videbis Savar. *in Comentar. ad dictam epiſtolam, & ad epiſt.* 1. *in princip. lib.* 2. Idem Ennodius in Paræneſi Didaſcalica celeberrimum Severinum Boetium propinquum ſuum prima florente juventute Patriciatum geſſiſſe memorat: *Eſt*, inquit, *Boetius Patricius, in quo vix diſcendi annos reſpicis, & intelligis peritiam ſufficere item docendi*: Boetius ipſe *lib.* 2. *conſolationis Philoſophiæ*, hoc idem prodit, ubi eamdem Philoſophiam ſequentibus verbis ſe conſolantem inducit: *Prætereo (licet enim præterire communia) ſumptas in adoleſcentia, negatas ſenibus dignitates ad felicitatis tuæ cumulum venire delectat*: His ſiquidem verbis indicari Patriciatum, quo vir magnus admodum juvenis ornatus eſt, diſerte affirmat Renatus Vallinus in notis ad eumdem librum *pag.*32. *edition. Batavorum*. De Marcello, & Baduario Corippus *lib.*2. *num.*8. *ita cecinit*.

His ætas diſpar, ſed par votum, atque voluntas,
Ambo Patricii, dilecti, Principis ambo.

Illud tandem obſervat Jacobus Draco *dicto lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 19., quod ante pubertatis annos nemo creatus fuit Patricius, quum ridiculum eſſet impuberem patrem Principis eligi: Quo argumento Antonius Goveanus Bartholi quæſtionem recte otioſam dixit, num ſcilicet ei, qui per Patriciatus dignitatem patria poteſtate exiit, ſubſtitui queat pupillariter. Nam is, cui pupillariter heres ſubſtituitur, tantæ dignitatis omnino incapax exiſtimatur. At laudatus paullo ante Vallinus, *cum pag.* 33. Severinum Boetium natum credibile putet circa annum Jeſu Chriſti CCCCXCV. Patriciatu vero auctum circa annum DVIII. ea ſupputatione dignoſcitur, quod Patricius renunciatus fuit annum ætatis agens circiter decimum tertium; & pro-

propterea adhuc impubes. Siquidem in maſculis pubertas initium accipit poſt decimum quartum completum annum, ut diſpoſuit Juſtinianus *in §. Pupilli, pupillæque Inſtitut. Quibus modis tutela finitur*.

V. Quibus vero cæremoniis, quave ritus celebritate eam dignitatem Imperatores conferrent, aperiendum modo eſt. Qua in re illud primum obſervo, Patriciatum illis, qui apud Auguſtum verſabantur, non fuiſſe adeo peculiarem, ut exteris quoque, & abſentibus non fuerit communis, quos eo honore ſæpenumero auctos legimus, ut ad obſequia Imperatoris allicerentur. At iſti ab Aula ſepoſiti nullo obeundo muneri deſtinebantur, ſed ſolo Imperatoris patrocinio gaudere cenſebantur; optime enim Angelus de Nuce *in notis ad Chronica Monaſterii Caſſinenſ. lib. 1. cap. 52. Exteri quoque*, ait, *eodem hoc bonore ab Imperatoribus Orientis decorati non ſemel fuerunt, & ad præſtanda obſequia illecti; qui ab aula ſepoſiti nullo obeundo muneri deſtinabantur, ſed ſub Patrocinio Imperatoris manere in maximum ſuæ dignitatis augmentum, nec omnino ſine fructu, & emolumento aliquo referebant*: Fiebat abſentium in Patricios creatio, vel codicillorum miſſione, quos renunciando Patricio afferebat vir aliquis eximius, & dignitate ſpectabilis, cujus rei teſtimonium habetur *in epiſt. 16.* Apollinaris Sidonii *lib. 5.*, qui enarrans Quæſtorem Licinium Ravenna adveniſſe, gratulatur germano Ecdicii, quod ab illo honorem Patriciatus eſſet accepturus; afferebat enim ipſi Patriciatus codicillos: In notis Sirmundi ad eam epiſtolam pro re nata legitur: *Scripſit de Codicillis Patriciatus, quos Ecdicio Comiti attulit a Nepote*: Committebatur etiam quandoque Viro Patricio, ut eam dignitatem alteri conferret; quocirca Leo Imperator, quum adverſus Saracenos bellum gereret, proficiſci juſſit cum valida Græcorum manu Nicolaum Patricium ad partes Gariliani, quas illi occupabant, delegata eidem duorum Patriciorum creatione. Is, ut

ut a Saracenis disjungeret Gregorium Ducem Neapolitanum, & Joannem Ducem Cajetæ, utrumque Patricium renunciavit, teſte eodem Angelo de Nuce loco citato, qui hæc narrat ex antiquis accepta monumentis.

VI. Qua ſolemni formula indigenæ, præſenteſque crearentur Patricii ab Imperatore, quum nuſquam habeatur expreſſum; certo definire non licet. Plures Auctores celebrant eam formulam Patriciatus, quam didicere ex hiſtoria Paulli Forojulienſis de geſtis Longobardorum, quæ nondum publicis vulgata typis proſtat in Bibliotheca Vaticana; ex qua liquet: Imperatorem, una cum Hipparco, & Protoſpatario induiſſe novum Patricium quodam pallio, ejuſque indicem dextrum ornaſſe annulo; tradidiſſeque illi poſtea Bombacinum, in quo propria Imperatoris manu ſcriptum erat: ESTO PATRICIUS, M. ET I. Hanc formulam in creatione Patriciorum communiter uſurpatam fuiſſe, tradunt Calvinus *in Lexico juris*, *verbo Patriciatus*, Sertorius Urſattus *de notis Romanor. in theſauro Grœviano*, & Joannes Jacobus Draco *lib.2. cap.3.*, & Vir Clariſſimus Cajetanus Cenni *in præfat. ad Chronologiam Cæſaream Pontificiam tom. 4. Anaſtaſii Bibliothecarii num.* 41. At ex Auctoris verbis animadverto, formulam illam congruere tantum Viris Patriciis, qui Eccleſiis advocati tribuebantur, de quibus quum capite ſequenti præcipuus nobis inſtituendus ſit ſermo; integram ibi formulam referemus. Verius profecto puto ab Græcis Imperatoribus hoc ritu Patricios, creatos fuiſſe; ut nempe coram eiſdem renunciandus Patricius, capite tonderetur, deinde ab Imperatore, veſtibus auro textis indueretur. Cujuſmodi creationis ſpecimen exhibet periocha epiſtolæ Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, quæ proſtat apud Joannem Mabillonium *de re diplomatica lib.2. cap.3. litt.E.* In ea ſiquidem, legitur Arichiſium, Ducem Neapolitanum, quum a Carolo Magno petiiſſet Patriciatus honorem, eum non alias

X Duci

Duci conferre voluiſſe, niſi: *Promiſſo facto de tonſura, & veſtibus ſuſcipiendis more Græcorum*: Quo audito eidem Arichiſio Carolum Magnum, ſuos miſiſſe legatos, qui ipſum Patricium conſtituerent: *De honore Patriciatus, egregius eſt locus* (inquit ſuprarelatus ſcriptor) *in epiſtola Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, a quo Archiſius Dux honorem Patriciatus petiiſſe memoratur una cum Ducatu Neapolitano, promiſſo facto de tonſura, & veſtibus ſuſcipiendis more Græcorum. Hæc audiens Imperator emiſit illi ſuos legatos ad Patricium eum conſtituendum, ferentes ſecum veſtes auro textas ſimul, & ſpatam, vel pectinem, & forcipes, ſicut illi, prædictus Arichiſius indui, & tonderi pollicitus fuit*. Codicillos porro, ſeu formulam Patriciatus, quem Caſſiodorus *lib.6. variar.*, & Soacius *de Romanor. & Venetor. Magiſtrat. inter ſe comparat. num.*36. referunt, ego quoque totam hic ob oculos Lectorum exhibebo. Eam enim generalem quemdam typum aſſeruit Jo: Jacobus Draco *lib.2. cap.3. poſt n.*10.

FORMULA PATRICIATUS.

VII. S*I antiquitatis ordinem perſcrutemur, origine dignitatum, Patriciorum familia Jovi noſcitur fuiſſe dicata: Ut ſummi Dei*, (ſicut putavere) *cultura locum primarium poſſiderent; ſed quia vos aliquid habere decebat eximium, & nomen ipſum Patribus magna ſe viciniiate jungebat, ſuperſtitione derelicta ad veſtrum cœtum felici conditione migravit, quia Pontificalis laus conſcientiæ, Senatui recte poterat convenire. Sic ex augurali familia Reges quoque legitur, inſtitutos non injuria, quia decuit a tali propoſito venire, qui publica poterat jura tractare: Hinc eſt, quod, & honor ipſe cinctus eſt, cum vacaret, nihil juriſdictionis habens, & judicantis cingulum non deponens, in quo felicitas perpetuo naſcitur, dum ſucceſſoris ambitio non timetur; nam mox, ut datus fuerit, in vite*

tem-

tempus reliquum homini ſit coævus, ornatus individuus, cingulum fidele, quod neſcit ante deſerere, quam de mundo homines contingat exire; credo ad ſimilitudinem Pontificatus, unde venerat, rem fuiſſe formatam; qui Sacerdotium non deponunt, niſi cum vitæ munera derelinquant. Additur, quod leges tantam illis reverentiam detulerunt, ut in ſacris poſitus cum hoc honore præcinctus paternæ poteſtatis nexibus eruatur, niſi contra a Principe caveatur, quod conſtat ratione probabili conſtitutum: ut qui ampliſſimum genium pretioſæ libertatis acceperat, viliſſimam conditionem cum ſubditis non haberet. Præfectorios, & aliarum dignitatum Viros præcedit; Uni tantum cedens fulgori, quem interdum etiam a nobis conſtat aſſumi: Proinde neceſſario laudatam intellige dignitatem: Ne aut nos parum dediſſe videatur, aut ſi negligentius tractes, ſi te aliquid mediocre ſuſcepiſſe putares. Quapropter ab illa indictione noſtro munere ſublevatus; PATRICIATUS CULMEN *aſcende, quod quidam juridicorum a patribus dictum eſſe voluerunt, facturus omnia, quæ tantam reverentiam decent; Nam quamvis magna contulerit noſtra clementia, habes adhuc, quod expectes, ſi te probabiliter tractare contendas.*

VIII. Dum hac dignitate Conſtantinopoli, nobiliſſimi Viri decorarentur, ad Imperialis, & Auguſtæ majeſtatis ornamentum, alibi etiam, dignitas ipſa uſurpari cœpit; adeout non Græci tantum Imperatores, verum etiam exteri Reges, ſummique Principes illorum excitati exemplo, plures hujuſmodi honore inſignirent, ut obſervat cum Budeo *in leg. fin. ff. de Senator.* Soacius *de Romanor., & Venet. Magiſtrat. inter ſe comparat. nu.*38. Credidit Purpuratus hoſce Patricios fuiſſe milites alicujus ordinis, qui a Viris Principibus ex patriæ optimatibus creabantur; ſed tamen certo id aſſerere non audet, ut Soacius ibidem ait, vetitus ne ea de cauſſa equeſtrem ordinem cum Senatorio confunderet. His quidem Patriciis

non diſſimilis dignitas erat a Patriciatu Græcorum;Quum enim Athalaricus Gothorum Rex hoc honore Tolonicum ornaſſet: *Hic eſt honor*, inquit, *qui*, *& armis convenit*, *& in pace reſplendet*; *hunc illa dives Græcia*, *quæ multo glorioſiſſimo Domino Avo noſtro habuit*, *gratificata perſolvit*: Ut in Caſſiodori *epiſt.* 9. *lib.* 8. legitur. Et ſane dignitas iſta non aliter ab eodem Athalarico, & jampridem a Theodorico Gothorum Regibus conferebatur, niſi ex more Græci Patriciatus; Non enim quis antea ad illam evehebatur, quam alios geſſiſſet honorificos Magiſtratus, ortuſque ſaltem eſſet illuſtri familia. Ex ceteris Caſſiodori epiſtolis, tertiam dumtaxat *lib.* 1. nunc referam, quæ apertiſſimum huic rei teſtimonium ſuppeditat; Reliquas, autem, quum in idem incidant, ſingillatim recenſere prętermitto. Theodoricus ſane Caſſiodoro Patriciatum contulit, poſtquam Brutiorum, & Lucaniæ Corrector fuit, geſſitque Præfecturam Prætorianam: *His igitur*, ait, *tot ampliſſimis honoribus invitati*, *Patriciatus tibi apicem*, *juſta remuneratione conferimus*, *ut*, *quod aliis eſt præmium*, *tibi ſit retributio meritorum*.

IX. Atque hic præcipue illud animadverto ſcripſiſſe Theodoricum Urbis Senatui, ac recenſuiſſe munera ab eo cum laude, geſta, dignitatis, ſcilicet Comitivæ Privatarum, & ſacrarum largitionum, Adminiſtrationis Provinciarum, ad demum Prætorianæ Præfecturæ; laudeſque multas ipſius familiæ delibaſſe: additque: *Hinc eſt*, *quod Caſſiodoro illuſtri*, *& magnifico Viro*, *præcipue in Republica*, *claritate notiſſimo*, *Patriciatum dedimus pro remuneratione ſuggeſtum*: *ut per honorem magni nominis declarentur merita ſervientis*: Idem animadvertere licet ex *lib.* 3. *epiſt.* 6., *& lib.* 8. *epiſt.* 22., qua Athalaricus Rex Cyprianum Virum de Republica optime meritum Patricium renunciaſſe, eidem Urbis Senatui ſcribit. Atque ex hoc hujuſmodi dignitatem ipſos Reges injuſſu Senatus, aut Imperatoris jure conferre minime potuiſſe

con-

conjicere eſt. Siquidem Theodahatus preſſus Juſtiniani armis, metuque adactus ab illius Legato graviora ipſi minante niſi Juſtiniano ſatisfeciſſet, perterritus inde, ac ſi bello captus eſſet remotis arbitris, Legatum allocutus fuit; quod ſi pacem cum Imperatore obtinuiſſet, hæc ipſi præſtiturum promittebat, nimirum: *In primis ſe Sicilia univerſa ceſſurum; illique coronam auream trecentarum librarum in ſingulos annos daturum; Gothorum tria millia ad ejus arbitrium ſummiſſurum. Ipſius, aut Senatus injuſſu neminem aut vita, aut facultatibus mulctaturum, neque ad PATRICIATUM, aliamque dignitatem aliquem perducturum, ſed eam poteſtatem ab Imperatore poſtulaturum*: ut ſcribit Sigonius *de Regno Italiæ lib.*17. *in Theodahato pag.*652. Noverat enim ab Imperatoris auctoritate pendere ejuſdem dignitatis collationem.

X. Francorum quoque Reges viris præſtantibus Patriciatum contuliſſe, exploratum eſt: Cujus dignitatis genus, Galliæ inventum putavit Antonius Dadinus Altaſerra *in notis, & obſervat. ad litteras S.Gregorii Magni lib.*2. *epiſt.*23. *Ea ætate*, inquit, *fuere Patricii in Gallia, quod genus dignitatis ibi inventum Reges admiſere*: Hi vero Patricii, præcipua Regni munera obibant: Provinciarumque adminiſtratio non aliis fere apud Francos credebatur; Quare non incongruum puto verba Ludovici Morerii in Lexico hiſtorico, Gallica lingua edito hic deſcribere, quæ ſub vocabulo: *Patriciens* ita leguntur: *Les primiers Rois François ayant trouuè dans les gaules pluſieurs Grands, qui portojent cette qualitè de Patrices, la conſerverent pour en honorer ceux, qui il clevojent aux primiers charges du Royame, e commèc etoit dù Rang de ces Patrices, qu on choiſiſoit les governeurs de Provinces, de la vient, que le nom de Patrice ſe prend aſſez ſouvent dans les auteurs de ce tems la, pour marquer un Governeur*: Summæ vero penes eoſdem Galliæ Reges dignitatis Patriciatum fuiſſe, oſtendit Synodus Arauſicana a Cæſario Arelatenſi contra Fauſtum

Rhe-

Rhegienſem habita, & S. Gregorii M. PP. epiſtolarum regeſtum; Unde Arigium, & Aſclepiodotum, alioſque ſub Francorum Regibus, eo Patriciatus munere functos fuiſſe diſcimus. Ex Gregorio Turonenſi multis in locis conſtat ſub Guntchranno Rege Patricios extitiſſe, qui Provincias Rhodano finitimas regerent, & exercitum ducerent; eamque dignitatem, *Patriciatus honorem*, *Patriciatus item culmen appellat*. Hac donatos etiam fuiſſe Agricolam, Celſum, Pericium, & Mummulum refert idem Gregorius *lib.*4. *cap.*24., *&* 42. Patricios inſuper Galliæ, plures enumerat Hieronymus Bignonius *in notis ad Marculſum Monachum lib. antiq. formular.* 1. *cap.*35. Poſtremo Patriciatus dignitatem ab Anglis quoque uſurpatam fuiſſe reperio apud Alcuinum *epiſt.* 11., quæ ad Æthelredem Regem, & Oſbaldum Patricium ſcripta eſt: cujus etiam Patricii meminerunt Rogerius Hovedenus *annal. par.* 1. *ſub unnum Chriſti* 796., & Hieronymus Bignonius eodem paullo ante recitato *lib.* 1. *cap.*35. ſimiliter apud Belgas Patriciatus dignitatem viguiſſe ex Lupano, & Guilelmo Buda affirmat Joannes Jacobus Draco *libro ſecundo cap.*6. *num.*38. Minorem tamen amplitudinis, & poteſtatis, quam apud alias nationes eam ibi fuiſſe, mihi perſuadeo. Nec aliud fortaſſe innuunt Lupanus, & Buda, recitato a Dracone, loco, quum ſcribit: *Eos Patriciolos, & Patriciaſtros Flandriæ nominant*.

De Multiplici Genere Patriciorum.

CAPUT III.

SYNOPSIS.

I. *Patriciorum tripartita diviſio tradita a Jacobo Guthero*. II. *Joannis Jacobi Draconis opinio de Expatriciis examinatur*. III. Expatricii, *qui fuerint ad ſententiam* leg. Quoties Cod. ubi Senator., vel Clariſs. IV. *Pa-*

IV. Patricii militiæ cum Patriciis Occidentis, & Italiæ, confuſi a Jacobo Guthero, & Gonzalez Tellez. V. Patriciorum quatuor genera, ſeu Ordines deſignantur. VI. Patricii Orientalium Imperatorum a Patriciis, creatis ab aliis Principibus diſtincti. VII. Patricii aliorum Principum Conſiliarii *dicti. VIII. Alii* Præſentales, *alii* Codicillares. *IX. Panciroli, & Jacobi Hofman aſſerentium Patricios, eoſdem fuiſſe, ac Comites Conſiſtorianos, error animadverſus. X. Comites Conſiſtoriani qui, & quot fuerint. XI. Patriciatus Romanus a Conſtantinopolitano diſtinctus, & a quibus collatus.*

I. QUum res, de qua agitur, ſatis varia, ſit, & multiplex, nihil in ipſa enucleanda, illuſtrandaque perinde neceſſarium videtur, quam Patriciorum varietatem, atque diſcrimen aperire; ne diſtincta illorum munia, & jura confundantur, & quæ alterius ſunt Generis, tribuantur alteri. Patriciorum itaque varietate patefacta, ſingillatim, quæ, uti ſua, cuique generi tribuenda ſunt, indicabo; errores etiam Auctorum pro re nata detegam, atque refellam, qui diſtinctos Patriciorum Ordines, eorumque dignitatem, præſtantiam, jura, res denique confundunt, vel minus recte memorant. Omnium primus, quem hactenus viderim, Jacobus Gutherus *lib. altero de Offic. domus auguſt. cap.* 19. tria Patriciorum genera poſt Conſtantini Magni ætatem conſtituit: quem juſta cenſura, & correctione adhibita, potiſſimum ſequor. Quoſdam ille Patricios fuiſſe notat, qui generali nomine ab Imperatoribus *Patres* appellati fuerunt: alios, qui *Patriciorum* nomine rem bellicam adminiſtrabant: poſtremos denique *Expatricios*: Quorum ordinem ab ſe deprehenſum, a nullo antea obſervatum ſignificat: *Legimus*, inquit, *in Zenonis conſtitutione Patricios Viros, & Expatricios; Unde tertium Patriciorum ordi-*

ordinem conſtituo, *quem uſque nunc neminem advertiſſe video*. Mirari tamen ſatis non poſſum, auctorem, tertium hoc Patriciorum genus minime illuſtraſſe, quod omnium primum ſe animadvertiſſe prodit: obiterque, re ut nova propoſita, veniam lectores rogat: *Si in re*, ait, *admodum obſcura*, *nos aliquando cæcutimus*, *ignoſcent ii*, *qui in veterum lectione verſati*, *in hujuſmodi difficultates plurimas incidunt*, *veniamque mutuam a peritioribus expoſtulant*.

II. Duas autem de Viris *Expatriciis*, a Joanne Jacobo Dracone *de Origin*., *&* *Jure Patricior. lib. 2. cap. 6.* video proferri ſententias: quarum neutri prorſus aſſentior. Primam ille promit ex Andrea Alciato *lib.* 4. *diſputat. cap.* 3., & Joachim Myſingerio *in* §. *Cumque hoc in proœmio Inſtitut.*, qui opinantur nullum eſſe diſcrimen inter Quæſtores, & Exquæſtores, inter Conſules, & Exconſules, quum hujuſmodi vocabula in uſu fuiſſe dicant Juſtiniani temporibus, cujus ævo in barbariem collapſa fuerat Latini ſermonis caſtitas; Aſſertæ vero rei argumentum mutuantur *ex leg. tanta in principio Cod. de veter. jure enuclean.*, *&* *lege maximum vitium Cod. de Liberis præteritis*, ubi idem Juſtinianus Tribonianum nunc Exquęſtorem, nunc Quęſtorem indiſcriminatim appellat; Ex quo memoratus Draco infert: *Hoc modo Patricius*, *&* *Expatricius eſſent ſynonyma*: Alteram ſententiam affert ex Franciſco Hotomano, & Petro Heig *in* §. *Cumque hoc in proœmio Inſtitut.* atque Antonio Auguſtino *lib.* 3. *Emendation. cap.* 3., qui memoriæ produnt, Exconſules, & Exquęſtores a Græcis appellatos, quos veteres Quęſtorios, & Conſulares vocabant; ceteroſque alios Magiſtratus, & officia, quæ ſimilem haberent adjectionem dictionis *Ex*, non aliam interpretationem recipere, quam ut eo munere functos fuiſſe ſignificent. Quapropter inde colligit Expatricios non alios fuiſſe, quam, qui Patriciatus adminiſtrationem, officiumque cum laude expleverint.

verint. Hos tandem Expatricios ſolum apud Gothos fuiſſe cum Cangio ſentit Vir Clariſs. Cajetanus Cenni *in præfat. ad Chronologiam Cæſaream Pontific. tom. 2. Anaſtaſii Bibliothecarii num.*41. ſcribit enim : *Idem tamen* (*Cangius*) *in Cod. Theodoſiano legens Expatricios, id tantum obtinuiſſe apud Gothos cum auctoribus aliis ſentit*. Verum, ut hæc memoratis ſcriptoribus utcunque condonemus, probari certe uſquequaque non poſſunt. Vereor, ne eodem modo excipi debeat, & Jacobus Draco, qui ipſarum dignitatum exemplo idem de Patriciatu affirmavit; Id certe accuratius inveſtigare, ac validioribus inſtructus momentis pronunciare debuerat, quum hanc de Patriciis tractationem cura præcipua, maturaque cum primis opera ſuſcepiſſet. Enim vero non parum aſſerto officit, quod paullo ante *cap.* 1. hujus libri notavi, nimirum Patriciatus dignitatem mere honorariam fuiſſe, ſine ulla juriſdictione, & miniſterio: eamque non temporariam, ſed perpetuam; Quapropter in eam quiſque libens deſcendet ſententiam, ut credat, Expatricios, illos non fuiſſe, qui Patriciatu functi erant; quum ejuſdem dignitatis inſignia nunquam deponerent, ipſique quoad viverent, ornarentur; præſertim apud Gothos; ut conſtat ex Caſſiodoro *lib.6. variar. in formula Patriciatus*, notavitque Angelus de Nuce *ad Chronica Monaſterii Caſſinen. caput primum, libri primi illuſtrans*.

III. Quamvis autem minime inficiar *ex leg. quoties Cod. ubi Senator. vel Clariſs.* Expatricium accipi pro eo, qui Patriciatum, & adminiſtrationem depoſuit; quoniam Zeno Imperator cognitionem cauſſarum Illuſtrium, & Clariſſimorum Virorum in civilibus, & criminalibus ad ſe advocans, etiam poſtquam ipſi munere dignitatis, & adminiſtrationis functi erant, Viros Patricios, & Expatricios inter eoſdem enumerat; Quod clarius explicat Gloſſa in verbo : *Expatricio*, ubi id nominis, qui depoſuit Patriciatum, interpretatur; nihilominus ſimilius vero

ro arbitror deſignatam legem nec ita vage intelligi debere, nec memoratos in ea Patricios adminiſtrationem habuiſſe. Præcipuus ſiquidem ejus ſcopus eſt, eximendi a foro quorumcunque Judicum; ſolique Imperatoris judicio ſiſtendi illos, qui obtinebant honorarias dignitates, quod viderentur adminiſtrationem egiſſe, tametſi nullam habuerint; ut explicationis gratia idem Imperator in ipſa Conſtitutione ſubijcit: *Viros autem illuſtres in hac inclita Urbe degentes, qui ſine adminiſtratione honorariis decorati fuerint codicillis, licet talem prærogativam noſtræ juſſionis meruerint, ut quod non egerint, videantur egiſſe*: & clarius Gloſſa explicat in eo verbo egiſſe ubi legitur: *Habent enim dignitatem illam ſine adminiſtratione, ac ſi habuiſſent adminiſtrationem*: Hinc mirum forte videri non poterit, ſi Patricios, & Expatricios in hac conſtitutione Zeno Imperator enumeret inter eas dignitates, quæ re ipſa adminiſtrationem habebant. Hujuſmodi interpretatione, quum ſatis, ſuperque perſpicuum ſit, excludi penitus vagam illam, ac generalem intelligentiam Expatriciis traditam a Dracone, de cetero non negaverim intelligi ſaltem de aliquo Patriciatus genere eam legem poſſe: Quod quum temporarium eſſet, deponebatur, ejuſque, quam habebat, adminiſtrationis munus deſinebat. Ejus generis erant Patricii Militiæ, & Civitatum Præſides Patricii nomine decorati; qui perpetuo Patriciatu minime fungebantur, ſed ad nutum Principis adminiſtrationem, & munus obibant; quod ſcite poſtmodum notavit Jacobus Gutherus *lib.* 2. *cap.* 19., cujus hæc verba ſunt: *Patricii ergo hujus generis* (inquit de Patriciis Militiæ) *magna præditi poteſtate, non perpetui, ſed ad nutum Principis, ut cetera officia deſtituti ſunt, & Expatricii dicti finita adminiſtratione*: Cautum enim erat lege, ab eodem Zenone lata, ne unquam eſſet inane nomen indulti honoris, & dignitatis, illud ſemper etiam depoſito officio, retineri poſſe, ac dignitatis titulis perpetuo

petuo honeſtari *leg. neminem Cod. de Decurion.*, quod edixerunt etiam Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius *in leg.* 1. *Cod. de Primiceriis*. Sed de his Patriciis Militiæ fuſius a nobis ſuo loco erit ſermo inſtituendus. Id interea notandum, uſu receptum eſſe noſtris temporibus, præcipue apud Italos, ut, qui ſuæ gentis originem trahunt ab aliquo Domino, Marchione, vel Comite, adhuc retineant præſtantem illam denominationem ad deſignandum, ut noſtri ajunt pragmatici, eorum ſtipitis dignitatem: propterea adjecta dictione *Ex*, jure appellentur ex illis Dominis, Marchionibus, aut Comitibus. Præſtat pro re nata audire Cardinalem de Luca *de Præemin. diſc.* 47. *num.* 12. cujus hæc verba ſunt: *Iſti autem, vere tales non ſunt, neque Comitum, vel Marchionum prærogativis gaudere debent, cum ſolum illam retineant nuncupationem honorificam ad denotandam deſcendentiam, ſive eorum ſtipitis dignitatem. Ideoque dicendi non ſunt Marchiones, vel Comites; ſed potius ex talibus Marchionibus, vel Comitibus, ut in aliquibus partibus practicatur, ad inſtar illarum familiarum, quæ dicuntur Conſulares, vel Senatoriæ, ſive Equeſtres; quia aliquem majorem habuerint, qui iſta dignitate fuerit præditus*.

IV. Interim hi Patricii Militiæ minime confundendi ſunt cum Patriciis Occidentis, Italiæ, & Provinciæ, quod nullo inter eos conſtituto diſcrimine incaute fecit Gutherus eodem loco. Gutherum ſequutus eſt Gonzalez, *qui in lib.* 2. *decretalium tit.* 23. *de Præſumpt. cap.* 7. *verbo Patriciæ tom.* 2. eodem recitato, & compilato Auctore, arbitratus eſt: Patricios Italiæ illos fuiſſe, qui rem bellicam adminiſtrarent. Patriciorum utriuſque ordinis diſcrimen patebit ex eodem Guthero, ubi diſtinctis capitibus de ſingulis agemus. Veteres ſiquidem ab ipſo memorati, Patricios Militiæ, ac Patricios Italiæ nuſquam ejuſdem generis fuiſſe teſtantur, quum vel Magiſtrum

Digitized by Google

utriuſque Militiæ, atque Patricium, vel Patricium dumtaxat Italiæ appellaverint. Neque recte Gutherus contrarium arguit, ex eo, quod Marcellinus Patricius Occidentis opem Romanis tulerit apud Carthaginem contra Vandalos pugnantibus; tanquam Patricius Militiæ præfuiſſet militibus. Certum eſt enim, quandoque etiam illos Patricios rei bellicæ adminiſtrationem gerentes, cum adjuncto alicujus Provinciæ deſignatos fuiſſe. Ob id tamen non inferendum, ipſos ſimul illius Provinciæ; ac Militiæ fuiſſe Patricios, quia Patriciatum Militiæ in ea Provincia gerebant; quod fuſius ſuo loco demonſtrabimus. Præterea allegatum diſcrimen conjecto ex ipſa epiſtola Juſtiniani Imperatoris Narſeti Patricio Italiæ, a Cujacio *lib.* 10. *obſervationum vulgata*: in qua Imperator Narſetem certiorem facit; Beliſarium Patricium in Italiam adverſus Gothos miſiſſe, ejuſque ope Italos populos duriſſimæ ſervituti ereptos, in libertatem vindicatos fuiſſe. Profecto Narſes perinde, ac Beliſarius contra Gothos in Italia generoſe pugnarunt, & tamen illorum Primus appellatur Patricius Italiæ, alter vero Patricius dumtaxat nominatur.

V. Hos ipſos Italiæ Patricios idem Gutherus ab aliis, item diſtinctos cenſet, *qui Patres Imperatorum* dicebantur: *Atque hi Patricii*, inquit, *ut perſpicuum eſt*, *alii omnino erant ab iis*, *qui Patres Imperatorum vocabantur*: Id etiam diſcrimen notavit Gonzalez *lib.* 2. *decretal. tit.* 23. *de præſumpt. cap.* 7. *tom.* 2. Ut igitur implexa, ac moleſtis undique circumſepta ambagibus Patriciorum varietas certis diſtinguatur gradibus, ſuiſque ſinguli illuſtrentur juribus, ac muniis; illorum quatuor genera, ſeu ordines conſtituemus. Alii namque fuerunt *Patres Imperatorum*, conſortes, atque Tutores Imperii, alii *advocati* alicujus peculiaris *Eccleſiæ*, alii *Patricii Militiæ*, alii demum *Patricii* certæ *Provinciæ*, *Civitatis*, vel *Pagi* iis in Patriciatum conceſſi.

VI. In-

VI. Interea, antequam de his omnibus ſingillatim agere incipiam, hic opportune illud monere juvat, Patricios ab Imperatoribus Orientis creatos, diſtincte excipiendos eſſe a reliquis Patriciis, qui ab aliis Regibus, atque Principibus dictorum Imperatorum exemplo creabantur. Primi namque generali nomine dicti ſunt *Patres Imperatorum*, alii *Conſiliarii Principum*. Atque hinc non aſſentior opinioni Jacobi Gutheri *de Offic. Domus Auguſt. lib.2.cap.*19., & Jacobi Hofman *in Lexico univerſali verbo Patricius*, qui arbitrati ſunt, Patricios Conſtantinianos in Conſiſtorio Principum ſecretioribus conſiliis interfuiſſe. Nec Jacobi Ræuardi *lib.* 3. *conjectancor. cap.*7. *Qui Juſtiniani ſeculo*, ait, *Patres Reipublicæ, & Senatorii Ordinis Principes Viros ad aliorum Senatorum differentiam appellatos omnes Patricios fuiſſe, nec alios eodem tempore fuiſſe Patricios, qui non eſſent, aut Romani, aut Conſtantinopolitani Senatores, quantum ex Suida, & Caſſiodoro colligere poſſum*: Rurſus ſiquidem in eos errores incideremus, quos *cap.*1. *hujus libri* refellimus. Enimvero, quum Patricii adſtandi Imperatorum conſiliis apud Romanos Cæſares munus obiiſſent; translato autem Byzantium imperio Conſtantinus novum Patriciatus genus ab antiquo omnino diſtinctum inſtituiſſet; Patricii Conſtantiniani eodem non occupabantur officio; quum ſane diſtincti non eſſent ab antiquis Patriciis Imperatorum Romanorum Conſiliariis. Ex hoc porro non aliter intelligendos puto ſcriptores illos, *qui Patricios Conſiliarios Principum* fuiſſe aſſerunt; nimirum, ut ante Conſtantini tempora Conſiliarii illi fuerint Imperatorum Occidentis; poſtmodum vero ceterorum Principum, qui Patriciatum conferebant. Quamvis non ita facile probem opinionem Briſſonii *in lexico*, aliorumque, quos refert Jacobus Draco *lib.* 2. *cap.*4., affirmantium generaliter; quod ubi in Textu Patriciorum ſit mentio, intelligendi ſint Principum Conſiliarii; potius diſcrimen illud non obſcu-

obſcure conjecto *ex Gloſſa in leg. quoties Cod. ubi Senator. vel Clariſs. in verbo Patricius*, quod ita explicat : *Et dicitur Patricius, quem ſibi in Patrem Imperator elegit* : Hanc a me traditam diſtinctionem, ſi Jacobus Gutherus, Hoſman, & Ræuardus accurate adhibuiſſent, Patriciis Conſtantinianis, non affixiſſent, quæ Patriciis aliorum Principum congruunt; præſertim quum in ejus rei probationem ipſi referant epiſtolas Aurelii Caſſiodori, in quibus Patriciatus a Gothorum Regibus collatus legitur.

VII. Fateor autem ingenue me diu hæſiſſe in aſſequendo recto ſenſu hujus opinionis. Anceps etenim cogitabam; Patricios Patres fuiſſe Imperatorum: ac proinde eos conſilio juvare oportuiſſe; ut recte obſervat Jacobus Draco *lib. 2. cap. 4. Splendidum*, inquit, *habebant Conſiliarii officium, quod connexum dignitati erat, qui enim Patricii, ut modo dictum, erant quaſi Patres, Tutoreſque Imperatorum, ac Reipublicæ; neceſſe fuit, ut ſimul Conſiliis ſuis Principem, & Rempublicam juvarent* : At vero alienum non erat a dignitate, ut veluti Patres Imperatorum ad ipſorum privata conſilia adhiberentur; quę quidem Auguſti Principes non modo non reſpuebant, quin imo palam allegabant, laudabantque ut liquet *ex authentica ut Judices titulo 2. novella 8. cap. 1.*, in qua Juſtinianus Imperator ſcribens Joanni Patricio : *Hæc autem*, inquit, *apud nos cogitantes, & hic quoque participem conſilii ſumentes eam, quæ a Deo data eſt nobis, Reverendiſſimam Conjugem, & tuæ Celſitudini cauſam communicantes, & quædam etiam a tuo ſumentes conſilio, ad hanc ſacram venimus legem* : Ex Anaſtaſio item Bibliothecario *in Martino*, apud quem Conſtantinus Imperator, ait : *Si autem, quomodo nobis ſuggeſſit Platon glorioſus Patricius, & Eupraxius glorioſus, potueritis ſuadere exercitui ibidem conſiſtenti : jubemus teneri Martinum, qui hic erat apocriſarius in Regia Urbe* : Illud vero contrarium eſſe novo Conſtantiniano Patriciatui crediderim

Pa-

Patricios apud Orientales Imperatores aſſediſſe in Conſiſtorio, uti Primores Senatus more veteri, atque cum illis Cæſares habitare voluiſſe, quaſi in contubernium imperatoriæ majeſtatis adſcitis; quod notavit, & Bulengerius *de Imperat.*, *& Imper. Roman. lib.* 3. *cap.* 1. Præterea, ut ajebam, poſt Conſtantini tempora Patricii, creati ab aliis Principibus, hoc munus præcipue obibant, veluti proprium dignitatis officium: Quare in Caſſiodori epiſtolis, in quibus legitur Patriciatus collatio facta a Gothorum Regibus, ſæpenumero hujuſmodi Conſiliarii munus occurrit, & licet conjicere. Profecto *in epiſt.*21. *lib.*8. Theodoricus Cyprianum ab ſe Patricium renunciatum ſic alloquitur: *Conſilio quidem plurimum vales, nec fractus tamen ætate cognoſceris; ſic enim adeptus eſt ſenectutis bona, ut ejus non ſubires incommoda. Sunt enim beneficiis noſtris conſentanea, & vitæ ſuperna judicia, quod talium filiorum Pater effectus, natura ipſa videris eſſe Patricius*: longe clarius id eruitur ex *epiſt.*11. *lib.*3., quam Theodoricus ſcripſit Argolico Urbis Præfecto, ubi enuncians, ipſum decoraſſe inſigniis Urbanæ Præfecturæ, ad majora promerenda inflammat, & excitat; Patriciatum vero obtinendum obiiciens hæc addit: *Stude ergo, ut a meritis tuis exigere poſſis, quod nos præſtitiſſe cognoſcis. Avara fuge, juſta ſequere, modeſta dilige iracunda contemne. Quid erit ſuavius, quam in illa turba Summorum, nobile protuliſſe judicium, ubi tot Patriciorum corda provocantur ad gratiam, ubi bonum factum celebretur ore ſapientum?*

VIII. Hujuſmodi autem Patricii duplicis erant generis: alii ſiquidem *Præſentales*, alii *Codicillares*, ſive *Honorarii* dicebantur; Quorum unicam diviſionem minus recte ad Conſtantinianum Patriciatum refert Jacobus Draco *lib.*2. *cap.*1. *num.*3. *Præſentales Patricii* illi erant, qui lateri Principis adhærebant, alioque nomine in *actu poſiti* dicebantur, ut docet Gutherus *lib.* 2. *cap.* 19., ac ſcite,

ſcite, eleganterque explicat memoratus Draco loco paulo ante recitato: *Præſentalis*, inquit, *fuit*, *eorum*, *qui ipſo actu in conſilio Principum verſabantur*. Hoc genus Patriciatus colligitur *ex epiſt.* 9. Aurelii Caſſiodori *lib.* 8., qua Athalaricus Gothorum Rex præſentalem Patriciatum Tolonico contulit: *Te*, inquit, *cum favore divino ſuggeſtu præſentalis Patriciatus evehimus*, *ut pro Republica noſtra tractantem ſedes celſa ſublimet*: *Codicillares* autem *Patricii*, ii dicebantur, qui Patriciatum in codicillis dumtaxat habebant, & præter nudum honorem, ac titulum nihil aliud conſequebantur, ut Draco ibidem proſequitur.

IX. At præterire minime poſſum ſine animadverſione, aliquot Illuſtrium Scriptorum hallucinationem, qui decepti ſimilitudine officii, quod in Conſiſtorio Principum habuiſſe Patricios, tanquam ipſorum conſiliarios norant, eos cum Comitibus Conſiſtorianis incaute confuderant; Unde eorum alius error profluxit, quod exiſtimaverint: Patricios, eoſdem fuiſſe, ac Comites Conſiſtorii. Ita ſentit Guido Pancirolus *in notit. dignit. utriuſq. Imper. cap. 2. de Illuſtr. Spectabil. & Clariſſim.* ubi ſcribit: *Et ipſi Patricii Comites Conciſtoriani*, *quam dignitatem a Conſtantino inventam Zoſimus autumat*: & Jacobus Hofman *in Lexico univerſali verbo Patricius*: *Sic dicti quoque*, ait, *quos Conſtantinus Magnus e publico Senatu in Conſiſtorium*, *& privatum conſilium Principis*, *velut Senatum domeſticum cooptavit*, *Provinciæque alicujus Præfecturæ donavit*, *alias Comites Conſiſtoriani*, *& Sacri Conſiſtorii dicti*. Harum dignitatum inter ſe diſcrimen inde potiſſimum infero; quod, ſi Patricii iidem fuiſſent, ac Comites Conſiſtoriani, Patriciatui addita nunquam fuiſſet comitiva dignitas; quaſi acceſſio, & complementum omnium dignitatum, ut probe animadvertit Altaſerra *tom. 3. in notis ad Anaſtaſium Bibliothecar. agens de Vigilio*. Nemo enim id aſſequi cupit, quod cumulatum

jam

jam habet; neque Imperatores Patricium ſimul, ac Comitem quemquam creaſſent. Cujus quidem rei exemplum exhibet idem Anaſtaſius in Vigilio, ubi de Juſtiniano Auguſto, qui Witigem Gothorum Regem, Patricium, & Comitem creavit: *Fecit Patricium, & Comitem*. Ea de cauſſa utriuſque dignitatis titulis complures decorati occurrunt in Codice Theodoſiano, quibus Imperatores leges exſequutioni mandandas committebant. Sic *legem* 14. *tit.* 14. *lib.* 15. conſtat fuiſſe pro exſequutione directam *Conſtantio Comiti & Patricio*; & Novellam Majorani *in titulo* 2. Recimerio *U. I. Comiti, & Magiſtro utriuſque Militiæ, atque Patricio*. Qua in ſententia ob id etiam mihi perſiſtendum eſſe cenſeo, quod utramque dignitatem a Conſtantino Magno inſtitutam videam; ut de Comitiva tradit Euſebius *in vita Conſtantini cap.* 4., ex quo propterea infero: unam, eamdemque dignitatem haberi jure non poſſe. Poſtremum operæ pretium, ut reor, faciam, ſi quidquam de Comitibus Conſiſtorianis in medium afferam. Lectiſſima ſiquidem eruditionis copia, & noſtra, & aliorum ſtudia præverterunt Antonius Dadinus Altaſerra *de Comit. & Ducibus cap.* 2., & Jacobus Gutherus *de offic. Domus auguſt. lib.* 1. *cap.* 17. ne quid hac in parte novi lectoribus exhibeamus. Ex operoſis igitur utriuſque lucubrationibus pauca e multis delibaſſe ſufficiet, quo comitiva dignitas his, qui jejunam de illa apud Scriptores mentionem offenderint, a Patriciatus dignitate omnino diſtincta innoteſcat.

X. Comites Conſiſtoriani, ii dicebantur, qui Principi in Conſiſtorio adſidebant. Conſiſtorium enim erat locus, in quo illi, qui conſilio Principi aderant, conſiſtebant, & in quo publicæ res, privatorumque negocia definiebantur. Differebat vero ab Auditorio Principis, in quo cauſſæ ſolum agitabantur. In utroque vero Comites Conſiſtoriani Principi conſilia ſuggerebant. Triplicis autem generis erat Comitiva dignitas; nempe Primi, Se-

Z cun-

Digitized by Google

cundi, & Tertii Ordinis. Qui primo cenſebatur Ordine, ceteris erat nobilior: Hac etenim decoratis jus erat ingrediendi Conſiſtorium Principis. Ita legitur in formula hujus dignitatis relata a Caſſiodoro *lib. 6. epiſt.* 12. *Quocirca provocati moribus tuis comitivam tibi primi Ordinis ab illa indictione, majeſtatis favore largimur; ut Conſiſtorium noſtrum, ſicut rogatus ingrederis, ita moribus laudatus exornes*. Ea dignitate inſigniebantur Juriſperiti, & advocati poſt expletum per vicennium advocationis officium, *leg. unica Cod. Theodoſ. Qui in Urbe conſiſt.* Sidon. *epiſt.* 11. *lib.* 1. Ipſamque itidem meruiſſe leguntur Archiatri Sacri Palatii, Mechanici, Architecti, Curatoreſque operum publicorum, quos artis, operumque præſtantia plurimum commendabat. Comites Secundi Ordinis dicebantur agentes Palatini ſub Principe Officii, ac militantes in ſacris ſcriniis, in quem, Theodoricum Regem Civitatum Judices præcipue cooptaſſe liquet ex Caſſiodoro *lib.* 7. *epiſt.* 26. Tertii Ordinis comitiva deferebatur, Decurionum Principibus, ac Præpoſitis Naviculariorum. Atque hi Comites, Minores vocabantur. Plures autem inde erant comitivæ dignitates, quas ſingulas Caſſiodorus recenſet *lib. 6. & 7. variar.* quem ad exactam earumdem comparandam notitiam Lector conſulat: Neque enim, quæ ab ipſo late, eloquenterque traduntur, hic extra neceſſitatem repetenda arbitramur.

XI. Ad ceteras demum tollendas ambages, quæ in veterum Scriptorum teſtimoniis forſitan occurrere poſſunt; quoties ipſi mentionem faciunt de Patriciatu Romano ante Caroli Magni ætatem: animadvertendum hic etiam ducimus, Patricios illos, qui a Gothorum Regibus creabantur, aliquando *Patricios Romanos* appellatos fuiſſe. Id ex eo potiſſimum conjicimus, quod ipſi Reges ſcribebant Romano Senatui, creatum ab ſe Patricium nunciantes, eumque ex illorum cœtu appellabant, atque Collegam. Sic Theodoricus de Importuno Patricio ad Romanæ

næ Urbis Senatum ſcripſit : *P. C. illuſtri*, *& magnifico Viro Patriciatus culmen indulſimus*, *ut veſter cœtus*, *ſicut pullulat ſorte naſcendi*, *ita*, *& faſcibus poſſit augeri* : *ut conſtat epiſt.6. lib.3. Caſſiodori*. Nec aliter idem Princeps Senatum ipſum eſt alloqutus, poſtquam Tolonico Patriciatum contuliſſet: *Habetis P. C.*, *unde glorioſo Principi*, *gratiam referre debeatis*, *quod præcelſo Viro Tolonico*, *& noſtra affinitate fulgenti veſtri Ordinis contulimus dignitatem &c. Hunc itaque Virum bellis exercitatum*, *felicitate clarum*, *prudentia comprobatum*, *quod Deo auſpice dictum ſit ad Patriciatus præſentalis culmen eveximus*. *Favete nunc auſpiciis Candidati*, *& Viris noſtris libertatis arma reſerate* : *convenit gentem Romuleam Martios Viros habere collegas*. Caſſiodorus *epiſt.* 10. *lib.*8. Idem quoque Rex Athalaricus de Cypriano, renunciato Patricio ad Romanum Senatum ſcripſit : *Favete*, inquit, *nunc Collegæ* : Momento, & argumento pari Aurelius Caſſiodorus, qui a Theodorico Patricius creatus eſt ex ejus *libri primi epiſt.*2. *Patricius Romanus* appellatur a Popeblount ex *Joanne Henrico Urſino lib.*4. *de Stat. Anim. pag.*544. De Tertullo item Romano Patricio apud Paulum Diaconum, hujus geſta narrantem legimus: *Nomine primo Miles*, *poſtea per honorum faſces & officia dignitatum excreſcens in culmen Romani Patriciatus evaſit*; Licet hunc Caſſinenſes cum Placidi parente confundant, ut affirmat Nicolaus Alemannus *in diſſertat. de Lateranen. parietin. cap.* 11. Verum utroque Patriciatu Romano ſcilicet, atque Conſtantinopolitano quandoque nonnullos fuiſſe decoratos, notiſſimum eſt. Idipſum de Sanctis Martyribus Cyrillo, & Methodio ad veterum Monumentorum fidem ſtatuit Vir Clariſſimus Joannes Marangonus mihi amicitia conjunctiſſimus *in tom.* 2. *eruditi operis*, *cui titulus* : *Theſaurus Parochorum num.*48. *fol.*40.

De Patriciis Patribus Imperatorum.

CAPUT IV.

SYNOPSIS.

I. *Patricii in officium Patrum Imperatorum, & Imperii conſortium provecti.* II. *Eorum auctoritas in Imperatore eligendo.* III. *Imperatores electi Patriciorum factione, & depoſiti.* IV. *Patricii aliquandiu affectabant Imperium; alii Imperatores acclamati.* V. *Imperatorum filiæ Patriciis nuptui traditæ, & Patriciorum filiæ Imperatoribus.* VI. *Ritus, & Pompæ hujuſmodi Nuptiarum.* VII. *Imperatores in publicum prodeuntes Patricii comitabantur.* VIII. *Patricii cum Imperatore vehebantur in Dromonio Imperatorio, Dromonium, quid eſſet, & a quo inventum.* IX. *Munera in aula Imperiali conlata Patriciis.* X. *Similia munia Patriciis, ex aliorum Principum ditione commiſſa.*

I. JActa ſunt, ut arbitror, ſuperiori capite fundamenta, quibus proſequi noſtras exercitationes faciliori ordine poſſumus; neque enim digitum ultra recte progredi licuiſſet, niſi præcipua diſſertationis capita conſtituiſſem, ad quæ multiplex Patriciorum genus referrem: ex iiſque, veluti e fontibus certam, atque diſtinctam ſermonis viam derivarem, lateque pro tractandarum rerum diſcrimine, ac varietate proferrem. Quamobrem non minus operoſum videtur de univerſis Patriciorum generibus, quam de ſingulorum muneribus, multoque magis de eorumdem juribus, & præſtantia dicere. Ac primum quidem illud explicemus, oportet, quod eſt Patriciorum omnium maxime proprium, præſertim vero eorum, qui Byzantii in Imperatoria degebant aula. Reliqui enim, aliis mu-

muneribus occupati, ut præmonuimus, alio extra aulam mittebantur, nimirum, ut Eccleſiarum jura tuerentur, ut militiæ præeſſent, vel, ut Urbes regerent, atque Provincias. At, quæ fuerint eorumdem officia, qui honores, qui ritus, nuſquam invenio: plenumque periculi, & difficultatis eſt, in re tam antiqua, & temporum vetuſtate obſoleta, exacto cuncta numero ſupputare. Nec tamen puto pauca, aut parva illorum fuiſſe decora; propterea quod in officium Patrum Imperatorum eſſent evecti. Quare Juſtinianus Imperator *Novella* 81. *ad Urbis Senatum* ſcripſit: *Jamdudum legem ſcripſimus ſuper glorioſiſſimis noſtris Patriciis: quæ liberos eos dignitatis collatione, paterna poteſtate demonſtrat; Non enim decens putavimus, ut hi, quos nos in officium Patrum provehimus noſtrorum, ſub aliena ſint poteſtate*. Ipſorum ſiquidem opera, & auctoritate Imperium tutabatur, perinde, ac ſi in Auguſtorum ſocios, & adjutores eſſent adſciti. Hinc a Procopio Cæſarienſi *lib.* 1. *de bello Perſico cap.* 8. memoriæ proditur: Anaſtaſium Imperatorem, Appianum Patricium, quem primo, Caſtrenſi ærario præfecerat, Imperii conſortem publicis literis renunciaſſe; & apud Ducangium *in Conſtantinopol. Chriſtian. cap.* 12. *de famil. Heraclii Auguſti*; Heraclium Patricium Imperii participem ſemper voluiſſe legitur; ſingularis ſuper hoc, eſt epiſtola Majorani ad Senatum miſſa, quo tempore Imperator eſt renunciatus, quæ proſtat apud Sigonium *lib.* 14. *de Imper. Occident. Nos*, inquit, *cum Patre, Patricioque noſtro Recimero rei militaris curam geremus, & Romanæ Reipublicæ ſtatum, quem communibus excubiis, & ab heſterno hoſte, & a domeſtica clade liberavimus, Deo bene juvante tuebimur, atque auctoritate Principis, & obſequio Collegæ, ut veſtrum in me vobis non poſſit diſplicere judicium, enitemur*. Difficillimis temporibus, ipſum quoque Reipublicæ regimen Patricio Imperator credebat: conſtat ſiquidem ex S. Nicephoro Patriarcha *in hiſtoria C. P. e græco ſermone in lati-*

latinum converſa a Dionyſio Petavio pag. 11. quum fama, ac peſtilentia Imperium premeretur, memoratum Heraclium Imperatorem, Sergium Patriarcham cum Magiſtratibus, & omni populo convocaſſe, primumque filios ſuos illorum fidei commiſiſſe, deinde Bonum Patricium rerum adminiſtrationi præfeciſſe.

II. Compertum mihi id quoque eſt; ab ipſis, uti Patribus Imperatorum, Imperiique conſortibus, quos norant dignos, aptoſque, conſilio, ſuffragio, vel opera ad ſummum Imperii culmen fuiſſe evectos, quod cum aliis notarunt Marquard. Freher *in Origine palatin. lib.* 1. *cap.* 15., & Joannes Jacobus Draco *de Origin. & jure Patricior. lib.* 2. *cap.* 6. *ſub num.* 20. Cujus rei illud maxime inſigne occurrit exemplum, quod Ducangius refert *cap.* 14. *de familia Nicephori*. Quum enim Flavius Stauracius nullos ſuſcepiſſet liberos, nec ei potiundæ diutius auguſtæ dignitatis ſpes ullaupereſſet; Patricii perniciosſum rati, ad fœminam devolvi adminiſtrationem Imperii, Michaeli Rangabe, qui Stauratii ſororem, in uxorem habebat, Imperium detulerunt: *Nicephorus*, inquit, *Patriarcha, & Patricii veriti, ne in fœminam caderet rerum adminiſtratio, Michaeli Rangabe, qui Stauracii ſororem in uxorem habebat, Imperium detulerunt; Ita Stauracius poteſtate exutus, Monaſterio relegatus eſt, & in Monachum attonſus*: Quæ quum ita ſint, facile intelligi poteſt, in Imperatorum electione plurimum Patriciorum valuiſſe auctoritatem. Hinc Bardanes Patricius, cognomento Turcus, cum Dux eſſet Orientis, ad Imperatorium faſtigium a militibus evectus, ut refert idem Ducangius *cap.* 14. *de familia Nicephori*, quum profugus Chryſopolim petiiſſet, eamque circuiſſet per dies octo, neque receptus fuiſſet, miſit Nuncium ad Nicephorum impetraturus ab eo, atque Patriciis fidem, qua incolumis ſervaretur, tutuſque, ac ſine vitæ periculo cum ſociis in Imperio degeret, ut colligitur ex *hiſtoria Miſcella lib.* 24. *apud Muratorium*

*torium tom.*1. *rer. Italicar. Miſit ad Nicephorum*, ait, *& accepto verbo in ſcriptis propriæ manus ejus, in quo & ſanctiſſimus Tharaſius Patriarcha, & omnes Patricii ſubſcripſerunt quod illæſus, & indemnis cum omnibus, qui cum ipſo erant, foret reſervandus*. Hac porro auctoritate, qua Patricii imperium alteri deferebant, ne ipſis inconſultis quiſquam auguſta dignitate exueretur, obſtabant; Enim vero Michael idem Rangabe, qui paullo ante Imperio potitus erat ipſorum ſuffragio; a Bulgaris victus tantum animi mœrorem contraxit, ut referente Ducangio *cap.*15. *de familia ejuſdem*: *Niſi obſtitiſſent uxor, & Patricii rerum adminiſtrationem ceſſiſſet ultro*. Tanta freti, & abuſi poteſtate Patricii, quandoque etiam, ut regnantes Principes ad Imperium deponendum adigerent, tyrannidem concitabant. Hanc, turpem in modum exercitam adverſus Irenem Auguſtam, ut regimen infelix exueret, eaque exacta Nicephorus rerum adminiſtratione potiretur, oſtendit Miſcellæ hiſtoriæ auctor *lib.*23.*tom.*1. *rer.Italic. pag.*171. cujus hæc verba ſunt: *Nicephorus, cum eſſet Patricius, & Logotheta generalis tyrannidem adverſus Irenem piiſſimam concitavit; Deo quidem infallibilibus ob noſtrorum multitudinem peccatorum, judiciis, indulgente; cooperantibus ei Niceta Patricio, ac Domeſtico ſcholarum, & Siſinnio Patricio, patre ipſius, Viro, perjuriis, & fraudulentiis pleno, & Niceta Triphilio. Erant autem, & cum eo Leo Patricius Muſulatii, & Theoctiſtus Patricius, & Petrus Patricius, & Quæſtor ſeducentes quoſdam a populo, qui erant ex ordinibus; cumque veniſſent ad portam, quæ dicta eſt Chalce, cuſtodeſque falſo, ac ſubito decepiſſent, perſuaſerunt eis, ut crederent, quod ab ipſa fuerint deſtinati, quatenus eumdem Nicephorum Imperatorem appellarent, eo quod Ætius Patricius ſibi vim inferret ad enunciandum fratrem ſuum Imperatorem. Qui mendacio tanto credentes, Imperatorem pariter pronunciaverunt eum, qui erat Tyrannus. Taliter ergo ad magnum palatium iidem Pa-*

Patricii venientes, ingreſſi ſunt illud, inde per totam Urbem ignobiles ſervos dirigentes, acclamationem fecerunt ante mediam noctem, & cuſtodes in medio palatii, quod Theuleutherii nuncupatur, poſuerunt, ubi contigit Imperatricem eſſe: Diluculo ſane accerſentes cònclușerunt eam in majori palatio, & ita proceſſerunt ad magnam Eccleſiam ad coronandum ſelectum.

III. Quum itaque validæ eſſent Patriciorum vires, & res ampla in Imperio, facile a jure declinabatur ad injuriam; quamobrem juſta poteſtate in turbas, & factiones verſa, non jam concordi ſemper voluntate univerſi, ſed ſinguli, prout quique ope, & opibus præſtabant aliis, pro libito deferebant Imperium. Mitto longe plura hujus generis exempla, eroque paucis e multis contentus. Poſt mortem Olibrii Zecerius Domeſticus a Gundibaro Patricio apud Ravennam Imperator efficitur, *ex hiſtor. Miſcella lib.* 15. *pag.* 98. Flavius cognomento Magnus Marciano extincto Aſparis, & Ardabutii Patriciorum factione Imperator dicitur, & ab Anatolio Patriarcha ritu ſolemni coronatur: Ducangius *de familia Leonis*. Artemius Theſſalonicæ exulans, quum de Imperio occupando, nova conſilia moliretur, Siſinnio Patricio literis ſuadet, ut ſe conatibus ſuis adjutorem præbeat, eaque de re Joſoen Patricio ſcribit, ut una cum Niceta murorum Præfecto ſibi auxilio eſſe velit, atque urbem aperiat, atque Imperatorem excipiat, uti habetur apud S.Nicephorum *in hiſtoria Conſtantinopolitana de rebus geſtis ab obitu Mauritii ad Conſtantinum Copronymum pag.* 36. In hac item hiſtoria legimus: Theodori, & Georgii Patriciorum opera in magna Eccleſia, quo univerſa populi multitudo confluxerat, quum Feſtum Pentecoſtes ageretur, Imperatorem proclamatum fuiſſe quemdam Arthemium Philippici Notarium. Oreſtes item Patricius, Nepote in fugam acto, Auguſtulo filio Imperium detulit, ut conſtat ex Sirmundo *tom.* 1. *in notis ad vitam S. Epiphanii Ticinenſis folio* 1669.

IV.Tam

IV. Tam late patens, viribuſque, & opibus fulta Patriciorum auctoritas, facile eoſdem inde impulit, ut plerumque Imperium affectarent; nec voto fruſtrarentur. Narrat proinde Anonymus *de antiquit. Conſtantinopol. lib. 2. de Topis*, relatus a Bandurio in Imperio Orientali *part.* 3. Baſiliſcum Patricium, Leone pulſo, biennium Imperio potitum. Apud S. Nicephorum C. P. *in citata hiſtoria de rebus geſtis ab obitu Mauritii ad Conſtantinum Copronymum pag.* 26. legitur: accuſatum fuiſſe de affectato Imperio Theophilactum Patricium una cum aliis aliorum ampliſſimorum Ordinum Viris, quos Circenſibus ſpectaculis vinctos circumduci juſſit Imperator. Ex hiſtoria Miſcella item colligitur apud Muratorium *tom.* 1. *rerum Italic. pag.* 96. Romanum Patricium Imperatoriam abripere dignitatem fraudibus contendiſſe. Ducangius *de Valentiniano III. fol.* 73. agens commemorat Valentiniano Imperatore fraude Maximi Patricii extincto ſtatim, illum, Imperium uſurpaſſe. Et Iſacium Patricium arrogare ſibi ſupremam poteſtatem, & Regnum eniſum fuiſſe, prodit Anaſtaſius Bibliothecarius *in Theodoro Pontifice Maximo*. Alarici nixus ope Attalus Patricius Romanorum Imperator dicitur, quo tempore ille Romam obſidebat, rerumque adminiſtratione potiebatur Honorius, teſte Procopio Cæſarienſi *lib.* 1. *de Bello Vandalico cap. altero*. Demum apud Baronium *ad annum Chriſti 606.to.8.* habetur, quod Germanus Patricius Imperium exoptans, magnam ſervit in Urbe ſeditionem; Primores tamen vulgi paſſus adverſos, ſpe ſua fruſtratus eſt. At quemadmodum ſæpenumero malis artibus & injuria rebus novis ſtudebant Patricii, ut publicæ rei caperent regimen, ita jure, meritoque aliquando e Patriciatu ad Imperatoriam majeſtatem fuit progreſſio. Porro Flavius Leo Patricius Bardæ filius, ex Armenia oriundus in Oriente Militarium Copiarum Dux ad Imperatoriam dignitatem evehitur, & in Æde Sophiana a Nicephoro Patriarcha coronatur. Du-

cangius *cap.* 16. *de Familia Leonis*. Idem *cap.* 17. *de Michaele Balbo* narrat, eum prius Comitem excubitorum, Patricium deinde a Leone Armenio creatum, ipſo demum interemto Imperatorem renunciatum fuiſſe. *Cap.* 19. de Flavio item Baſilio memorat, quum e Macedonia Conſtantinopolim acceſſiſſet, Michaeli Imperatori ob ſingularem in equis curandis ſolertiam oblatum, ab eo Patricium, & Magiſtrum creatum fuiſſe, poſtea adoptatum, deinde Imperatorem dictum, ac ritu ſolemni diademate coronatum. *Cap. ſextodecimo* auctor ipſe varios Urbis tractus illuſtrans *num.* 74. ſcribit: Probum Patricium Juſtiniano Cæſare in ſeditione Victoriatorum Imperatorem proclamatum fuiſſe. Alexius demum Patricius juſſu Conſtantini Imperatoris oculis orbatus, a Legionibus Armeniæ ad Imperium quæſitus, fuiſſetque militum ope ſumma dignitate potitus, ni cæcitas fuiſſet impedimento, ut liquet ex Theophane, atque Baronio *in annalibus ad annum Chriſti* 791.

V. Mirum proinde videri non debet; Patricios, qui tantis florebant opibus, & auctoritate, nec perraro Imperatoria aſſequebantur inſignia, eo in numero ab ipſiſmet Imperatoribus fuiſſe habitos, ut ipſorum filiæ uxores ab ipſis ducerentur, vel ſuas illi Patriciis nuptui traderent. Enim vero Romanus Patricius cognomento Hierapolitanus Conſtantini Auguſti filiam conjugem duxit; eoque celebrato conjugio, Cæſar a Socero dictus eſt, cui triduo poſt vita functo in Imperium ſucceſſit ex Ducangio *cap.* 24. *de familia Argyrorum*. Phocas, quum filiam ſuam Domitiam Priſco Patricio, & Comiti excubitorum nuptui tradidiſſet, utriuſque imagines expoſitæ fuerunt cum inſigniis Imperii, licet poſtea, ut ſcribit Baronius *ad annum Chriſti* 607. *Imperator iratus eſt, & mittens, adduxit Demarchos, Theophanem ſcilicet, & Pamphilum: & ſtatuens nudos juſſit eos decollari &c. Porro Linteatores, ſive Menſores interrogati, quam ob cauſam id fecerint, dixerunt,*

xerunt, quia cum Imperatores ab omnibus nominati ſint, hoc a nobis ipſis fecimus; quod enim in fauſtis nuptiarum acclamationibus, iidem, nempe filia, & gener Imperatoris eque fuiſſent acclamati Imperatores: ilque, quibus cura ornandi pompam incumbebat, (dicebantur hi menſores, ſive delineatores) eorumdem imagines cum inſigniis Imperatoriis expoſuerunt. Filia Michaelis Balbi uxor fuit Theophili Patricii, Viri Natalium ſplendore, & animi magnitudine celebris: quippe qui genus trahebat a Perſarum Regibus, notante Ducangio *de familia Michaelis cap.* 17. Ibi auctor ipſe meminit etiam Mariæ Theophili Imperatoris filiæ natu minimæ, quæ nuptui tradita fuit Alexio cognomento Moſeli, nobili Armeno, formaque eleganti, generis ſui præſtantiam a Crinitis repetenti: quem idem Theophilus primum Patricium, tum Magiſtrum, Proconſulem, ac demum Cæſarem creavit. Contra Flavio Theodoſio uxor data eſt filia Germani Patricii eodem teſte Ducangio *cap.*10. *de familia Mauricii Auguſti*. Nicetæ Patricii filia nupſit Flavio Heraclio cognomento, novo Conſtantino, Heraclii Auguſti filio, ut idem prodit Ducangius *cap.*11. *de familia Phocæ Auguſti*.

VI. Quum tam opportuna ſeſe offerat occaſio; non abs re erit lectoribus hic exhibere ſolemnem pompam, ac nuptiarum ritus Recimerii Patricii & filiæ Auguſti, quas eleganter deſcribit Apollinaris Sidonius *lib.* 1. *epiſt.* 5. *apud Sirmundum tom.* 1. *oper. variar. Interveni*, inquit, *nuptiis Patricii Recimeris, cui filia perennis Auguſti in ſpem publicæ ſecuritatis copulabatur. Igitur nunc in iſta non modo perſonarum, ſed etiam Ordinum, patrumque lætitia tranſalpino tuo latere conducibilius viſum. Quippe, cum hoc ipſo tempore, quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia Theatra, Macella, Prætoria, Fora, Templa, Gymnaſia Thalaſſio Feſchenninus explicaretur: atque etiamnum e contrario, ſtudia ſileant, negocia quieſcant, judicia conticeſcant, differantur legationes, vacent ambitus, & inter*

ſcurrilitates Hiſtrionum, totus actionum ſeriarum ſtatus peregrinetur. Jam quidem Virgo tradita eſt, jam corona ſponſus, jam palmata conſulari, jam cyclade pronuba, jam toga Senator honoratur, jam penulum deponit inglorius, & nondum tamen cuncta thalamorum pompa deſremuit, quia necdum ad Mariti domum, nova nupta migravit. In nuptiis vero Imperatorum interveniebat Patriarcha, qui ſponſos diademate ornabat, illoſque deinde Patricii in geniale cubiculum fauſta adprecantes ducebant. Ritus ipſos diligenter exponit, & illuſtrat Ducangius *lib.2. cap.6. de Tribunalibus*, ubi deſcribens nuptias Mauritii hæc habet: *Simocatta*, inquit, *indicat cap.10. ejuſdem libri, quo loco nuptias Mauricii deſcribit. Ait enim, accitum ab eo Joannem Patriarcham in Palatio in magno thalamo juxta atrium maximum Palatii, quod inquit, auguſteum vocant, nuptias peregiſſe, & ſponſos coronaſſe, poſtea vero utrumque deductum in geniale cubiculum a Patriciis fauſta adprecantibus, Cæſari ſponſo in throno ſedenti, ut ad porticus palatii ſeſe militibus gratulantibus conſpiciendum præberet, eoſque nuptialibus congiariis donaret.*

VII. Eximius, ac tot nominibus propinquiſſimus Imperatoriæ Majeſtati Patriciorum ſplendor, externam Cæſarum pompam, & amplitudinem mirifice augebat, quando ipſum in publicum prodeuntem Patricius Ordo cultu aulico proſequebatur. Id tamen, non niſi celebrioribus quibuſdam diebus, & illuſtrium actionum occaſione fieri conſuevit. Pulcherrimumque erat Imperatores cernere pompa ſolemni, cum tot nobiliſſimis Patribus regio prope cultu ornatis, qui ſummi Principis majeſtatem, externumque decus, & amplitudinem oſtentabant, ſeſeque ſpectaculum præbebant ſplendidiſſimæ dignitatis. Quum in magnam Eccleſiam, coronandus ibidem a Patriarcha Imperator accederet, a Patriciis comitabatur, ut habetur in hiſtoria Miſcella *lib.* 23. *pag.* 171., ubi agitur de ſolemni coronatione Nicephori ab ipſis adverſus Irenem Im-

Imperatoris electi. Quod ſi contingeret alibi extra Urbem, Imperatorem eſſe coronandum; is a Patricio diadema accipiebat. Sic Tertius Valentinianus Ravennæ a Theodoſio Cæſare renunciatus Auguſtus, in Urbe Roma a Stilicone Patricio Imperatoriam coronam accepit. Ducangius *de Valentiniano III. fol.* 73. Ex actis Sextæ Synodi, & Cabaſutio in notitia Conciliorum ad Primum Nicænum Concilium *tit. de Ordine*, *& conſeſſu PP. pag.* 38. liquet Conſtantinum, cognomento Pogonatum cum Patriciis, atque Conſulibus in Conſtantinopolitano conſediſſe Concilio. Accedente Byzantium Conſtantino Summo Pontifice Tiberius Imperator, debita ei maximi honoris, ac ſummæ reverentiæ argumenta exhibiturus, obviam egreſſus fuit cum Patriciis, aliiſque Viris inclytis teſte Anaſtaſio Bibliothecario *in Conſtantino*. Theodora Auguſta, quum Thermas Phytias Medicinæ cauſſa petiiſſet, eam comitati fuerunt Patricii, Cubicularii, & Satrapæ; tantaque inſuper aliorum inſequuta eſt multitudo hominum, ut univerſi quatuor millium fere numerum impleverint, ut refert Nicolaus Alemannus in notis *ad cap.* 15. *Hiſtoriæ arcanæ Procopii pag.* 148.

VIII. Nuſquam ſane Patriciorum erga Imperatores cultus, & reverentia non maxime patuit: Par etiam Imperatorum erga Patricios voluntas, & exiſtimatio clariſſimæ dignitatis emicuit. Huc ſpectat, & *Dromonii* Imperatorii uſus conceſſus novo exemplo Patriciis, Magiſtriſque, Viriſque Principibus, quorum præſtantiſſima in Oriente habebatur dignitas, & officium. Antiquitus Dromonium, nullum erat, ſed tantum *Agrarium ruſſeum*: quo alteri nemini vehi cum Imperatore licebat, niſi Drungario excubiarum, Drungario rei navalis, Logothetæ curſus publici, Heteryarchæ Myſtico, Magiſtro libellorum ſupplicum, Domeſtico Scholarum, ſi in Urbe eſſet, Accubitori, Protoveſtiario, & e cubiculariis, quos Imperator juſſiſſet. Leo Imperator, quum ad Thruſæ Thermas,

mas, & pontem Regium ſæpenumero proficiſceretur, eaque longior haberetur profectio, quam, ut ſatis pro comitatu eſſet agrarium, Dromonio uti cœpit: ita tamen, ut paucos ſecum viros Primorum Principes lectiſſimos aſſumeret ſocios: Alterumque Dromonium ſequi juberet cum conſueta familia, & comitatu cetero. Exinde Dromonium in ſolemni Imperatoris egreſſu frequenter adhibitum, datuſque in eo locus Patriciis; quod argumentum ſane fuit Auguſti erga ſe amoris, ſtudii, & exiſtimationis longe potiſſimum. De re ipſa præſtat audire Bandurum *in Antiquit. Conſtantinopolit. parte altera Tomi primi cap.5.* ita loquentem: *Leo ille, præclarus, ac ſapientiſſimus Imperator benignius erga Magiſtros, Patricios, & conſiliarios ſuos affectus, gratificarique eis hac in parte cupiens, cum ad pleroſque Principes excipiendos non ſufficere agrarium videret, Dromonium fieri curavit, eoque ſemper uſus eſt, quocumque demum proficiſci vellet, & comitabatur e Principibus, Magiſtris, Patriciis, quoscunque vellet*: Gemini poſthac Dromonii uſu invecto: Utrique præpoſiti fuere Remiges, qui erant ex Imperiali agrario, & ex Nautis Strenitis. Ab antiquo enim in Steno-Chelandia imperatoriæ navigationi extructa decem erant, ut idem auctor ibidem affirmat. At primo Imperatoris ſcilicet Dromonio cuſtodes erant Protocarabi, eoſque fuiſſe arbitror, quorum mentio occurrit apud Conſtantinum Porphyrogenitum *in libro de adminiſtrat. Imperii*, e Græco in Latinum ſermonem converſo ab Anſelmo Banduro, relatoque in *tom.1. Imperii Orientalis cap.51. folio* 141. Enim vero urgente gerendi neceſſitate belli, utriuſque Dromonii remiges cum duobus primi Dromonii Protocarabis in Chelandia Imperator introduxit, ut maritimæ darent operam militiæ, conſtituitque Dromonii ſui Protocarabum quemdam Michaelem ſenem, qui Protelates in claſſe erat ſub Euſtatio Patricio. *Dromonium* autem genus erat quodam navigii expeditiſſimi a celeritate nomen adepti δρόμων enim

Græ-

Græci curſum appellant. S. Iſidorus *lib.* 19. *Origin. cap.* 1. longum fuiſſe indicat; De Dromoniis conſtitutis a Juſtiniano Imperatore in Trajectu, qui eſt contra Hiſpaniam, (qui *ſepta* dicitur) agitur *in libro* 2. *Codicis tit.* 30. *de Officio Præfecti Africæ leg.* 2. §. *Jubemus*. Videndus & Caſſiodorus *lib.* 5. *epiſt.* 17.

IX. Tantis Patriciorum Ordini ab Auguſtis Cæſaribus collatis honoribus, inferiora profecto non fuere munera, quæ illis in aula Imperatoria committebantur. Enim vero eumdem, ut recte tradit Jacobus Gutherus *de Officiis Domus Auguſtæ cap.* 11. *lib.* 1. & Magiſtrum Officiorum, & Præfectum Prætorio, & Patricium extitiſſe notum eſt. Id ipſum animadvertit Angelus de Nuce in notis ad Chronica Monaſter. Caſſinenſis *lib.* 1. *cap.* 52. *In Græcis hiſtoriis*, inquit, *Patricii e Græca gente quam frequentiſſimi, quibus præcelſiora munia, nempe ducandi exercitus adminiſtrandæ Provinciæ nobilium Legationum, & ſimilia committebantur*. Rem teſtatiſſimam præcipua, quoque, ac ſingularia oſtendunt exempla. Antiochum ſane Patricium, Theodoſio imperante, plures Magiſtratus cum laude geſſiſſe memorat Anſelmus Bandurus *in Imper. Orient. tom.* 1. *parte altera de loco Antiochi*. Scriptor idem loquens de ædificio, cujus nuncupatio: vetus *Petrion*. aſſerit Juſtiniani Magni ætate Petrum Patricium multis egregie perfunctum fuiſſe Magiſtratibus. Accubitorum munus Michaele imperante Theophili filio, exercuit Damianus Patricius: Leone autem Auguſto, eodem munere auctus fuit primum Samonas, deinde Conſtantinus Patricii. Alios aliis Imperatoribus, eodem honeſtatos officio laudat Conſtantinus Porphyrogenit. *in libro de adminiſtran. Imper. cap.* 6. *tom.* 1. *Imperii Oriental.* apud Bandurum. Magiſtri Officiorum munus graviſſimum, & quam illuſtre apud Imperatores fuiſſe latet neminem. Idipſum autem Hilarianum Patricium geſſiſſe liquet *ex lege Sacri affatus Cod. de Statuis, & Imaginibus*. Ad ampliorem Patricio-

rum

rum ſignificandam auctoritatem additi etiam fuerunt Quæſtori Sacri Palatii in cognoſcendis, dirimendiſque negociis, quorum cauſſa ad Principem provocabatur. Conjunctis ſiquidem conſiliis, atque ſententiis ita ratum erat, quod Patricii ſimul, ac Quæſtor decernebant, ut ab illorum judicio provocari minime liceret; *ex leg. Jubemus Cod. de appellat.*, & Jacobo Guthero *de offic. Domus auguſt. cap. de Quæſt. S. Palatii. Quæſtor* autem, is propemodum erat, quem hodie *Cancellarium* appellamus; de cujus officio librum ſingularem Ulpianus ſcripſit, ex quo Tribonianus fragmentum reliquit *in leg. unica ff. de offic. Quæſtor.* Quæſtores tamen plures erant. Cancellarii officio reſpondebant Quæſtores candidati; quorum munus erat libros Imperatorios, ac literas legere. Conſule P. Pratejum *lib.16. Theſauri Juris Civilis, & Canonici, verbo Quæſtor*. At non domi tantum Patriciorum opera, & honorificis miniſteriis Imperatores utebantur: verum etiam foris; non raro ſiquidem eos ad ſummos Principes mittebant, ut Auguſti nomine apud illos legatione fungerentur. Sic Briennium Patricium a Theodora Imperatrice Theophili uxore legatum fuiſſe ad Bulgarorum Regem, narrat Ducangius *cap. 28. lib. 2.* A Conſtantino quoque pro pace cum Saracenorum Principe ineunda Joannes Patricius Legatus mittitur, quem uſu rerum, & prudentia inſignem appellat S. Nicephorus Patriarcha *in hiſtoria Conſtantinopolit.* e græco ſermone in latinum converſa a Dionyſio Petavio *pag. 26.*, apud quem de Daniele item Patricio occurrit mentio, quem Anaſtaſius in res bellicas maxime incumbens ad Saracenorum Principem, tunc adverſus Romanos expeditionem comparantem, per ſpeciem impetrandæ pacis deſtinavit. Plura hujus rei proferre poſſem exempla, quæ quum apud Gutherum de officiis domus Auguſtæ, Georgium Codinum Curopalatam, ac Lupum Protoſpatam in Chronico paſſim legere poſſis, illorum recenſione ſuperſedeo.

X. At-

Digitized by Google

X. Atque hinc, ut capite altero ſupra vidimus. Quum Imperatorum Orientalium exemplo exteri quoque Reges, ac Principes conferre Patriciatum conſueverint, ſuis & ipſi Patriciis domi, foriſque præcipua munera committebant. Boetius profecto Theodorico Gothorum Rege Officiorum Magiſter erat, & Exconſul ex Bollando in actis Sanctorum *tom.6. in vita S. Joannis Primi, Papæ, & Martyris*; & ex Barthyo in præfat. ad ejus libros de conſolat. Philoſophiæ. Eidem Boetio Theodoricus commiſit, ut quæſtioni præeſſet, adverſus Arcarium inſtitutæ *ex epiſt.*10. Aurelii Caſſiodori ea potiſſimum ratione adjecta, quod: *confidentius illam, (juſtitiam) expetunt, qui a Palatii militia non recedunt*: de Caſſiodoro ſcribit Baronius *ad ann.*CDXCIII. *Theodoricus retinuit apud ſe, cujus conſilio Regnum moderari conſuevit, & leges ſancire populis, uſus etiam ejus miniſterio in conſcribendis ad diverſos epiſtolis*. Ex his autem noſcitur, quæ, & quanta Patriciis munera Gothorum Reges commiſerint. In epiſtola ſiquidem 20. Rex ipſe, ſeditionem, ſi qua in ſpectaculis orietur, dirimendi provinciam imperat Alboino Patricio; & in *epiſt.* 33. jubet Agapito Urbis Præfecto, ut ſolitum menſtruum ſine ulla diminutione ei tribueretur, quem Albinus, & Albienus Patricii in ſpectaculis elegiſſent. De Patriciis Galliæ narrat Hieronymus Bignonius in notis ad Marculfum Monachum inter Duces illius glorioſiſſimi Regni enumeratos fuiſſe, ipſiſque exercitus regendos, Provincias adminiſtrandas fuiſſe creditas. At de his nos præcipuum ſermonem inſtituemus.

De Patriciorum Præſtantia, Juribus, Titulis, & Veſtibus.

CAPUT V.

SYNOPSIS.

I. *Patricii Faſtis adſcripti, a patria poteſtate ſoluti, a nexibus item Curiæ, & a Metatis, & Epidemeticis immunes*. II. *Omnium Primi* Illuſtres *dicti*: *præcedebant Præfecto Prætorio, & Præfecto Urbis uſque ad tempora Juſtiniani*. III. *In Eccleſiis, & Conciliis præſtans Patriciorum locus*. IV. *Conſules, quando Patricios anteirent ad intelligentiam* legis 3. Cod. de Conſul. & non ſpargen. V. *Imperatores Conſulatum non Patriciatum gerebant*: *Qui, & quotuplex Conſulatus*. VI. *Patricii quomodo ab Imperatore damnabantur; eorum lites ab aliis Patritiis diremtæ*. *Domus per alios Patricios cuſtoditæ*. VII. *A ſummis Pontificibus, & Imperatoribus Patricii honorifice excepti*. VIII. *Ipſorum tituli*. IX. *Eminentiæ & Celſitudinis titulis ab Imperatoribus decorati, & quando*. X. *Eorumdem indumenta*.

I. SUperiori capite vidimus, quæ munera in aula Imperatoria Patricii obirent, quum apud Imperatorem Byzantii degerent; nunc de ipſorum præſtantia ſermonem inſtituemus. Ac primum Patricia dignitate adeptos faſtis adſcribi conſueviſſe, notavit Jacobus Gutherus *de offic. Domus auguſt. cap.* 4. exhibetur, & ibidem lapis, in quo, & numerati, & adſcripti Patricii leguntur, ſicut allecti Conſulares, Præfectorii, aliique Viri eximii cujuſvis ordinis, ac dignitatis. Hoc autem pacto Patricii inſcribebantur faſtis inter allectos. ALLECTUS INTER PATRICIOS: quod narrat & Aldus Manutius in

in Orthographia. Acceptis poſtmodum Patriciatus codicillis, ſoluti cenſebantur a vinculis patriæ poteſtatis; Siquidem tunc eos dedecebat alienæ ſubeſſe poteſtati, quos in Patres ſibi Imperator elegerat. §. *ſed filius familias Inſtitut. Quibus modis jus patriæ poteſt. ſolvitur. Leg. ſancimus Cod. de Conſul. & non ſpargen. lib.* 12. A nexibus etiam, & onere Curiarum eos decernit immunes Leo Imperator *in lege neminem Cod. de Decurion. Qui quocunque tempore*, inquit, *Patricii*, *vel Conſules*, *aut Conſulares facti ſunt*, *omnimodo cum facultatibus ſuis*, *& poſt eam dignitatem progenitis filiis a Curiarum nexibus*, *vel onere decernimus liberare*. Quam legem Juſtinianus Imperator non modo confirmavit, verum etiam ad univerſam quoque Patriciorum poſteritatem extendit, leg. *Curialibus Cod. de Decurion. Si quis igitur*, (cavit Imperator), *vel ſummum Patriciatus honorem fuerit conſecutus*, *ſive inſulis Conſulatus honorarii fuerit ampliatus*, *is gaudeat*, *ſe hujuſmodi conditionis eſſe exortem*, *& liberum cum ſuis facultatibus*, *ſuaque poſteritate*. Ipſis demum immunitatem a Metatis, & Epidemeticis tribuerunt Imperatores Valentinianus, & Marcianus *leg. decima Cod. de Metatis*, *& Epidemet*: *Hac lege*, inquiunt, *ſancimus*, *ut ſi quis conſularem*, *aut Patriciam meruerit dignitatem*, *tres domos proprias*, *dum ſupereſt*, *habeat hoſpitii immunitate ſecuras*: *Heredes vero*, *Filii*, *aut Pater*, *aut Mater*, *Nepotes*, *aut Fratres*, *aut ſoror*, *aut uxor*, *duarum domorum ſuarum excuſatione potiantur. Metata* erant hoſpitia, quæ ſupervenientibus militibus, vel aliis Perſonis Provinciales præbebant. *Epidemetica* vero appellabantur pretia, quibus quis ſe ab onere ſuſcipiendorum hoſpitum redimebat, ut explicant Alciatus, & Jacobus Cujacius in rubrica Codicis deſignato titulo.

II. Porro Patriciatus dignitas erat non ſolum ſublimis, & eminens, verum etiam, ut ait Altaſerra *in notis ad Anaſtaſium Biblioth. ſect.* 106. *edit. Vaticanæ verſu*: *Fecit*

 eum

eum Patricium, *culmen dignitatum*; Quapropter Patricii multis potiebantur juribus prærogativis, ac privilegiis ſupra ceteros illuſtres, ac clariſſimos Viros decoratos inſulis, & inſigniis reliquarum dignitatum. *Non immoror*, inquit Jacobus Gutherus *lib. 2. cap. 19. in enarrandis Patriciorum honoribus*, *eorumque privilegiis*, *nec in veteribus iis*, *qui tranſierunt a cauſis agendis ad jus civile*. *Satis nunc eſt ſummam eorum dignitatem agnoſcere*: Sed quum noſtri inſtituti ratio poſtulare videatur, id a nobis non eſſe prætereundum, primum obſervare contigit: Eos omnium Primos *Illuſtres* denominatos fuiſſe, ut ſentit S. Iſidorus *lib. 9. Origin. cap. 4.*, & Guido Pancirolus *in notit. dignitatum utriuſque Imperii cap. 2. de Illuſtribus*; Zeno ſiquidem Imperator Illuſtrium ordinem præſcribens *in leg. 3. Cod. ubi Senat. vel clariſſ.* Patricios, ac Expatricios omnium primum illuſtres nuncupat, deinde Præfectos Prætorio, & Urbis, poſtremo Viros Conſulares. Illuſtris nomen initio non meriti, aut honoris erat, ſed notæ; quare ipſis quoque meretricibus tributum fuiſſe obſervat Servius *in lib. 6. Æneid.* Uſus vero poſtmodum obtinuit, ut viri magni nominis vocarentur illuſtres; nomenque hujuſmodi maximæ eſſet dignitatis, ut recte notavit idem Gutherus *cap. 19. lib. 2.* Hac propterea dignitate Patricii inſigniti, ſupra Præfectos Prætorio ſedebant, quam prærogativam, eumdem Conſtantinum Magnum hujus ampliſſimi ordinis Parentem iis indulſiſſe teſtis eſt Zoſimus *libro altero hiſtor.*: Qui *Primus*, inquit, *Conſtantinus excogitavit*, *lege ſanciens*, *ut qui eum conſequerentur*, *ſupra ipſos Præfectos Prætorio conſiderent*. Medium autem locum, Patriciatum tenuiſſe, inter Conſulatum, & Præfecturam poſt Conſtantini tempora prodit idem Gutherus citato capite. Ad rem ipſam, illud etiam monere juvat, præfecturam dignitatem minorem Patricia antiquitus fuiſſe habitam, quemadmodum notat Franciſcus Amaya *in Comentar. ad 3. libros poſter. Codic.* *Juſti-*

Digitized by Google

Juſtiniani lib. 10. *tit.* 31. præivitque Amayam eodem aſſerto Vir Clariſſimus Joannes Savaro *in notis ad Sidonium lib.* 2. *epiſt.* 13. *& Faber lib.* 1. *ſemeſt. cap.* 2. *prope finem.* Licet enim fuerit poſt Imperatoriam ſecunda; id tamen ante Conſtantinum obtinuiſſe, vel majorem fuiſſe dignitatem poteſtate, non amplitudine idem Franciſcus Amaya animadvertit. Quare etiam Urbicaria præfectura poſt Patricios Illuſtris titulo a Leone inſignita eſt, ut paullo ante monui. Unde eadem præfectura ampliorem Patriciatus dignitatem vocat Cujacius *in leg.* 3. *Cod. de Conſul. & non ſpargen. lib.* 12. tametſi animadvertat Præfectum Urbis in Senatu præſidere. Juſtinianus autem Imperator, quum præfecturam ipſam extollere maxime cuperet *novella* 62. *auth. de ordin. Senat.* §. *Urbicaria*, aliis omnibus dignitatibus juſſit antecellere, & poſt Urbis Præfectum, Patricios, dein Conſules, & Conſulares, poſtea Præfectos Prætorio, Magiſtros deinde Militum, ceteroſque Viros illuſtres in Senatu Sedem habere conſtituit.

III. In Eccleſiis ipſiſmet Epiſcopis Patricios præpoſitos fuiſſe autumat, fretus auctoritate Luitprandi in legatione Bulgarorum, Bulengerius *de Imperat. & Imper. Roman. lib.* 3. *cap.* 1. ſed qualecunque eſſe velimus eorum aſſertum, certe contrarium videtur antiquis Eccleſiæ Ritibus, & Sacrorum diſciplinæ, qua Epiſcopi principem locum ſemper obtinuerunt in Eccleſiis, ab ſæculi dignitatibus, ipſiſque Imperatoribus omninò diverſum, atque diſtinctum. Illud certe ſingulare, ac præcipuum eſt, quod ad ſextæ Nicænæ Synodi actionem primam refertur a Caballutio *in notitia Concilior. titulo de ordine, & conſenſu PP.* Conſtantinum nempe Auguſtum ſeorſim ſediſſe cum Patriciis, & Conſulibus, a læva autem parte Legatos Apoſtolicæ Sedis, deinde Vicarium, & Apocriſarium Epiſcopi Jeroſolymorum, alioſque deinceps Præſules: Obſervat autem Baronius ad annum CCCLII. *nu.* 52., ſolidiſque probat rationibus: In Sacris, & Eccleſiaſticis rebus

rebus præcelluiſſe olim ſiniſtram præ dextera parte tam in Oriente, quam in Occidente; Quæ ſane res Jacobatio *de Concilio artic.* 12. *de ordin. ſeden.* comperta non fuit; Nam, ut oſtenderet in eadem ſexta Nicæna Synodo digniorem Patriarchis locum fuiſſe conceſſum, ineptiſſimo Baldi *in leg. decernimus Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis* ſuffultus teſtimonio, animadvertit, eoſdem a dextera parte conſediſſe. Ritus ipſe ſi Petro Damiani Cardinali notus fuiſſet, *in tractatu de Picturis Apoſtolorum Petri, & Pauli*, cauſſam inquirens, cur pingi ſoleret S. Petrus Apoſtolorum Princeps ad ſiniſtram, & Paulus ad dexteram, fruſtra utique non laboraſſet in conquirendis Pauli, ſupra Petrum juribus prærogativis atque præſtantia.

IV. Id ſane longe difficilius videtur, decernere, an Patricii Conſules antecellerent; vel contra. Recte ſiquidem notavit Amaya recitato paullo ante loco in utramque ſententiam, auctores, & jura trahere. Enim vero Gratianus Imperator de Conſulibus legem ſcivit relatam *in Codice Theodoſiano leg. unica de Conſulib.* qua Conſulatum omnium dignitatum faſtigiis juſſit eſſe præponendum. Torquet autem Auctores poſterius Zenonis edictum *in leg.* 3. *Cod. de Conſult., & non ſpargen.* quo Patriciatum cunctis dignitatibus anteponi ſancivit. *Faber lib.* 1. *Semeſt. cap.* 2. putat, Zenonem eo loco locutum non eſſe de priſco Conſulatus honore, cui Patriciatus cedebat. Gothofredus in ipſam legem 3. eadem verba ita explicat, ut Patriciatus Conſulatu ſit major non gradu, ſed duratione; quod cenſet etiam Jacobus Gutherus *lib.* 2. *cap.* 19. & prius notavit *cap.* 11. *lib.* 1.. Has inter opiniones dubius adhuc hærens Amaya loco ſupra judicato *num.* 61. addit: *Ego planiſſime dicerem rerum humanarum viciſſitudine, Conſulatum ſub Zenone ab illo antiquo ſplendore deflexiſſe, & præpoſitum ei fuiſſe Patriciatum, niſi auctorum illius temporis ſcripta ab ea opinione revocarent, & ideo dicebam in dicta lege* 3. *adjectum eſſe Patriciatum omni-*

omnibus anteponi, *quia*, *ut ad eum perveniretur*, *neceſſarium erat*, *Conſulem fuiſſe*, *vel Præfectum Prætorio*, *aut Urbis*. At enim, ſi poſt tot, tantoſque viros propriam de re ipſa ſententiam aperire licet: Arbitrarer, ad legis præſcriptum Conſules Patriciis præferendos, modo Patricii ſimul Conſules eſſent. Quapropter in eadem Conſtitutione idem addit Imperator Gratianus: *Porro ſi contingerit*, *ut ad has duas prærogativas etiam Patriciatus ſplendor addatur*, *oportet hujuſmodi Virum*, *præter ceteros eminere*, *neque enim unus honor poteſt duobus*, *aut tribus anteferri*: Eodem conſtituto diſcrimine non aliter cenſuit compluries laudatus Gutherus, & Jacobus Cujacius *in leg.* 1. *Cod. de Conſuli.& non ſpargen. lib.* 12. qui deinde aliam de re ipſa quæſtionem dirimit his verbis: *Quæritur*, *ſi antiquior Conſul poſtea Patricius fiat*, *quia præferatur*: *Uterque eſt Conſul*, *& Patricius*, *ſed unus antiquior Conſul*, *alter antiquior Patricius*. *Et recte cenſent antiquiorem Conſulem præferri*, *quod is Conſul fuerit*, *priuſquam alter vel Conſul*, *vel Patricius*.

V. Neque incongruum erat ei cedere dignitati, quam præ ceteris Imperatores ipſi ſumebant; Non enim Patriciatum, ſed Conſulatum ab Imperatoribus geſtum fuiſſe conſtat, ut ſcite animadvertit idem Gutherus ex Juniore Plinio *lib.* 1. *cap.* 2. ſcribens: *Conſulatum enim Princeps Præfecturam Prætorio Magiſterium*, *aut Patriciatum non gerit*; quare in formula Patriciatus relata a Caſſiodoro *lib. 6. variar.* qua quis Patricius renunciabatur, id notandum occurrit: *Præfectorios*, *& aliarum dignitatum Viros præcedit*, *uni tantum cedens fulgori*, *quem interdum etiam a nobis conſtat aſſumi*. Omnes ſiquidem Imperatores Conſulatum geſſerunt, quandoque temporaneum; quandoque iteratum; quandoque continuum, aliquando per intervalla, ſæpenumero ſoli, interdum cum viris notæ auctoritatis, ut faſti Conſulares perſpicue teſtantur, oſtenditque Gutherus *lib.* 1. *cap.* 12. *de Conſulibus*.

Illud

Illud etiam in faſtis, notiſque temporum, quibus leges obſignantur de Filiis Cæſarum occurrit: *Conſule nobiliſſimo Puero*, *vel Nobili Puero*: *ut in leg*. 4. *Cod. Theodoſ. de Proxim. diſpoſ. leg*. 9. & 10. *dicti Codicis de Veteranis*. Pueros ipſos Contius *in leg. fin. Cod. de relat.* antiquitus, ſimiles iis Regum filiis fuiſſe putat, quos hodie in Hiſpaniis, *Infantes* appellant: cavendumque monet, ne pro Impuberibus, aut Infantibus accipiantur. Hoc tamen non ita perpetuo, atque conſtanter verum fuit, quin contrarium hiſtoria comprobet. Ex qua, ne longior fiam, unum, aut alterum exemplum afferam. Severus Imperator majorem natu filium, eumque impuberem, Conſulem deſignavit. Data illi virili toga. Jovinianus item Imperator Conſulatum gerens, collegam ſibi adſcivit Varronianum filium puerulum; qui vagiens reluctabatur, cum curuli ſella ex priſco more veheretur teſte Ammiano Marcellino *lib*.25. Neque id mirum; dignitas enim Conſularis, quamvis ſumma eſſet, & ampliſſima, erat nihilominus otioſa, & ſine labore honor; ut docet Mamertinus *in panegyr. Conſul.* Inde Caſſiodorus *lib.6. var. formul.* 1. *Viciſtis*, inquit, *felicitate Principes*, *qui*, & *honores ſummos geritis*, & *dominationis tædia non habetis*. Diſcrimen tamen non exiguum intercedebat inter Conſules: nam alii erant *Ordinarii*; alii *ſuffecti*; alii *honorarii*: propterea non omnes faſtis adſcriptos legimus. *Ordinarii* etenim dicebantur, qui Conſularium faſtorum honore inſigniebantur, dabantque nomen anno. *Suffecti*, qui poſt Ordinarios, reliqui anni parte Conſulatum gerebant. *Honorarii* denique, qui imaginaria Conſulatus erant ornati dignitate, receptis ab Imperatore codicillis. Honorarii Conſules non adſcribebantur faſtis, ſed tantum Ordinarii, atque ſuffecti. Quoniam vero non ſine errore gravi etiam illorum nomina in faſtis ſæpe obrepſerant; orta exinde eſt non exigua temporum perturbatio, ut paſſim Viri Critici cum Baronio, Pagio, Noriſio, aliiſque animadvertunt. Quod

ſane

ſane non latuit memoratum Gutherum, qui luculenter citato loco rem ipſam pertractat: offuſaſque graviſſimæ hiſtoriæ ambages pro virili parte diſcutit.

VI. Ut eo igitur revocetur, unde huc declinavit oratio; prætereundus minime eſt ſolemnis ritus, & apparatus, quo Patricii ab Imperatore damnabantur, ſi ipſos forte reos decerni contingeret. Fiebant itaque juſſu Imperatoris publica loca judiciaria, in quibus præcipue erant ſedes conſtitutæ univerſo Clero, & Senatui ibidem coactis: Coram illis Imperator ſuam proferebat ſententiam. Tanta celebritate ab ipſomet Imperatore in Patricios peractum judicium eximiam haud dubie illorum præſtantiam, & præcipuam dignitatem arguebat. Et ſane cum ceteris profanæ poteſtatis Ordinibus in cognitione cauſſarum Patriciorum, adhibita Cleri præſentia aliquid præſtans, ac ſingulare indicat, quod peculiarem animadverſionem meretur, atque memoriam. Apud Anonymum *de antiquit. Conſtantinopolitanis parte 2. lib. 2. de Topis*, relatum a Banduro in Imperio Orientali parte tertia de Baſiliſco Patricio narratur: Quum exacto ejus ope ab Imperio, Zenone, rerum ipſe biennio potitus fuiſſet; ipſum ſcelerata Armatii conjuratione pulſum, ab Zenone damnatum eo in loco, qui ob Judicum, & Sacerdotum conſeſſum ad id coactum, *Topi* nomen eſt adeptus: *Zeno*, inquit, *juſſit fieri loca judiciaria, & ſedes Clero, ac Senatui, ac ubi omnes conſediſſent; condemnavit Baſiliſcum*, (*Patricium*,) *& in Limnas locum Cappadociæ relegavit*. Idem Zeno Imperator Patricios exemit a foro cujuſcunque Judicis, ſolique judicio imperatorio ſubjecit, vel ei, cui Imperator cauſſam cognoſcendam committeret. *Leg. quoties Cod. Ubi Senatores, vel Clariſſimi*. Theodoricus Gothorum Rex trium Patriciorum cauſſam non ab aliis, quam a duobus ejuſdem Ordinis Viris dirimi voluit, Cæliano, nempe, & Agapito Patriciis, ut conſtat *ex epiſt. 23*. Caſſiodori, ubi legimus: *Præſenti juſſione decernimus, ut Patricii,*

tricii, atque magnifici Viri Feſtus, atque Simmacus contra illuſtrem, & Patricium Paulinum in judicio veſtro, quas ſe habere dicunt, exarant actiones. Rex ipſe Feſto Patricio defenſionem domus Angelli Patricii, in Africam profecturi, ne cujuſquam obnoxia eſſet injuriæ, ac Patrono careret, commiſit: *ex epiſt.*15. ejuſdem Caſſiodori.

VII. Non ſolum autem apud Imperatores, Regeſque ſuos, quorum ditioni Patricii ſuberant, & parebant imperiis, verum etiam apud Summos Pontifices, exteroſque Principes maximi facta eſt Patricia dignitas; nec uno id argumenti genere patuit. Eleutherius Patricius, quum Ravenna, Romam acceſſiſſet, a Sancto Deuſdedit Pontifice Maximo honorifice exceptus eſt: *Hic venit Romam*, ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius *in vita ejuſdem Pontificis*: *& ſuſceptus eſt a Sanctiſſimo Deuſdedit optime*: a Ludovico Romanorum Imperatore Joannem Patricium ſingulari honoris ſignificatione fuiſſe complexum, oſtendit ipſius epiſtola ad Baſilium Imperatorem novæ Romæ in Chronicis *Monaſterii Farfenſis cap.*14. *apud Muratorium tom.*2. *rerum italicar. parte altera*, quæ integra ex iiſdem Chronicis recitatur a Baronio *ad annum Chriſti* DCCCLXXI. cujus hæc verba ſunt: *Ludovicus Divina ordinante Providentia Imperator Auguſtus Romanorum, Dilectiſſimo, ſpiritualique fratri noſtro Baſilio Glorioſiſſimo, & Piiſſimo, eque Imperatori novæ Romæ. Nos prius erga Joannem Famoſiſſimum Patricium geſſiſſe pateſcat, quem re vera non ſicut amicum, vel quemadmodum fratris, ideſt Imperii tui hominem, ſed quaſi conſanguineum noſtrum, & tanquam Excellentiæ tuæ ſobolem tractavimus, & dileximus*.

VIII. Par honos ab ipſis Patriciæ dignitati eſt habitus; quum ad Viros Patricios literas mitterent: In iis enim Romani Pontifices, & Imperatores, illos ornabant titulis, qui ampliſſimæ dignitatis præſtantiam perſpicue teſtarentur. Luculentum ejus rei teſtimonium ſuppeditant Epiſtolæ Pelagii Papæ, collectæ a Viro Clariſſimo Luca Hol-

Holſtennio in collectione Romana bipartita, quas inter, multæ occurrunt miſſæ Patriciis. In epiſtola ad Valerianum Patricium: *Sed quid*, inquit, *de talibus inſertus Chalcedonenſi Synodo canon, ſtatuet Gloria veſtra, conſideret*: & paullo poſt: *Recolere debet Celſitudo veſtra, quid per vos Deus ſecerit*: & in calce ejuſdem epiſtolæ: *Qui ordinaturus erat providentia Culminis veſtri*. Eodem quoque titulo inſignitus legitur Cethegus Patricius, ab ipſo Pontifice: *Optaveramus in ipſo initio*, inquit in epiſtola ad eum miſſa, *Gloriæ veſtræ deſideriis obedire*: Imperatores autem, quum Patriciis leges exſequtioni mandandas dirigerent, in iis tam in Codice Theodoſiano, quam Juſtinianeo *Magnificentiæ* titulo illos exornabant. Sic Valentinianus Auguſtus legem edens de Parentibus, qui filios diſtraxerant, relatam *in Codice Theodoſiano leg.* 1. *tit.* 11. Ætium Patricium his verbis alloquitur: *Quam ſaluberrimam legem Ætj Parens kariſſime, atque amantiſſime inluſtris, & præcelſa magnificentia tua omnium præpoſitis vulget edictis*: Pari fere teſtificatione honoris idem Imperator uſus eſt, *legem unicam in Codice Theodoſiano ſub titulo* XII. *de Epiſcopali audientia* Firmino Patricio mittens: *Firmine*, inquit, *Parens kariſſime, atque amantiſſime inluſtris, & præcelſa Magnificentia tua hanc ſaluberrimam edictalem legem, etiam pendentibus in foro negociis præpoſitis vulgabit edictis*.

IX. Quandoque etiam *Celſitudinis*, *& Eminentiæ* titulis ab iiſdem Imperatoribus Patricii decorati leguntur, modo ii cum Patriciatu aliam gererent dignitatem, nimirum Magiſtratum Militiæ, Officiorum, vel Præfecturam Prætorio. Quamobrem Juſtinianus Cæſar ſcribens Auguſto Hermogeni Sacrorum Officiorum Magiſtro, Exconſuli, atque Patricio authenticam alteram *titulo* 5. *de Referendariis Sacri Palatii*. *Quæ igitur*, inquit, *placuerunt nobis, & per hanc ſacram legem manifeſtata ſunt, Tua Eminentia operi, effectuique tradere feſtinet*. Eidem

 Her-

Hermogeni alterius ab ſe editæ legis exſequutionem imperans Juſtinianus *in Authentica*, *ut Judices collat. 2. tit. 5. Hæc autem*, inquit, *Tua Eminentia cognoſcens cuſtodiat*, *ut nullo tempore tranſgrediatur aliquid eorum*, *quæ a nobis ſancita ſunt*: Joanni glorioſiſſimo Sacrorum Prætoriorum Præfecto, Exconſuli, atque Patricio in titulo 7. *authent.de adminiſtrat.offic. in ſacris appellationibus*: *Jam quidem*, ait, *ſacram fecimus legem*, *de appellationibus eloquentem*; *quam tam ad tuam Celſitudinem*, *quam ad Glorioſiſſimum miſimus Quæſtorem*. Pari titulo, & honore dignatur *in authent. ut Judices titulo altero novella* VIII. *cap.* 1. Cum vero de Codice ſuo confirmando, legem, quæ in ordine prima eſt, idem Juſtinianus promulgaret: *Ad iſtum*, inquit, *laborem*, *& tanti operis conſummationem electi Vir Excellentiſſimus Exquæſtor noſtri Palatii*, *Conſularis*, *atque Patricius Joannes*, *& Vir ſublimiſſimus Expræfectus Prætorio*, *Conſularis*, *atque Patricius Leontius*; *Vir quoque Eminentiſſimus Magiſter Militum*, *atque Patricius Phocas*, *etiam Vir Excellentiſſimus Expræfectus Prætorio per Orientem*, *& Patricius*, *& nunc Præfectus Prætorio per Illyricum Baſilides*. Non diſparibus honorum titulis exterarum Nationum Patricios a ſuis Principibus affectos conſtat. Theodoricus Gothorum Rex Feſtum Patricium his verbis alloquitur: *Gratum nobis eſt*, *quoties de magnitudinis tuæ meritis exiſtimatio talis procedit*: apud Caſſiodorum *epiſt.*17., *& in fine ejuſdem*: *Ideoque Celſitudo veſtra*, *quam votum pium eſt habere vicinam Gentis erigat humiles*; Epiſtola vigeſima eodem Magnitudinis titulo exornat Albinum Patricium: Nec aliter apud Marculſum Monachum *lib.* 1. *antiquar. formular. cap.* 27. legitur: *Ille Rex*, *illi Patricio*. *Quod nos pro divino reſpectu*, *vel mercedis noſtræ augmentum præſtitiſſe veſtra non dubitet Magnitudo*. Tantorum Principum exempla, utinam eorum confundant ſuperbiam, qui, quod aliqua inter mortales dignitate fungantur, probitate, do-

ctrina,

ctrina, vel genere præſtantes Viros debitis proſequi titulis, aut meritis honoribus detrectant: Quaſi proprio decori officiat, virtutis cultus, & juſtitiæ. Monimento etiam, ac freno, intemperanti illorum, ac temerariæ cupiditati eſſe debent, qui jure nullo debitos, ſibi honores poſtulant, vel uſurpant: Quemadmodum non ſine riſu, & ſtomacho in dies inſpicimus. Pro re nata peculiari notatione digna lex eſt, lata ab Imperatoribus Theodoſio, & Arcadio, quæ recenſetur in Codice *Juſtinianeo de Officiis diverſorum Judicum lege altera -- Singuli, quique Judices ſciant celſioribus Viris, & iis, quorum nonunquam judicio provehunt, honorificentiam debitam eſſe præſtandam* -- & lex tertia ſub eodem titulo, inſcripta Conſtantio Galliarum Præpoſito: *Sciant Principes, & Cornicularii, & Primates officiorum, & Judices etiam, ternas libras auri in ſuis facultatibus eruendas ſi honoratis Viris, (quibus etiam Conſiſtorium noſtrum ingrediendi facultatem præbent) Secretarii Judicum non patuerit ingreſſus, aut reverentia non fuerit in ſalutatione delata, aut ferendi cum Judice ſocietas denegata.*

IX. Decet poſtremo, ut aliqua etiam de veſte, qua Patricii ad eximiæ, atque excelſæ dignitatis inditium, amiciebantur, delibem. Angelus de Nuce in notis ad Chronicon *Monaſterii Caſſinenſis Leonis Cardinalis Epiſcopi Oſtienſis cap.* 1. *lib.* 1. arbitratur, ipſos induiſſe Chlamydem Imperatoriam, vectoſque fuiſſe ſede ſublimi, ex Caſſiodoro *epiſtola ſecunda libro ſexto Variarum.* Chlamys autem veſtimenti genus erat a Sago, & Regio Paludamento minime diſſimile, apertum, ac fibula ſuper humeros nexum: Quod Tunicæ ſuperinduebatur. Duplicis vero illa erat generis: Altera *Macedonica*, quæ clauſa in extrema inſpiciebatur parte: *Vulgata* altera, quæ aperta patebat. Quemadmodum ſentit Ferrarius *de re veſtiar. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 8. Eam poſtmodum in Italia clauſam adhibitam,

tam, itaut per caput injecta, corpori circumponeretur, atque fibula amota, lævo brachio ſuſpenſa ſuſtineretur. Idem docet Ferrarius *in Analect. de re veſtiaria cap.* 38. Putant alii aureum annulum habuiſſe, & aureo circulo caput ornaſſe, ut obſervat Antonius Dadinus Altaſerra *de Ducibus*, *& Comitibus lib.* 3. *cap.* 11. ex formula Patriciatus, relata a Caſſiodoro *lib.* 3. *Variar.* ubi hæc habentur: *Sume poſt conſulares faſces emeritas Patriciatus inſignia, tuarum munus plenarium dignitatum, & cani honoris infulis cinge cæſariem.* Idem prodit Angelus de Nuce loco recitato *in notis ad caput Primum lib.* 1. quod etiam eruitur ex formula Patriciatus, de qua ſermo erit *cap. ſequenti*, apud Paulum Forojulianum de Geſtis Longobardorum: *Tunc induebat eum Imperator mantum, & in dextro indice annulum ponebat; ponebat ei in caput, aureum circulum*: Sed hujuſmodi corona, & capitis inſigne quamquam quibuslibet Patriciis ex recenſitis monumentis tributum fuiſſe negare nequeam; tamen, quum potius ipſorum Imperatorum, qui ſæculo octavo Patriciatum ſuſcipiebant, a Summo Pontifice indultum, proprium videatur, libro tertio peculiari animadverſione a nobis eſt illuſtrandum, ubi etiam de circulo, & corona Patriciali a Cæſaribus, poſt Imperatoriam, ſuſcepta, pertractabimus.

De Patriciis Eccleſiarum Advocatis.

CAPUT VI.

SYNOPSIS.

I. *Origo muneris advocati Eccleſiarum in Concilio Milevitano.* II. *Ad id præſtantiſſimi quique Viri, ac ipſimet Reges, & Principes aſſumti.* III. *Jus patrocinii, ſive defenſionis duplex:* Ordinarium, *ſcilicet, &* Extraordinarium. IV. *Civitas Septempeda munus tuen-*

tuendi Eccleſias duobus probis Viris, patriis legibus decrevit. V. *Patricii advocati Eccleſiarum, ejuſque tutelæ formula.* VI. *Ipſius formulæ explicatio.* VII. *Andreæ Knich aſſerentis Eccleſiarum Occidentalium patrocinia a Carolo Magno duxiſſe originem, error detectus, & caſtigatus. Martini Mageri affirmantis a Patriciatu Conſtantiniano Eccleſiæ Romanæ advocationem ortam fuiſſe, opinio rejecta.* VIII. *Defenſores Eccleſiæ Romanæ, qui, & quot fuerint.* IX. *Item Eccleſiæ Romanæ Advocati.* X. *Patricii Galliarum curabant patrimonium Eccleſiæ Romanæ.* XI. *Patricii Imperatorum adjutores in Eccleſiis tuendis.* XII. *Patricii ab Imperatoribus miſſi, ut Synodis intereſſent; & nomine Concilii Legati ad Summos Pontifices.* XIII. *Patricii ſubſcribunt Conciliis poſt Epiſcopos.* XIV. *Meurſii aſſerentis Patricios fuiſſe Vicarios Imperatorum in rebus Eccleſiaſticis error notatus.* XV. *Hippecleſion, Canicleon qui fuerint?*

I. SUſcepti inſtituti ratio poſtulat, ut ad alterum Patriciorum genus explicandum progrediamur, quod in Eccleſiis tuendis poſitum eſſe diximus. Accedet autem pretium operæ, ſi ab origine patrocinii Eccleſiaſtici rem, quam breviſſime potero, repetendo, ſermonem exordiar. Quum Eccleſia Africana miſerrime infeſtaretur a Pelagianorum ſecta, impiamque aliorum hæreticorum tyrannidem pateretur adverſam gravi, ac multiplici conſulturus malo Silvanus Numidiæ primas Concilium, Milevis, quæ Civitas, eſt Numidiæ caput, indixit; in quo præter ceteros, octo illuſtres ſanciti fuere Canones cum anathemate adverſus eamdem hæreſim: De quibus Cabaſſutius *in notitia Concilior. de* 11. *Milevitana Synodo pag.* 204. Eos perperam collectores nonnulli alteri adſcribunt Milevitano Concilio, quod coegit Africæ Primas Aurelius nondum orta Pelagiana hæreſi ſub annum Chri-

Chriſti CDII. initio Pontificatus S. Innocentii, Arcadio, & Honorio Coſs., adhibuitque ſuffragia Epiſcoporum ſolius Proconſularis Provinciæ. Scite proinde admonent Magnus Baronius, & Cabaſſutius duo Milevitana Concilia in unum a Scriptoribus fuiſſe confuſa. Potiſſimum itaque ab alterius Concilii Patribus laboratum eſt: Ne quo tempore Hæreticorum impietas longe, lateque progreſſa, nullis certis finibus continebatur, Eccleſiarum res, & jura illorum dolis, & improbitati cederent. Quod, ut facile aſſequerentur, certum aliquem defenſorem, & Advocatum ab Imperatoribus petere conſtituerunt, qui tuendis rebus ad Eccleſiam pertinentibus cura præcipua impederent operam, ne quid ab Hæreticis detrimenti caperent. Sancitus proinde eſt *Canon* XVI., idemque ipſis fere verbis iteratus eſt paullo poſt in Plenaria Synodo Carthagine habita *Can.* LXIV.: *Placuit etiam, ut petatur a glorioſiſſimis Imperatoribus, ut jubeant Judicibus dari petitos ſibi defenſores ſcholaſticos, qui in actu ſint, vel in officio defenſionum cauſarum Eccleſiaſticarum more Sacerdotum Provinciæ, ut iidem ipſi, qui defenſionem cauſarum ſuſceperint, habeant facultatem pro negociis Eccleſiarum, quoties neceſſitas flagitaverit, vel ad obſiſtendum callide decipientibus, vel obrepentibus, vel ad ſuggerenda neceſſaria; ingredi Judicum Secretaria*: In eo Canone inſtaurata videtur priſca illa ſanctio tuendorum pauperum adverſus divitum potentias jampridem ſtabilita a PP. Africanis in V. Concilio, Anaſtaſio Summo Pontifice, quæ legitur *cap.* 22. Concilii Africani, *& Can. ab Imperatoribus* 23. *quæſt.* 2. Ab his Conciliorum Decretis originem ſuam duxiſſe *advocationes*, ſeu, ut vocant nonnulli *Eccleſiarum protectiones*: cenſent Antonius Dadinus Altaſerra *de Ducib. & Comit. cap.6. Martinus Magerus de advocat. armat. cap.5.* Joannes Jacobus Draco *de origin., & jure Patrici. lib.* 2. *cap.* 6. Jacobus Pignatellus *conſultat. Eccleſiaſt.* 200. *tom.* 10.

II. Por-

II. Porro ad hujuſmodi illuſtre munus plerumque adſciti leguntur Duces, Comites, aliique proceres præſtantiſſimi, ut late oſtendit Altaſerra *cap. 6.* quo præclaro miniſterio, ut rite, ac probe fungerentur prius Sacramento adigebantur: Adhibita etiam apprecatione, cujus formula extat in Ordinario Romano ſub titulo: *Ordo ad armandum Eccleſiæ Defenſorem*. Quin imo ipſoſmet Reges, ac Principes id genus ſuſcepiſſe munus pluribus monumentis oſtendit Joannes Jacobus Draco *de lib. altero cap. 6.*, qui multa Monaſteria, atque Eccleſias memorat, quibus vel expetitus datus eſt defenſor, & advocatus, vel ipſæ ſeſe certi alicujus Viri præſtantis patrocinio, atque tutelæ credidere. Qua de re multa occurrunt apud Martinum Magerum *de Advocat. armat. cap. 5.*

III. Id tamen, non ſemper libera, propriaque auctoritate, ſed quandoque etiam delegata poteſtate factum conſtat: Enim vero Epiſcopos, Abbates, alioſque Eccleſiarum Præſides deligendi ſibi advocatum, & defenſorem ſæpenumero a Pontificibus Maximis facultatem impetraſſe multis prolatis monumentis oſtendit Altaſerra recitato *cap. 6.*, & Martinus Magerus *cap. 5.* Ea fulti poteſtate, prout ſacrorum locorum bonis, ac juribus magis expedire noſcebant, præpotentes quoque Viros Principes, ipſoſque aliquando Reges, Patronos nominabant, eoſque fere aliis anteferebant, ut veluti natos, atque perpetuos defenſores haberent, ſuſciperentque, quorum illa ditioni ſuberant, & Imperio. Hoc porro factum eſt, ut duplex eſſet protectionis genus, alterum nempe *ordinariæ*, *extraordinariæ* alterum. Primi generis defenſoribus, Viriſque Principibus, qui nimirum conſtitutas in ſuis Provinciis, ſubjectiſque ſibi regionibus, ac oppidis tuebantur Eccleſias, plus juſto tribuere viſus eſt Pagius in Critica ad Annales Baronii ad annum DCCXL. *nu.6.* putans eas ab ipſorum pependiſſe juriſdictione; quum plerumque eiſdem tale jus tributum fuerit ex indulgentia

Apoſtolicæ Sedis, juxta id, quod refert Bollandus *in act. SS. tom.* 1. *ad diem* 7. *Januarii num.* 22. Illud autem certum eſt: Viros Principes, ac præſertim Supremos Regionum Dominos, quandoque alios ſibi minoris Ordinis ſubrogaſſe Miniſtros, qui veluti Vicario munere Eccleſiarum advocationes obirent. Qui ab hujuſmodi Viris Principibus conſtituebantur Eccleſiarum Advocati illorum Imperiis, ac etiam emendationi ſuberant, quando debito ſuo deerant, miniſteriumque in licentiam convertebant: Hinc reclamantibus in eos plerumque Epiſcopis, & Eccleſiarum Præſidibus, certæ, quandoque leges edebantur: quarum auctoritate coercebantur abſurda. Id genus ſtatuta, adverſus Advocatos Eccleſiæ Virdunenſis undecimo Chriſti ſæculo a Gofrido Duce vulgata in Galliis, videre licet *tom.*1. *Anecdotorum* Edmundi Martene, & Urſini Durandi *pag.* 189. *& ſeq.* Suppetunt, & alibi alia priſcæ hujuſcemodi diſciplinæ veſtigia, & monumenta, quæ nos brevitati ſtudentes conſulto prætermiſſa volumus. De alterius tutelæ genere, qua quis neutiquam ſibi ſubjectas Eccleſias neque proprio, ſed aſſumto munere adverſus publicam, privatamque potentiorum vim tuebatur, agit Marca *lib.* 1. *de concordia &c. cap.* 12. *num.* 2. Hujuſmodi defenſio, ſive protectio inde profecta eſt, quod Summi Pontifices, ipſique etiam Imperatores Viris Primoribus, aliquando demandaverint, ut ab injuriis Eccleſias ſibi creditas extra ordinem tuerentur, atque defenderent; vel etiam quod Epiſcopi, & Abbates, cum aſſenſu Capituli, aut Monaſterii ſe in defenſionem Procerum certis legibus traderent, mercedis annuæ, & perpetuæ penſionis, ut plurimum ſtipulatione adhibita, quarum pactionum octingentis ab hinc annis initarum celeberrima apud Scriptores ex vetuſtis tabulariis occurrunt exempla. Ætate media, quando privata ubique fere Gentium ſæviebant bella, Sacri Conciliorum Canones ſæpenumero Epiſcopos, & Monaſteriorum

Digitized by Google

riorum Abbates compulerunt, ut ſibi defenſores, & Advocatos adſciſcerent, qui periclitantibus Eccleſiis patrocinium opportunum, ac defenſionem impenderent, quod citato paulo ante loco obſervavit & Pagius.

IV. Ordinarium defenſionis officium erga ſuas Eccleſias exercuit Septempeda Civitas, unde mihi origo, & ortus eſt. Quum enim Martino V. Pontifice Maximo poſt exactos ab ea Tyrannos multi lecti eſſent Viri nobiles, qui municipalia jura rogarent; eaque publica auctoritate præſcriberent, quæ in novo, ac libero Urbis regimine magis utilia, ac conſentanea eſſent Civibus: Illud etiam ſcite prudenterque conſtituerunt, ut duo cuilibet Eccleſiæ eſſent Syndici, vel Procuratores conſtituti, omnium popularium, quos Parochianos vocant, creati ſuffragiis, qui illius pro re nata partes agerent, & jura tuerentur. Quibus ſi Eccleſia, vel Monaſterium careret, voluntate, atque arbitrio Conſulis, & Priorum Municipalem conſtituentium Magiſtratum deſignarentur. Horum munus *ex Rubrica 72. libri primi ſtatutorum Urbis* licet agnoſcere; e re tamen ducimus pauca inde e multis attexere: *Volumus, & ordinamus, ut in qualibet Eccleſia Civitatis Sancti Severini eligantur per omnes Parochianos, vel majorem partem ipſorum duo Syndici, & Procuratores, homines fideles, ac idonei, qui faciant inventarium intra decem dies poſt electionem ipſorum de bonis ſtabilibus illius Eccleſiæ, in qua erunt electi, & de libris, cum pannis, & paramentis, aliiſque ornamentis, & rebus ipſius Eccleſiæ; ac de omnibus aliis rebus, & bonis dictæ Eccleſiæ, & juribus ne fiat alienatio &c., & ſinguli Notarii dictæ Civitatis prædictis Syndicis, & Procuratoribus ſingula teſtamenta, relicta, & legata dictis Eccleſiis ſpectantia, & pertinentia notificare, & pandere teneantur*: Quoniam vero in ſexta ejuſdem ſtatuti rubrica ſancitum eſt, ut in Eccleſia S. Mariæ, vulgo dictæ de Miſericordia, certus ac peculiaris cuſtos præficeretur, qui fidelium oblationes

Digitized by Google

ſervaret, eaſque ullo modo diſtraheret, abſque conſenſu Conſulis, atque Priorum Urbis, palam ſtatuti latores fecerunt: *Miniſterium noſtrum circa Sanctuarium in bono diſpoſitum habere coegimus*: Videtur autem primum præcipuum, ac ut ita loquar, habituale protectionis munus penes Urbis Magiſtratum fuiſſe, qui alios deinde inferioris ordinis defenſores ad Eccleſiarum, piorumque locorum tutelam deſignabat, creabatque, partes, viceſque implens Supremi Principis: Quæ ex juribus liberæ Urbis illi obvenerant.

V. Sed, ut unde digreſſi ſumus, revertamur, geſtæ dignitatis amplitudine, atque præſtantia factum putamus, ut hujuſmodi protectiones, atque tutelas Eccleſiarum, aliorumque Sacrorum locorum Chriſtiani Imperatores Viris præſtantiſſimis, pietateque, ac religione ſpectatis demandarent; evaderetque proinde præcipuum Patriciatus officium, quod certis demum adhibitis ceremoniis, rituque, ac pompa longe ſolemni committebatur. Id enim vero perſpicuum eſt ex veteri hiſtoria, nec in aliorum defenſorum electione factum legimus. Sed antequam progrediamur ulterius, formula Patriciatus, qua hujuſmodi Eccleſiarum tutelæ, & Patrocinia Patriciis credebantur, exibenda eſt ex Paulo Forojulienſi *in libro de Geſtis Longobard.*, *ac Sertorio Urſatto de notis Romanor. apud Grævium in Theſaur. Romanar. antiquitatum*, & ex Calvino *in Lexico juris verbo Patriciatus*.

FORMULA PATRICIATUS.

Protoſpatarius veniens ante Imperatorem oſculabatur ſuum humerum, & dicebat: Maxime Imperator adeſt, quem vocaſti: Tunc ſtabat ad ſiniſtram Imperatoris illius Hipparchus, quem nos dicimus Præfectum, & dicebat ei Imperator: Cum Protoſpatario futurum Patricium adducito: Dum autem veniebat Patricius, in primis oſculabatur pedes Imperatoris, deinde genu ad extremum oſcu-

oſculabatur ipſum; tunc oſculabatur omnes Romanos circumſtantes, & dicebant omnes: Bene veniatis. Nobis nimirum laborioſum eſſe videtur conceſſum nobis a Deo miniſterium ſolum procurare: Quocirca te nobis adjutorem facimus, & hunc honorem tibi concedimus, ut Eccleſiis Dei, & Pauperibus legem facias, & inde apud Altiſſimum Judicem rationem reddas. Tunc induebat eum Imperator mantum, & ponebat ei in dextro indice annulum, & dabat ei bombacinum propria manu ſcriptum, ubi taliter continebatur ſcriptum: ESTO PATRICIVS MISERICORS ET IVSTVS: Tunc ponebat ei in caput aureum circulum, & dimittebat.

VI. Hæc formula plura nos docet: Primum ſiquidem fuiſſe hujuſmodi Patriciatum ritu quam ſolemni ab Imperatoribus pro Eccleſiarum, & Pauperum defenſione collatum: atque eo ferme modo, quo in veteri Romanorum Republica Patriciis vidimus incubuiſſe curam Sacrorum, & Plebejorum Clientelam, in Religione Chriſtiana Patriciatus nomine, ac dignitate illos ornatos fuiſſe, qui ad tutelam Eccleſiarum, & inopum eligerentur; ut animadvertit Martinus Magerus *citato cap.5.* Antonius Pagius *in Critic.* Baron. *ad annum DCCXL. num. 6.* de re ipſa hæc habet: *Ea dignitas Patriciatus conferebatur illis, qui ad defenſionem Eccleſiarum, ac Inopum adverſus vim Potentiorum eligebantur.* Hic infert Petrus de Marca *de Concordia lib.1. cap.* 12. Patricios jure quodam extraordinario gaviſos fuiſſe gerendi curam, ac defenſionem Eccleſiarum, ſibi non ſubditarum. Quum enim Principis eſſet jure ordinario tueri Eccleſias in ſua ditione conſtitutas adverſus vim potentiorum, per Patriciatus collationem jus extraordinarium protectionis primoribus inter Cives tribuebat, qui propterea defenſores, & advocati dicebantur, ſi defenſionem, atque tutelam peculiaribus præſtarent Eccleſiis. Admonens propterea Theodorus Studita Irenem Patriciam, ut Virum ſuum dignitate Patri-

Digitized by Google

Patricium ad Monachorum, ac inopum defenſionem exhortaretur, his verbis alloquitur: *Vides Domina bonitate tua beatum a Scriptura prædicari Dominum Patricium, conjugem tibi a Deo datum. Quare omni ſtudio contende, ut illum beatiorem adhuc efficias; hoc eſt, ſi illum commonefacias, horteris, exores, ut Militaris Præfecturæ apicem ex Dei nutu regat, ſicut re ipſa regit: Ut Orphanorum, Viduarumque curam in eorum ærumnas gerat, intactum ſe ab iniquitate conſervet, Monachorum amator ſit, & pauperum*; ut conſtat *ex epiſt.* 175. *ejuſdem apud Sirmundum lib.*2. Nec aliam ob cauſſam, ut reor, excluſus fuit Gelimerius a Patriciatu conſequendo; niſi, quia diſcedere ab hæreſi Ariana noluit; ut liquet ex Procopio Cæſarien. *lib.*2. *de Bello Vandalico cap.*9.

VII. Fallitur autem hac in re vehementer Martinus Magerus *recitato cap.*5., qui nova hac formula Patriciatus deceptus, arbitratus eſt a Patriciatu, inſtituto a Conſtantino Magno duxiſſe originem Advocationem Romanæ Eccleſiæ: Oppugnans enim Andream Knich ita loquitur: *Si ergo prædictus Patriciatus a memorato laudatiſſimo Imperatore originem trahens, ut ex allegatis auctoribus evincitur, non aliud fuerit, quam ipſa Eccleſiæ Romanæ Advocatia, indubitanter concludendum eſt ab eodem Imperatore eamdem clientelam Eccleſiarum introductam fuiſſe*. Erraverat ſane Andreas Knich, ut prius ad hunc accedamus; perperam Carolo Magno tribuens originem Advocationis Eccleſiaſticæ, moriſque, quo Epiſcopi, & Abbates exemplo Romani Pontificis peterent a Principibus defenſorem, & advocatum. Ejus aſſerti fallaciam ſatis, ſuperque refellunt argumenta, quæ idem Magerus enunciat. At ex Patriciatus dignitate a Conſtantino Magno inſtituta auctor ipſe perperam arguit Advocationis Romanæ Eccleſiæ antiquiorem originem. Cujus ſententiæ, quamvis duces habuerit, laudetque Matthæum Boetium *inter Arum. diſcut. accadem.*30. *vol.*1. *de nat. jur. Majeſt. cap.*3. *concluſ.* 40.,

Mel-

Melchiorrem Goldaſt *in rationali ad Bullam Adriani I.* Lodulphum de Oenbengar *de origin. Regni, & Imper. Roman. cap.*13. quos ſubinde ſine ullo delectu ſectatus eſt Jacobus Pignatellus omnium fere verborum Mageri importunus deſcriptor *conſultat.* 200. *tom.*10. Nullus tamen illorum, nec ipſe Magerus animadvertit, quam longe diſtet, differatque Patriciatus Caroli Magni a Pontifice Maximo collatus, in argumentum ſuſceptæ ab eo advocationis Romanæ Eccleſiæ, a Patriciatu Conſtantini Magni in purum honoris titulum excogitato. Enimvero liquido conſtat, longe poſt Conſtantini obitum in Conciliis Milevitanis, ut ſupra notavimus, ortum duxiſſe tutelam Eccleſiarum. Quod nec diſſimulat Draco *lib.2.cap.6.*, quamquam cum Andrea Knich ſentire videatur. Patrocinium autem Romanæ Eccleſiæ licet diu Imperatores geſſerint, hodieque feliciter, ac religioſiſſime gerant; Patriciatus nihilominus, honorem, ac nomen adſciviſſe non liquet, niſi temporibus Galliæ Regum; quorum Primus Pipinus a Stephano III. Pontifice Maximo Romam adcerſitus, ut adverſus Longobardorum vim Romanam tueretur Eccleſiam, eo fuit titulo inſignitus. Quod late libro ſequenti ediſſeremus.

VIII. Illud tamen præcipua videtur animadverſione dignum: Romanam Eccleſiam ab antiquiſſimo tempore, ſuos e Cleri ordine habuiſſe defenſores, nuſquam tamen Patricios appellatos: quod hactenus viderim: Eos Pontifices Maximi deligebant; memoranturque jam tum quarto ineunte Chriſti ſæculo in actis S. Caji Papæ, & Martyris a Cæſare Becillo notis illuſtratis; ubi agitur de S. Sebaſtiano inclyto Chriſti Martyre; quem licet extra ordinem Cleri, Romana Eccleſia conſtituerat defenſorem; eamque primam eſſe Defenſoris Eccleſiæ memoriam, quæ in antiquis monumentis occurrat, notavit Baronius: tametſi non eo primum tempore id munus inſtitutum obſervat Becillus. Septem in Romana Eccleſia defenſores erant antiquitus

quitus lecti ex Ordine Subdiaconorum; ut quemadmodum ſeptem in Urbe erant Notarii, & Subdiaconi regionarii a S. Clemente Papa jam pridem conſtituti, ut Martyrum geſta deſcriberent; ita ſeptem eſſent ex ejuſdem Pontificis inſtitutione Regionarii defenſores, qui Romanæ Eccleſiæ & Pauperum curarent commoda. Regionariorum tamen numero non accenſebantur, niſi prius *oſtenſa ſuæ experientiæ utilitate placuerint*: ut loquitur S. Gregorius Magnus *in epiſt. ad Bonifacium*, quam paulo poſt pro re nata recitabimus. Unde *in epiſt. 25. ejuſdem Sancti Gregorii ad Vicomalum libro* 4. legitur: *Eccleſiaſticæ utilitatis intuitu id in noſtro ſedit arbitrio, ut ſi nulli conditioni, vel corpori teneris obnoxius, nec fueris Clericus alterius Civitatis, aut in nullo tibi Canonum obviant Statuta, officium Eccleſiæ defenſorum accipias, ut quidquid pro pauperum commodis tibi a nobis injunctum fuerit, incorrupte, atque vivaciter exequaris. Uſurus hoc privilegio, quod in te, habita deliberatione contulimus, ut omnibus, quæ tibi a nobis fuerint injuncta, complendis operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis ſub Dei noſtri judicio rationem.* Baronium de hac ipſa formula videbis *tom. 8. ad annum DXCVIII.* & Altaſerram *in notis, & obſervationibus ad epiſt. 17. lib. 7. S. Gregorii Magni, inſcriptam Bonifacio Primo Defenſori.* Regionariorum Defenſorum munus in Romana Eccleſia habebatur longe præcipuum; ſtatim vero, ac illud inirent, potiebantur jure ſedendi in conventu Clericorum abſente Pontifice Maximo, quod ſane illi carebant, qui extra ſeptem Regionariorum defenſorum numerum cenſebantur. Multiplices enim vero ipſorum partes erant, atque graviſſimæ. Summorum etenim Pontificum adeſſe debebant obſequiis, eorumdem mandata exſequi; Eccleſias tueri; Pauperum curam gerere: extra Urbem vero poſiti cauſſas Clericorum cognoſcere, ſiquas adverſus Epiſcopos ſuos haberent; ac Patrimonium curare Romanæ Eccleſiæ: quod poſitum erat in Italia,

Sici-

Sicilia, aliſque Provinciis: ut obſervat Altaſerra in *notis ad epiſt.17. lib.7. S. Gregorii*. Sed Sanctum Gregorium Magnum in hac ipſa epiſtola, quæ ſcripta eſt ad Bonifacium Primum Defenſorem præſtat audire loquentem, ut Defenſorum jura prærogativa, & miniſteria magis magiſque tanto Doctore illuſtrentur: *Quia igitur Defenſoris officium in cauſis Eccleſiæ, & obſequiis noſcitur laborare Pontificum, hac eos conceſſa perpeximus compenſationis prærogativa gaudere: conſtituentes, ſicut in ſchola Notariorum, atque Subdiaconorum per indultam longe retro Pontificum largitatem ſunt regionarii conſtituti; ita quoque in defenſoribus ſeptem, qui oſtenſa ſuæ experientiæ utilitate placuerint, honore regionario decorarentur, quorum quoslibet per abſentiam Pontificis, & ſedendi in Conventu Clericorum habere licentiam, & honores ſeu privilegia in omnibus ſtatuimus obtinere. Præterea ſi quis ad Prioris locum veniens in alia fortaſſe Provincia propter utilitatem propriam degit, neceſſe eſt primatus loco per omnia curare, ut ille Prior defenſorum omnium poſſit exiſtere, qui & ante Prioratus locum in Eccleſiaſticis utilitatibus, & obſequiis Pontificum non deſinit per ſedulam præſentiam permanere. Hæc itaque Conſtitutionis noſtræ Decreta, quæ pro Defenſorum ſunt privilegiis, & ordinatione diſpoſita perpetua ſtabilitate, & ſine aliqua conſtituimus refragatione ſervari, ſive quæ ſcripto decrevimus, ſeu quæ in eis in noſtra præſentia videtur eſſe diſpoſita.*

IX. Memoriæ quoque proditum eſt, Romanam Eccleſiam ſuos antiquitus habuiſſe Advocatos. S. Petrus Damianus, Legatus Apoſtolicæ Sedis miſſus Mediolanum, ibidem longa diſceptatione jura Romani Pontificis defendit: dubiis propoſitis inter Advocatum Romanæ Eccleſiæ, & Regium: Hæc diſceptatio, quia Auctorem habuit ipſum Cardinalem Sanctiſſimum, atque doctiſſimum, merito in *tom.3. ejus operum* editionis Lugduni reperitur;

legiturque in *tom.12. Conciliorum editionis Venetæ curatæ a Coleto*: nomenque item obtinet & titulum: *Diſceptationis Synodalis*. Hiſtoriam hujus Legationis Apoſtolicæ deſcribit Joannes Diſcipulus S.Petri Damiani in ejus vita, edita a Conſtantino Cajetano ante *tom.1. ejus operum* memoratæ editionis. Cæſar Becillus in notis ad acta S.Caji Papæ putat adhuc in Romana Eccleſia perſeverare munus Defenſorum in iis, qui nomen, & honorem Advocatorum Conſiſtorialium gerunt. Id ipſum Joſeph Hortenſius, & Jacobus Gregorius Fratres de Rubeis ſenſere, præcipua Romæ vulgata diſſertatione, cui titulus, *Defenſor redivivus, ſeu de Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatorum origine, & munere*: an recte, ac vere, alii judicent; multorum certe doctrina, & eruditione præſtantium Virorum alia longe ſententia eſt, nec momenta reticent, quibus memoratorum Scriptorum aſſertum oppugnare nituntur, atque convellere.

X. Verum enim vero, tametſi proprios e Cleri ordine lectos, Defenſores haberet Romana Eccleſia, ſæpenumero Pontifices Maximi curam, & adminiſtrationem ejus Patrimonii in Occidente delegabant Patriciis, ut liquet ex S. Gregorii Magni *epiſt.6. & 33. lib.2.* ad Dynamium Galliarum Patricium, *lib. 1. epiſt. 6. & lib. 12. epiſt.17.* ad Aſclepiodotum item Gallorum Patricium. Erant hi nimirum extra Cleri ordinem homines ſumma poteſtate fungentes, ac res publicas in Provinciis pertractantes; quibus præcipua ærarii cura erat credita, ut notat Gonzalez ad *lib.3. Decretalium tit.24. de donat.cap.1. In præſenti*, ait, *Aſclepiodoto Patricio Gallorum commendat Gregorius Patrimonium Eccleſiæ Romanæ, quod erat in Gallia, quia hi Patricii præcipue ærarium tractabant*: His forte moti cauſſis Romani Pontifices ſatius duxerunt ea in re illorum uti opera, quam Clericorum. Tantis enim iſti, quum res exigerent, neutiquam poterant uti præſidiis, quanta illi ſemper ratione lati muneris habebant,

Digitized by Google

bant, & ordinaria adhibebant auctoritate. Hinc aliis quoque, quamvis Patricii non eſſent, idem munus commiſſum legimus, ut nempe, qui perampla, veluti Provinciarum Præſides, fungebantur auctoritate, tutius impenderent curam rebus Eccleſiæ Romanæ, ut liquet ex paullo ante recitata S. Gregorii epiſtola ſexta libro altero, quam his verbis illuſtrat Antonius Dadinus Altaſerra: *Dynamius Patricius, ad quem ſcripta eſt hæc epiſtola, ex commendatione curabat Patrimonium Eccleſiæ Romanæ, quod erat in Gallia, ut aperte ſcriptum eſt lib.5. epiſt.6. ſed quoniam Dynamius Patricius, qui ex noſtra commendatione rebus ipſis ſollicitudinem impendebat; eas modo gubernare, ut cognovimus non poteſt; &c. & ideo Gregorius hic ſcribit Dynamio ſe per Hilarium accepiſſe quadrigentos ſolidos Gallicanos, de reddita Patrimonii Eccleſiæ quod erat in Gallia*.

XI. Præterea, ut jam ad inſtitutum revertar meum; ex recenſita Patriciatus formula diſcimus: quod ad munus Defenſorum Eccleſiarum Patricii ab Imperatoribus adſciſcebantur, ut ipſis in ejuſdem piæ curæ genere adjumento eſſet, ac veluti ſubſidiariam ſollicitudinem gererent. Profecto ſtudia quam præcipua in tuendis Eccleſiis Auguſtos Principes præſetuliſſe, oſtendunt laudati a nobis ſæpenumero Magerus *cap.* 5. Draco *lib.*2. *cap.* 5. Quamobrem Juſtinianus in *leg.*1. *Cod. de offic. Præfect. Afric. Servum Eccleſiæ* ſe nuncupat: & in fine, non minorem illorum, qui Sanctiſſimis Eccleſiis præſunt, quam animæ ſuæ curam ſibi eſſe profitetur. Neque id gravi ratione, ac momento caret. Peculiaris ſiquidem, atque potiſſima Summis Principibus inhæret Romanæ Eccleſiæ advocatio ut ex *cap. venerabilem* probat *citato loco Magerus*. Porro quum Patricii præcipui eſſent ad Rempublicam adminiſtrandam aſſumti adjutores; eorum in hoc item cauſſæ genere quam potiſſime illi utebantur opera. Quoties de cauſſa ad Eccleſiam, Sacros Homines, vel Religio-

nem ſpectante ageretur, Patricios item Imperatores adhibere conſueverunt, quandoque ſane jure, aliquando autem non ſine injuria. Sic Leo Auguſtus Phaſianes Eccleſias, quas Saraceni invaſerant, vindicaturus, Lalaconem Patricium cum Prætoribus Coloniæ, Meſopotamiæ Chaldiæque miſit ex Conſtantino Porphyrogenito *de adminiſtrat. imper. e Græco Latine reddito* apud Anſelmum Bandurum *par.2.tom.1.cap.45.Imperii Orientalis*.In Miſcellæ *lib.22.* legimus, adverſus Conſtantinum pſeudo-Patriarcham jam pridem coram omni populo, & pluribus Epiſcopis a Niceta legitimo Patriarcha anathemate percuſſum, miſſos ab Imperatore Patricios, ut ipſi agnoſcerent, quid ſentiret idem Conſtantinus de Fide, & Concilio juſſu ſuo, coacto. Memoratur etiam in *eadem hiſtoria lib.22.* quod quum Plato Abbas ſe abſcidiſſet a Communione Tharaſii Patriarchæ, miſit Imperator Bardanium Patricium, ut eum in Urbem introduceret, & inde in clauſtra detruderet. Theodora item Auguſta, quum egre ferret Silverium Romanum Pontificem, Anthimo Conſtantinopolitano Patriarchæ ob Euthichianam hæreſim ab Agapito deceſſore Pontifice, Epiſcopatu depoſito, ſedi ſuæ reſtitutionem negare; mandavit Beliſario Patricio, ut Roma depulſum in Inſulam Pontiam exſulem deportaret. Quod inique, ac impie factum narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in *eodem Silverio, atque Vigilio*.

XII. Patricios itidem ab Imperatoribus delectos legimus, ut Epiſcoporum Conventibus ſuo nomine intereſſent. In Synodum Chalcedonenſem adverſus Eutichetis, & Dioſcori coactam hæreſim,unam in Chriſto eſſe naturam docentem, ab Imperatore Theodoſio legatus eſt Florentius Patricius. Mandatum Imperatoris coram Patribus a Silentiario lectum recitat Baron. ad *an. Chriſti CDXLVI. tom.6.* Idemque a me etiam relatum eſt in hiſtoria memoratæ Synodi inſerta inter Commentarios ad Sacroſancta Generalia, & Œcumenica Concilia hoc anno vulgatos opera,

opera, & ſtudio elucubratiſſimo Clariſſ. Viri Joſephi Catalani, qui explicandis Sacris Canonibus lectorum juvenum celebrem academiam inſtituit, quæ die Martis cujuslibet hebdomadæ in ædibus Sancti Hieronymi Caritatis de Urbe frequenti eruditorum Virorum, & Romanæ Curiæ Præſulum fit concurſu. Hujuſmodi Imperatoris mandatum, quum ſit adnotatione digniſſimum abſre non erit lectorum oculis hic rurſus exhibere: *Quoniam nos de pace cogitamus, ac de Sanctis Dei Eccleſiis, & pro Catholica Fide, & cuſtodiri volumus rectam Deo inſpirante prædicatam Fidem a Sanctis PP. qui in Nicæna congregati ſunt, trecentis decem, & octo, & ab his, qui Epheſi interfuerunt damnationi Neſtorii: Hoc ergo volumus, ne ſcandalum in prædictam Catholicam Fidem immittatur. Et quoniam ſcimus magnificentiſſimum Patricium Florentium eſſe fidelem, & teſtimoniis probatum in recta Fide, volumus ipſum intereſſe audientiæ Synodali; quoniam ſermo eſt de Fide*: Porro hic Patricius, poſtquam Patribus aſſentientibus ingreſſus eſt Sacrum Conſeſſum; eidem dicendi poteſtate facta, Euthychetem blaſphemias proferentem, quid de Chriſti natura ſentiret interrogavit. Quem, quum pertinacem in hæreſi comperiſſet, univerſo plaudente PP. cœtu damnavit. Pergit autem recitato loco Baronius: *Cum rurſus urgeret etiam Florentius Patricius dicens: confiteris duas naturas poſt adunationem? dic. ſi non dixeris, damnaberis; cumque ſe haud ſponte id profeſſurum ſignificaret, eum vero rurſus Florentius Patricius interpellaret; ad poſtremum illud edixit: qui non dicit ex duabus naturis & duas naturas non credit recte. Exurgens univerſa Synodus exclamavit: Quæ ex neceſſitate eſt, Fides non eſt, & ſubſecutæ ſunt acclamationes in laudem Imperatoris*: In Conſtantinopol. Conc. IV. celebrato anno DCCCLXIX. *actione* 7. apud Arduinum legitur: *Præſto autem ſimul extitere Sacro Senatu videlicet Theodoro magnificentiſſimo Proconſule, & Patricio ac Magiſtro: Leone magnificentiſſimo*

Pro-

Digitized by Google

Proconſule, *ac Patricio* : *Hemerio magnificentiſſimo Proconſule*, *ac Patricio Leone magnificentiſſimo Patricio*. Ad Vigilium quoque Pontificem Maximum honorifica legatione functos fuiſſe legimus tres magnificentiſſimos Patricios nomine Synodi a Juſtiniano Imperatore coactæ in celebri cauſſa trium capitulorum : Id unum impiis artibus conante Theodoro Cæſareæ in Cappadocia antiſtite, ut Summus Pontifex pſeudo illud Concilium comprobaret : quod ille facere renuebat. Qua de re videndus Baronius ad annum DLIII. & Cabaſſutium in 2. *Conſtantinopol. Concilio*. Hoc Concilium injuſſu Romani Pontificis habitum, alii penitus prætermittunt; alii inter Œcumenica minime enumerant.

XIII. At illud quidem præ ceteris peculiari animadverſione digniſſimum eſt : quod poſt ipſos Epiſcopos quandoque etiam Patricii Sacris Conciliis ſubſcripſerint. Certe Aſclepiodotum Virum inluſtrem, atque Patricium, qui in Valentino Concilio ſecundo anno DLXXXIV. interfuit, eidem ſubſcripſiſſe, narrat Franciſcus Lanovius de Sanctis Franciæ Cancellariis *Syntag. hiſtor. in ſchediaſm. de Cancel. nomine offic. & dignitate*. Liberius item Patricius, qui floruit ſexto Eccleſiæ ſeculo dum Galliarum gereret Præfecturam, nobilem exſtruxit Baſilicam, ad cujus dedicationem cum XIV. Epiſcopos ac ſeptem inluſtres viros invitaſſet, occaſionem dedit celebrationi ſecundi Auriſicani Concilii : ut Patres ipſi in ejus præfatione teſtantur : *Cum*, inquiunt, *ad dedicationem Baſilicæ*, *quam Illuſtriſſimus Præfectus & Patricius Filius noſter Liberius in Auriſicana Civitate fideliſſima devotione conſtruxit*, *Deo propitiante*, *& ipſo invitante conveniſſemus*, *& de rebus*, *quæ ad Eccleſiaſticam Regulam pertinerent*, *inter nos ſpiritalis eſſet oborta collatio*. Ipſi vero Synodo poſt Epiſcopos ante Sæculares ita Patricius ipſe ſubſcribit. *Petrus Marcellinus Felix Liberius V.C. & Inluſtris Præfectus Galliarum atque Patricius conſentiens ſubſcripſi*.

Qua-

Quatuor hæc Liberii nomina, ex Codicis Vaticani fide, Baronius, & ex Lugdunenſibus, & Rhemenſibus libris M.S. reſtituit Sirmundus. De ipſo Patricio agit S. Gregorius Magnus *lib.2. Dialogorum*, *in Vita S. Benedicti cap.35.*; Ad eum exſtant Ennodii Ticinenſis duæ epiſtolæ, itemque Athalarici Gothorum Regis apud Caſſiodorum *lib.8. epiſtola* 15. Rex ipſe *lib. 2. epiſt.* 15. Liberium ipſum plurimum commendat, *& glorioſi, ac magnifici Patris meritis* Venantio ejus filio comitivam domeſticorum dignitatem confert.

XIV. Hujuſmodi Patriciorum ad Concilia acceſſus, qui non alio nomine, ut reor, ab Orthodoxis Principibus curatus eſt, quam, ut Defenſorum, Patronorumque Eccleſiarum partes explerent, & exſequerentur fucum fecit Meurſio in Gloſſario ſuo verbo Κατι Λιων, ubi commentus eſt: Patricios Vicarios fuiſſe Imperatorum in rebus Sacris, & Eccleſiaſticis: eiſque proinde uti ſupremum caput Imperatorem præfuiſſe. Abſurdæ ſententiæ ſuæ præſidium Meurſius adſciſcit ex diſputatione Gregentii, quæ extat in *tom.4. Biblioth. PP.* ubi legitur: Herbam Judæum Sacris Baptiſmi undis ablutum creatum fuiſſe a Rege Hemeritarum υπεκκλησιωνα, ſeu *Hyppecleſionem*, quem putat Romanos Patricium, & Canicleonem appellare; ac ille plura philoſophando explicat Vicarium Regis, tanquam ſupremi in rebus Eccleſiaſticis capitis. At vero putidum erratum merito refellit Jacobus Gretſerus *lib.3. ad Georgium Codinum Curopalatum cap.19. in addendis: Obſerva* inquit, *tertio falſum eſſe, quod Meurſius dixit: Patricium aliquam tenuiſſe vicem Imperatoris in hoc, ut ita loquar, Capitaneatu Eccleſiæ; ſed, ut fictitium eſt, ullum Imperatorem Catholicum pro capite Eccleſiæ ſeſe indicaſſe, ita fictitius eſt, iſte Patricius Vicarius Imperatoris in rebus Eccleſiaſticis*: & cap.17. *Alienius a vero eſt, quod ait idem Gloſſarii collector Imperatorem rebus Eccleſiaſticis tanquam ſupremum caput præfuiſſe, & in hac functione*

ẞione Patricium vices ejus geſſiſſe. Meurſius hic nimis aperte anglizat; ut enim Angli Regem ſuum, veluti ſupremum Eccleſiæ caput venerantur, ita & Batavi ſuum Magiſtratum ad idem culmen evehere incipiunt : Meurſium ob rem ipſam reprehendit & Julius Cæſar Bulengerius de *Imper. & Imper. Roman. cap.* 1. *lib.* 3.

XV. Sed nec Gregentius ea ſomnia ſcribit, quæ Meurſius ipſe comminiſcitur: neque ex eo, quod Imperator Judæum Hyppeclesionem fecit; ſuum in rebus Eccleſiaſticis Vicarium conſtituit, ut recte monet laudatus Gretſerus. Enim vero Hyppeclesion, quis fuerit, licet ſe ſatis capere non poſſe profiteatur Bulengerus *lib.* 3. *de Imperat. & Imper. Roman. cap.* 1. illos tamen hallucinari contendit, qui ex eo Imperatorem, aut Eccleſiæ caput fuiſſe, aut Patricium ipſius vicem geſſiſſe aſſerunt. Fuiſſe vero Caniclei Præfectum, quem alio nomine Canicleon vocant, idem Gretſerus obſervat: additque adverſus Meurſium: *Quis autem unquam audivit Præfectum Caniclei, aut Patricium fuiſſe Vicarium Supremi capitis in rebus Eccleſiaſticis hoc eſt Imperatoris, licet enim Græci poſteriores, & ſequiores, poſtquam a viſibili eoque vero capite Eccleſiæ deſciverunt nunquam Patricium, aut Caniclei Præſidem Imperatori in hoc, ut ita dicam Capitaneatu Socium attribuerunt*: Quod cenſet quoque citato loco Julius Cæſar Bulengerus. Porro vox illa Canicleon, qua in ſua diſputatione Gregentius Patricium putat intelligendum, ſignificat in imperio dignitatem; hoc eſt Præfecturam Caniclei; nec propterea quemcumque Patricium Canicleon indicat. Sed præſtat differentem audire Gretſerum, qui *libro* 3. *paullo ante citato cap.* 19. rem ipſam novis momentis ſic illuſtrat: *Obſerva non omnem Patricium fuiſſe Canicleonem, ſicut hæc diſputatio Gregentii affirmare videtur, quia unus Canicleo Præfectus erat; multi autem Patricii. Contingere quidem poterat, ut Canicleo Præfectus Patricius eſſet, ſed id non erat neceſſarium* : Præfectus Canicleo conſocer

erat

Digitized by Google

erat Imperatoris, & equo, aut vehiculo intra aulam Imperatoriam vehebatur; quod alteri nemini erat conceſſum. Magna erat, ſummaque dignitas, cujus apud Græcos hiſtoricos mentio paſſim occurrit; adeout ſi quis ea decoratus exſiſteret, ipſam poſſet Imperatoris filiam in ſponſam impetrare, iſtiuſque filiæ indecorum non eſſet in matrimonium collocari cum filio Præfecti Canicleo; ut tradit Georgius Codinus Curopalata *de Officiis &c. in cap. de Præfecto Caniclei*.

De Patriciorum Eccleſiarum Defenſorum Munere, & Officio.

CAPUT VII.

SYNOPSIS.

I. *Defenſorum, & Advocatorum Eccleſiarum munus, & Officium.* II. *Vexillum Advocatis Eccleſiarum dabatur, & annua aſſignabantur ſtipendia.* III. *Literæ, quibus Reges confirmabant Eccleſiis, & Monaſteriis bona ac jura, Patriciis directæ.* IV. *Donationes Eccleſiis, & Monaſteriis a Chriſtifidelibus coram Advocato factæ. Ejus conſenſus in alienatione rei pertinentis ad Eccleſiam.* V. *Patricii Summis Pontificibus ſupplicabant, ut privilegia impetrarent Eccleſiis: Eorum item preces pro Epiſcoporum conſecratione obtinenda.* VI. *Beato Petro Apoſtolo a Patriciis oblata munera in Lateranenſis Baſilicæ Epiſcopio ſervabantur.* VII. *Ob Advocatorum culpas veteri diſciplina labente, Eccleſiæ, & Monaſteria a ſuis Rectoribus gubernari, & defendi cœperunt.* VIII. *Eccleſiis Paſtore viduatis Interventores præficiebantur, a quibus Commendæ duxerunt originem.* IX. *Commendatarii Perpetui veris Prælatis ſuffecti.* X. *Poſſunt etiam Pontificalia obire munera, contra quam ſentit Tamburinus.*

I. Quoniam ſuperiori Capite ad Inſtituti legem, orationem contraximus, in hoc, accuratiori examine de Patriciis, Eccleſiarum Defenſoribus, & Advocatis inſtituendus eſt ſermo, illuſtrandumque aliis hiſtoriæ monumentis eorumdem munus, & officium: Quam præcipuæ Eccleſiarum Defenſoribus, & Advocatis erant partes ſacrorum locorum res curare, tueri, ſedulo impetitas jure defendere, uſurpatas denique vindicare, ut docet Altaſerra de Ducibus, & Comitibus *cap. 6.* quin imo, ut animadvertit Thomaſinus *de vet. & nova Eccleſiaſt. diſciplin. part. 3. cap. 55. lib. 2. Muneris id erat Advocatorum, ut inimicos amolirentur Epiſcoporum, Abbatum, & Abbatiſſarum*: Enim vero, quum Epiſcopatus, & Monaſteria ex liberalitate Principum plerumque ampla reciperent territoria, cum oppidis, arcibus, Caſtris, Pagis, omnibuſque juribus, & privilegiis, quemadmodum notant Lupoldus de Babench *de Zelo Cathol. Fidei vet. Princip. German. cap. 9. & alibi*: *& Gaſpar Bruſch. in Chronolog. German. Monaſter.* Epiſcopi, Abbates, & Monachi, ne ob id ſecularibus ſeſe negociis immiſcerent, omiſſis interim ſpiritualibus contra jus ſacrum *in Can. Clerici 15., & Can. ſeq. de Vita, & honeſt. Clericorum*; neceſſe erat, ut ea curanda, & adminiſtranda Laicis traderent Defenſoribus, & Advocatis. Martinus Cruſ. *annal. Suevi. lib. 9. part. 1. cap. 1.* Chriſtoph. Lehman. *in Chron. ſpir. lib. 2. cap. 36.* & Joann. Jacob. Draco *de origin. & jure Patric. lib. 2. cap. 6. num. 19.* Quapropter, ut illi ſuo munere probe, & incorrupte fungerentur in Concilio Moguntino anno DCCCXIII. conſtitutum eſt, ut ſeligerentur Defenſores juſtitiam diligentes, Boni, non cupidi, non perjuri, neque falſitatem amantes, quod refert & Thomaſinus recitato loco. Mos etiam ille, & quidem præcipuus diu ſtetit in Galliæ Eccleſiis, & Monaſteriis, ut Abbates, qui eis præficerentur, ſumerent de manu Advocati Baculum paſtorale; eoque ab Advocato non accepto quis jure

jure dici nequibat, in locum Abbatis præmortui ſubſtitutus, ut refert Mabillonius de re diplomatica *lib.6. in notitia de libertate Baculi Paſtoralis in Cœnobio S. Michaelis ad Moſam*. *Igitur*, inquit, *in hac Eccleſia, ſicut, & in ceteris, in quibus ſecularis dignitas ſuam exercere nititur poteſtatem, mos antiquus obtinuerat, ut quoties Abbas moreretur, alter in loco illius, niſi baculum de manu Advocati Eccleſiæ ſuſciperet, nullatenus ſubſtitueretur*.

II. Verum enim vero quoniam idipſum Eccleſiis impenſum adminiſtrationis officium, aſſiduas fere moleſtias, laboreſque ferebat; ne ſua eſſet mercede vacuum, quandoque certa quotannis ſtipendia aſſignabantur, ut videre licet ex tabulis Henrici IV. de Advocato Monaſterii Hirſaugienſis apud Trithemium *in Chronico ad annum Chriſti MLXIV.*, quod notavit, & Altaſerra *de Ducibus, & Comitibus cap. 6.* Imperatoris hæc verba ſunt: *Nullum ſervitium, aliud jus, aut beneficium, ſibi pro hoc concedi recognoſcat, niſi tertium bannum, & conſuetudinariam juſtitiam, & legem, quam ceteri Advocati in aliis liberis Monaſteriis habent ſupra ſures, proterviam, & cenſuales, & cetera talia, & in illis tribus placitorum diebus, in unoquoque unum mulctum de frumento, & unum friſcingum, & unum ſiclum de vino; & cetera ad hæc pertinentia.* Vexillum proinde, proprium ejus Monaſterii, cujus quis defenſor erat conſtitutus tribuebatur, deferendum in bellis, quæ pro bonorum, aut privilegiorum defenſione advocati ſuſcipere cogebantur: Quod ex Sacri Præſulis manibus certis precibus ab eo recitatis ex Sancti Tutelaris monumento, cui appenſum erat, recipiebant, ut notat Pagius *in Critica ad annales Cardinalis Baronii ad annum Chriſti DCCXL. num.*11. *tom.*3. Hinc Andegavenſes Comites Advocati Monaſterii S. Martini Turonenſis vexillum Sancti Martini in bellis, ejus cauſſa ſuſceptis deferre ſolebant; ut liquet ex hiſtoria Comitum Andegavenſium. Et Anonymus, qui vitam S. Joannis Epiſcopi Eboracenſis

ſis ſcripſit memoriæ prodit : vexillum S.Joannis ab Athelſtano Anglorum Rege ſumtum fuiſſe, quo tempore in Scotos bellum ſuſcepit; debellavitque. Vexillum autem, quod *Auriſlamma* vocant , Clodoveo Regi e cælo miſſum fuiſſe fertur : Id erat vexillum S. Dionyſii Francorum Tutelaris ignei ſplendoris e panno rubro ſerico , auratæ haſtæ appenſo . Cœnobitæ pacis tempore hoc in æde Martyris aſſervabant , ad ſtatas , ſolemneſque pro Regis , & Regni felicitate ſupplicationes obeundas . Belli autem neceſsitate ingruente , Advocato ſuo porrigebant , qui illud in præliis circumferret . Robertus Hugonis Capeti filius , primum in bellis Auriflamma uſus eſt , atque hujus delationis imitatores habuit multos . Donec Philippus Pulcher in prælio ejus jacturam fecit , ſi Jacobo Meyero fides *in Annal. Flandr. lib.* 10. eſt habenda . Plene Chiffetius *in Lumin. Sal. IV. ſac.* 2. de flammulo hoc diſſerit , ſed latiſsime Cangius *diſſertat.* 18. ad Joinvillam , & Auguſtinus Gallandus Pariſienſis quondam Advocatus quodam in tractatu ſingulari *de Auriſlamma* .

III. Quum petitam ab Abbatibus , Epiſcopis , aliiſque Eccleſiarum Præſidibus , bonorum , juriumque confirmationem , Regeſque , Principeſque concederent , diplomata Patriciis mittebant . Ex quo illud potiſsimum evincitur : Patriciorum exſtitiſſe munus Eccleſiarum bona , & jura curare , ſervare, defendere : tum etiam particularibus Eccleſiis Advocatos fuiſſe præpoſitos , ac Defenſores . Sic in Symmachi Papæ vita , in nupera Anaſtaſii Bibliothecarii editione Romana ex parte tantum in lucem edita , nuper vero ex antiquis membranis , integre publici juris facta , opera , & ſtudio Viri Clariſsimi Joſephi Blanchini Congregationis Oratorii Romani Presbyteri *pagina* 107. legitur : *Ad hanc inſinuationem Regis animus delinitus Patricio F.... præcepta dirigit , admonens , ut omnes Eccleſiæ tituli Symmacho reformentur ; & unum Romæ pateretur eſſe Pontificem : quod ubi Laurentius comperit Urbem noluit*

luit diuturna colluctatione vexari, ac ſua ſponte in prædiis memorati Patricii Feſti ſine dilatione conceſſit, ibique ſub ingenti abſentia terminum vitæ ſortitus eſt. Huc ſpectat, & placitum Theoderici filii Clodovei Regis de Chrambino Epiſcopo Ebredunenſi in Synodo publica depoſito; & facultate eidem conceſſa res ſuas poſt degradationem retinendi, quod proſtat apud Mabillon. *de re diplomatica lib.6. num.*10., quod ſingulare, & chartam inſignem vocat. Legitur enim directum duobus Patriciis hoc titulo: *Theudericus Rex Francorum Viris Inluſtrebus Audoberto, & Roccon Patriciis, omnebus Ducis, ſeu Comitebus, vel actorebus publicis.* Sed exſtat hujus rei vetus formula apud Marculphum Monachum antiquum Scriptorem Gallum *lib.*3. *cap.*3. Miror vero non parum Hieronymum Bignonium: qui doctiſſimis ceteroquin notis ejus opus illuſtravit, ne verbum quidem de Eccleſiarum advocatione a Patriciis exercita dixiſſe: quum tamen id munus illorum eſſet maxime proprium; nec certe alia de cauſſa Patricio eam formulam dirigi facile quiſque legendo cognoſcet. Porro ipſamet formula his verbis eſt concepta: ILLE REX ILLI PATRICIO: *Rectum eſſe cenſemus, ut petitiones Sacerdotum, quæ ad profectum pertinent locorum ſanctorum, ad effectum, Chriſto Præſide, perducamus. Igitur Venerabilis Vir ille Sancti Monaſterii Abbas gloriæ Regni noſtri petiit, ut dum ipſum Sanctum Monaſterium de conlatione Parentum noſtrorum Deo adjuvante, videtur eſſe conſtructum, nos omne corpus facultatis ejus, tam quod Anteceſſores Abbates ibidem laboraverunt, vel ille Domnus Abbas, qui ibidem fuiſſe dignoſcitur, de re Monaſterii ibidem viſus eſt augmentaſſe, aut comparaſſe, quod ab ipſo ſancto loco, moderno tempore poſſidetur, per noſtrum deberemus confirmare præceptum. Quod nos pro divino reſpectu, vel mercedis noſtræ augmentum præſtitiſſe veſtra non dubitet magnitudo*: In aliis autem diplomatibus, quibus Reges petitam ab Eccleſiarum Præſidibus confirmabant bo-

norum

norum libertatem, cernitur etiam aliquando ſubſcriptio Patricii, quemadmodum videre licet in Diplomate Clodovei Junioris, quo Monaſterii Sancti Dionyſii libertatem confirmat apud Mabillonium *de re diplomat. lib. 6. num.* 7. in quo: *Auderdus Vir Inluſt. atque Patricius ſubſcrip.* occurrit.

IV. Ea vero de cauſſa hujuſmodi confirmationum diplomata (quorum typum generalem formula deſcripta deſignat) Patricio uti Advocato, & Defenſori ejus ſacri loci, cui erat præfectus, inſcribebatur; Quoniam donationum, quæ a Chriſtifidelibus Cœnobiis, vel Eccleſiis fiebat, penes Advocatum erat acceptio. Ejus rei longe plura Eccleſiaſtica hiſtoria nobis exempla ſuppeditat. Recitato paullo ante loco narrat Altaſerra, Conradum Imperatorem, quidquid Regii Fiſci habebat, Eccleſiæ Sancti Galli tradidiſſe, accipiente Advocato: *Ille*, inquit, *vero quidquid inibi Regii Fiſci erat, totum in manum Advocati ſupra aram ejus, ſcilicet S. Galli tradiderat, & ſigillo ſuo roboraverat.* Quando aliqua pro tuendis Eccleſiæ juribus ſuſcipienda erat diſceptatio, antea coram Advocato Eccleſiæ, convocato Monachorum, vel Canonicorum conventu, ipſoque etiam præſente Præſule res proponebatur. Neque id tantum priſcis temporibus, ex veteri diſciplina, verum etiam poſteriore ævo factum conſtat. Egregium hac in parte monumentum nobis ſuppeditat Neritina Eccleſia: in cujus Tabulario publicum exſtat *Inſtrumentum* a Capitulo ejuſdem Eccleſiæ, quod ex Canonicis ſecularibus, & Monachis Ordinis Sancti Benedicti conſtabat, magna celebritate confectum die VIII. menſis Aprilis anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo: in quo præter cetera legimus: *Prædicta die accerſitis Nobis in majori Eccleſia Neritoni ad petitionem Nobis factam pro parte reverendi in Chriſto Patris, Domini fratris Bartholomæi Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Venerabilis Abbatis majoris Eccleſiæ Neritoni, coram eodem*

Do-

Domino Abbate; ſtantibus cum dicto Domino Abbate toto Conventu Monachorum ſuorum Ordinis S.Benedicti, & Capitulo Canonicorum ſecularium Monaſterii & Eccleſiæ ſupradictæ: necnon Abbate Georgio de Neſtore ejuſdem Terræ Neritoni Juris Canonici perito pro Advocato Eccleſiæ, cauſa Eccleſiaſticæ dignitatis præſentibus, & volentibus. Idem Dominus Abbas nobis præſentibus, videntibus, & audientibus, expoſuit coram Nobis, quod cum quædam lis, ſeu controverſia verti ſperet in Romana Curia, ſeu alibi inter Reverendum in Chriſto Patrem Dominum fratrem P. Dei gratia Gallipolitanum Epiſcopum Græcum, ſeu ejus Procuratorem ex parte una: & eundem Dominum Abbatem, ejuſque Conventum, & Capitulum ex altera, ſuper eo videlicet, quod dictus Dominus Epiſcopus, ut dicitur, impetere intendit eumdem Dominum Abbatem, ſuoſque Conventum, & Capitulum ſuper poſſeſſione, ſeu proprietate Diœceſis, & Parochiæ, Juriſdictione, & Decimis nonnullorum Caſalium ſibi ratione ſuæ Eccleſiæ ſpiritualiter ſubjectorum &c. Multo minus cedere quidquam ad Eccleſias pertinens licebat, Advocato non conſentiente. Petrus Cluniacenſis ad Ganfredum Epiſcopum Carnotenſem *epiſt. 4. lib. 4. Eccleſiam*, ait, *Monaſterii Caſtri Duni, quam Cluniacenſes olim poſſediſſe dicebatur, a Canonicis ejuſdem Eccleſiæ ab Advocato Eccleſiæ, Vicecomite, ab omnibus tandem, qui aliquod juris in ea ſe habere dicebant; tam precibus, quam vi extorſiſſe, ac veſtræ Cluniacenſi Eccleſiæ, cujus juris fuerat, reddidiſſe*. Tandem decreta, atque conventa in tabulas a Notariis referebantur, addito Monachorum, & Advocati conſenſu: Bonorum item diſtractio, & alienatio coram Advocato fieri debebat, ut *capit. 6. de Ducibus, & Comitibus* fuſe, atque erudite commentatur Altaſerra.

V. Sed, & illud de Patriciis notandum eſt; ipſos non modo ad depellenda ab Eccleſiis ſibi creditis quæcunque detrimenta, verum etiam pro quærendis, augendiſque

que

que illarum commodis, potiſſimum laboraſſe. Proinde Summis quoque Pontificibus ſupplicare conſueviſſe, ut Monaſteriis privilegia obtinerent, conſtat ex epiſtola 12. *S. Gregorii Magni lib.6.* Quam Altaſerra notis illuſtrans, hæc ſcribit: *Poſtulantibus Dinamio, & Aureliano Patriciis concedit privilegia Monaſterio Virginum apud Maſſiliam in honorem Sancti Caſſiani conſecrato*: Sed & apud Sanctum Victorem Vitenſem *lib.1. hiſtoriæ perſecutionis Vandalicæ num.17.* legitur: *Poſt hæc Geſericus Eccleſiam Chartaginis claudi præcepit, diſſipatis, atque diſperſis per diverſa exiliorum loca, quia Epiſcopus non erat, Presbyteris, & Miniſtris, quæ vix reſerata eſt Zenone Principe ſupplicante per Patricium Severum, & ſic univerſi ab exilio redierunt*. Hac de re ſcribit, & Theodoricus Ruinartius *in Coment. hiſtorico de Vandalicæ perſecutionis ortu, progreſſu, & fine cap. 6. num.* 23. Quin imo poſtulaſſe etiam Patricios a Summis Pontificibus Epiſcoporum conſecrationem, ut Eccleſiarum bono conſulerent, quarum ipſi, ut reor Defenſores exiſterent, teſtantur Epiſtolæ Pelagii Papæ collectæ a Viro Clariſſimo Luca Holſtenio *in collectione Romana bipartita.* Cethego ſiquidem Patricio, Pelagio PP. ſupplicanti, ut Catanenſis, & Syracuſanæ Eccleſiæ Epiſcopos ordinaret, idem Pontifex ita reſcripſit. *Quod de Ordinando Eccleſiæ Catanenſis Epiſcopo ſalubris electione judicii fieri deſideraſtis, agnovimus, confeſtim ſequenti die, eum juxta morem diſcutiente, tertio, quo venit die, Epiſcopum conſecrare curavimus. Simili quidem modo, & de Syracuſanæ Urbis Antiſtite optaveramus in ipſo initio Gloriæ veſtræ deſideriis obedire, niſi nos multiplex ratio ipſius non paucis temporibus ordinationem differre Sacerdotii coegiſſet; ob hoc, quod vel perſonæ qualitas, ſicut, & vos melius noſtis, vel ſuperſtes uxor, aut filii, per quos Eccleſiaſtica ſolet periclitari ſubſtantia, noſtros animos diutius ab ejus ordinatione ſuſpenderent*. Ipſe Pelagius Mediolanenſem, & Aquilejenſem Antiſtites, ordinare

dinare renuens; propterea quod contra Sacrorum Canonum conſtituta eſſent electi, & Schiſma conflarent, non obtemperantes Romano Pontifici, ſcripſit Valeriano Patricio qui daret operam, ut cuſtodiæ utrumque traditum ad Principem mitteret: *Facite ergo vos* inquit *quod ſcientes intentionem Chriſtianitatis veſtræ frequenter hortamur, & date operam, ut talia fieri ultro non liceat; ſed etiam, quod vobis facillimum eſſe non dubito, hi, qui talia præſumſerunt ad piiſſimum Principem, ſub digna cuſtodia dirigantur: Recolere enim debet, Celſitudo veſtra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Iſtriam, & Venetias Tyranno Totila poſſidente, Francis etiam cuncta vaſtantibus, non ante tamen Mediolanenſem Epiſcopum fieri permiſiſtis niſi ad Clementiſſimum Principem exinde retuliſſetis, & quid fieri debuiſſet, ejus iterum ſcriptis recognoviſſetis, & inter ubique ferventes hoſtes, Ravennam tamen, & is, qui ordinabatur, & is, qui ordinaturus erat providentia culminis veſtri, deducti ſunt*: Non diſparem epiſtolam a Pelagio Joanne Patricio fuiſſe ſcriptam adverſus alios Epiſcopos abſurda electione ſua, Schiſma foventes oſtendit in eadem collectione memoratus Holſtenius.

VI. Navata Eccleſiis a Patriciis opera ſæpenumero eorumdem pia largitate, & beneficentia cumulabatur: factumque ſæpe eſt, ut quas patrocinio ſuo defendebant, amplis etiam muneribus augerent. In hoc genere non una in Italia, & Europa Regio Patriciorum beneficentiam, atque religionem commendat. Quo locus quiſque ſanctior eo priora ſibi voluntatis argumenta vindicabat: habita quandoque & Divorum Patronorum Regionis, vel Urbium ratio. Beliſarius autem Patricius, quum ex Spoliis Vandalorum Beato Petro Apoſtolorum Principi donaria obtuliſſet, apud Hortam S. Juvenalis Monaſterium exſtruxit; eique ſubinde prædia, & dona multa largitus eſt; ex Anaſtaſio Bibliothecario in Vigilio, & Viro Clariſſimo Juſto Fontanino in *libro 2. de antiquitatibus Hortæ cap.7.*

Quanti momenti Patriciorum fuerint dona, quæ B. Petro Apoſtolo in Urbe Roma obtulerant, inde licet conjicere, quod in Lateranenſi Epiſcopio una cum reliquis pretioſis muneribus, ab Imperatoribus, atque Conſulibus oblatis ſervabantur, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in *Severino Papa ad annum DXXXVIII. ſigillaverunt*, inquit, *omne veſtiarium Eccleſiæ, ſeu Cymbilia Epiſcopii, quæ diverſi Chriſtianiſſimi Imperatores, ſeu Patricii, & Conſules pro redemptione animarum ſuarum Beato Petro Apoſtolo reliquerant, ut pauperibus pro ſingulis temporibus erogarentur, ſeu propter redemptionem captivorum*: Referre piget inter hos religioſiſſimos Patricios Iſacium Patricium: qui Ravenna Romam profectus eo ſceleris, & impietatis devenit, ut Eccleſiæ Primatibus in fugam actis, Lateranenſe Epiſcopium deprædatus fuerit: omniaque munera, quæ Imperatores, Patricii, Conſuleſque obtulerant, eripuerit eodem teſte Anaſtaſio in *Severino*.

VII. Aſt ea eſt humanæ conditionis infirmitas; ut ab iis, quæ recte inſtituta ſunt, ſenſim ad prava dilabamur; eamque poteſtatem convertamus in injuriam, quæ in Eccleſiarum, Sacrorumque locorum defenſionem, atque tutelam impendi debuerat. Veteri certe diſciplina collabeſcente, Advocatorum Eccleſiarum exceſſus ſpecie utilis, & honeſtæ defenſionis turpiter in dies increvere; hinc crebræ ſacris locis pecuniarum exactiones impoſitæ, cenſus permoleſti, graves annonæ. Tot malis commotus Eugenius II. Pontifex Maximus in Synodo Rhemis habita: *auctoritate*, inquit, *apoſtolica prohibemus, ut nullus advocatus, præter jus, & beneficium antiquitus inſtitutum, aliquid ſibi arripere, vel uſurpare præſumat; quod ſi contra hoc attentaverit Chriſtianorum careat ſepultura*: Obtentu quoque advocationis plerique eo ſervitutis redegerunt Eccleſias, ut *incaſtellandi* ſibi jus arrogaverint, quod veteres chartæ jus *Fortiæ* vocant, quo nomine, ac titulo contendebat Dux Brittaniæ ſibi jus eſſe arces, munitioneſque

neſque ponendi in Villis, & prædiis Eccleſiarum: ac defenſionis prætextu Caſtellanos Duces imponendi, quamobrem graviſſima increbuere diſſidia inter Duces, & Clerum, auctore Argentreo *libro 5. hiſtor. Britan. cap. 26.* Id genus tyrannidis deteſtatus eſt Caliſtus II. Summus Pontifex *Can. Sanctorum* 10. *quæſt.* 2., in quo: *Eccleſias*, inquit, *a Laicis incaſtellari, & in ſervitutem redigi auctoritate apoſtolica prohibemus*: Otho quoque Friſingen. *libro* 7. *Chronic. cap.* 31. ſcribit: *Eccleſiam etiam B. Petri omnium Eccleſiarum caput, incaſtellare ſacrilege, ac profane non metuunt*: Hac porro ratione, quam expendit Draco *lib.* 2. *cap.* 6. factum deinde fuit; ut Epiſcopi, Abbates, aliique ſacrorum locorum Præſides propriarum Eccleſiarum, ac Monaſteriorum rerum adminiſtrationem ſumerent, ac ſenſim ab ea cura ejicerent Advocatos, & Defenſores: quod Paſchale II. Pontifice Maximo, qui Eccleſiæ Catholicæ regimen ſuſcepit an. Chriſti MXCIX. fieri primum cœpiſſe memoratus Draco cenſuit. In Concilio autem Lugdunenſi altero anno MCCLXXIV. celebrato ſub Gregorio X. Pontifice Maximo *Can. XII.* hujuſmodi advocationes in Eccleſiis, Monaſteriis, vel aliis locis piis præſumentes excommunicationis pœna percuſſi fuerunt; quod iterum edixit Synodus Saltzburgenſis coacta ab Archiepiſcopo Federico pro recipiendis memorati Lugdunenſi Concilii Conſtitutionibus eodem anno abſoluti *Cap. XXIV.*

VIII. Defenſores nihilominus, & Advocatos excepit *Interventorum* origo: Hi Precatoris fungebantur officio, præſertim, quando Epiſcopales Eccleſiæ, ſuo Paſtore vacabant. Tunc enim, præter peculiarem, quam adhibebant curam ne quid detrimenti res Epiſcopatus caperent, celerem quoque novi Præſulis electionem apud Summum Pontificem poſtulabant, urgebantque; ut animadvertit Gonzalez *lib.* 1. *decretal. tit.* 10. *de ſupplend. negligent. præſat. cap.* 5. *n.* 18. Ex his ille cenſet cum Renato Cho-

Digitized by Google

pino *lib.*1. *Monaſt. tit.*2. *n.*6. & Lantdmeter. *de vet. Clerico & Monacho lib.*2. *cap.*54. *in fine* commendarum ſumſiſſe originem, cœpiſſeque beneficia, Eccleſias, & Monaſteria tradi alicui in cuſtodiam, & adminiſtrationem. Eidem ſententiæ adhæret Garzia de *Benefic.par.*4.*cap.*4.oſtendit autem Tamburrinus de *jure Abbat. diſput.*4. *quæſt.*2. *num.*6., quum decreſcente Monachorum numero, atque cœnobiis pene diſtitutis, vix idonei, qui ipſis præfici poſſent, reperirentur, Pontifices Maximos Religioſorum Virorum Eccleſias, & Abbatias Secularibus Clericis, nullis votis, aut Monaſterii regulæ adſtrictis ad tempus commendare cœpiſſe, ne ipſæmet Eccleſiæ ſine Cuſtode mererent, earumque bona, & jura amplioribus detrimentis eſſent obnoxia. Antiquam hanc Eccleſiarum ad tempus fuiſſe commendationem, idem Tamburinus oſtendit recitato opere *diſput.*4. *quæſt.*1. Conſtat ſiquidem ſexto exeunte Chriſti ſæculo S. Gregorium Romanum Pontificem, cognomento Magnum Neapolitanam Eccleſiam commendaſſe ex *lib.*11. *epiſt.*7. Canone, item *relatio* 21. *quæſt.*1. liquet ab eodem commendatam eſſe Epiſcopo Fundano Terracinenſem Eccleſiam, voluiſſeque ut alteram jure tituli, alteram commendationis nomine retineret. Pelagius quoque I. Epiſcopo Meſſanenſi Eccleſiam Catanenſem ad tempus commendavit ex *Can. Catanenſis diſt.*61. Abbatias vero, aliaque beneficia regularia commendata fuiſſe ab ætate Leonis IV. putat idem Tamburinus loco paullo ante indicato, & Pax Jordanus de *Re beneficiar. lib.*9. *tit.*1. *de diſpenſat. num.*477. Quarum commendarum nimiam indulgentiam velut exitium, ac peſtem totius Chriſtianæ Reipublicæ notat Rebuffus in praxi titulo de *Commenda num.*6. & 10. Eas quoque jampridem improbaſſe, ac ſubſtuliſſe legitur Clemens V. Pontifex Maximus in *extravaganti altera de Præbendis*. Sed, ut eſt humanarum rerum miſeranda conditio; iterum Urbano VI. & Bonifacio IX., quo tempore dirum,

ac

ac permoleſtum Catholicam Eccleſiam vexabat Schiſma, idem malum graſſari cœpiſſe obſervat Tamburinus.

IX. Feliciori ætate hujuſmodi temporariis commendis omnino ſublatis, Œconomi ſucceſſere, quo nomine illos appellant, qui vacantium Antiſtitibus Sacris Eccleſiarum bona, & fructus curare ſolent, ac diligenter inſpicere, ne quid interim Eccleſiæ diſpendia ſubeant. Paulo autem II. Summo Pontifice inſtitutæ fuerunt Commendæ perpetuæ, quem teſte Chopino in *Monaſter. lib.* 1. *tit.* 1. admonitum a Cardinali Portuenſi, ne diutius eas Commendas in Eccleſia permitteret, reſponſum dediſſe refert Tamburinus: A Pontificatu Calixti III. ad eam diem, centum, & amplius Monaſteria Clericis nulli regulæ addictis commendata fuiſſe. Commendatarii autem perpetui in jure habentur, ut veri Prælati, ac Titulares, adeout, ſi qua lex ſit de Titularibus, ſeu Prælatis, locum habeat & in perpetuis Commendatariis, ut tradunt Sarnen. de *Triennal. quæſt.* 5. Garzia de *Benef. cap.* 4. *lib.* 4. *n.* 48. & fuſe Barbatia *conſ.* 2. *libro* 2. Qua de re veri exiſtimantur Prælati, habentque plenam adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus; Decius in *cap. edoceri n.* 4. *de reſcriptis*. Lotterius de *Re beneficiaria lib.* 3. *quæſt.* 8. *n.* 120. cum aliis citatis a Joanne Maria Belletto *diſquiſit. Cleric. par.* 1. §. *unico num.* 28. Propterea, ut eadem Monaſteria ſumma cum maturitate benemeritis, probiſque Clericis conferrentur, in Concilio Lateranenſi ſancitum eſt: Quæ ducentos ducatos auri de Camera proventu annuo excederent, in Conſiſtorio a Pontifice Maximo conferrentur; ut tradit Lotterius *eodem loco quæſt.* 26. *num.* 46. Conſiſtorialia autem Monaſteria, ſeu Abbatias ad calcem Tomi primi de Jure Abbatum recenſet Tamburinus.

X. Miror tamen ipſum Virum clariſſimum in eodem tractatu *diſp.* 20. *quæſit.* 2. *n.* 26. *tom.* 1. tradidiſſe, Abbatibus Commendatariis non competere jus utendi inſigniis, & infulis

ſulis Pontificalibus, ea ratione, quoniam Religioſorum minime cenſentur nomine: Tum etiam, quia Paulus III. in Conſtitutione, edita anno MDXL. quæ eſt XXIII. ejuſdem Pontificis *tom.* 1. *Bullar.* privilegium utendi hujuſmodi inſigniis conceſſerit Prælatis in utraque Signatura Referendariis, modo obtinuerint Commendam perpetuam alicujus Monaſterii; ex quo ille infert: indigere Abbates Commendatarios peculiari Summi Pontificis privilegio, ut Pontificalibus utantur veſtibus, & muniis fungantur. At vero, quoniam de Abbatibus Commendatariis a nobis inſtitutus eſt ſermo, e re dicimus Tamburini aſſertum in examen vocare, ne quid detrimenti illorum juribus inferat. Profecto ſi Abbas Commendatarius in omnibus æquiparatur vero Prælato, ac Titulari, ut idem Tamburinus affirmat, probatque pluribus memoratis exemplis Barbatia *conſ.* 2. *lib.* 2. nulla valida urget ratio, cur ſub ea generali propoſitione nequeat etiam jus exercendi Pontificalia comprehendi. Nec enim recte ille arguere videtur Abbates Commendatarios minime contineri appellatione *Religioſorum*; quoniam ea jura ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ in Eccleſiarum decus, non autem quia in iis eſſent Religioſi Viri Abbates præpoſiti, conceſſa fuere. Quare ſcite animadvertit pro re nata Fuſchus de *Viſitatione lib.* 2. *cap.* 9. *de Commendis n.* 5. *Commendatarius maxime perpetuus, eſt verus Prælatus, cum habeat plenariam adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus, & regulatur attenta qualitate, & dignitate ejuſdem Eccleſiæ cui præficitur, ſicut hodie ſunt multæ Eccleſiæ cum dignitate Mitræ, & Baculi paſtoralis, quæ dantur in Commendam, qui recuſabit dicere ipſis Præpoſitum non eſſe verum Prælatum, & iiſdem qualitatibus potiri*: Verum hiſce tricis diutius immorari non expedit. Quum ceteroquin liquido coſtet, tempore Clementis VIII. Abbatibus Commendatariis fuiſſe jus exercendi Pontificalia, utendique inſigniis Pontificalibus; quorum uſum, & exercitium, quum ſibi

ſibi uſurpaſſent, qui nec Sacerdotes erant, nec Benedicti, his dumtaxat Summus Pontifex id juris abſtulit ut liquet ex ejus Conſtitut. edita an. MDCII. relata a Pyrrho Corrado in *praxi beneficiaria lib.2. cap.*14. *n.*34. Porro cum nihil tale Clemens de Sacerdotibus, & Benedictis pronunciaſſet, perſpicuum eſt, eam illis facultatem integram reliquiſſe. Pontificiæ Conſtitutionis hæc verba ſunt: *Nonnulli Clerici etiam in Sacris Ordinibus minime conſtituti, nec Pontificali dignitate fulgentes, qui Monaſteria Ordinis Ciſtercien. ad ſui vitam ex conceſſione, ſeu diſpenſatione apoſtolica obtinent, ſub prætextu, quod in literis ſuarum Commendarum apponatur eadem clauſula, quæ in litteris proviſionum Abbatum Titularium dicti* Ordinis *apponi ſolet; nempe ſibi curam, regimen, & adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, non ſolum juriſdictionem in Monachos Monaſteriorum ſibi pro tempore Commendatorum uſurpare prætendunt, prout de facto uſurpant; verum etiam aliqui dictam clauſulam tam late interpretantur, ut licet Benedicti, aut conſecrati non ſint, attamen in Pontificalibus ſolemniter celebrare, & calices, aliaque paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica conſecrare præſumunt. Cum autem, ſicut nobis innotuit, hæc omnia Sacris Sanctionibus, & Concilii Tridentini decretis adverſantur; nos igitur ad Summi Apoſtolatus apicem, meritis licet imparibus divina diſpoſitione vocati, hæc inconvenientia de medio tollere, ſimulque perſonarum Regularium ſtatum feliciter dirigere cupientes prædictam clauſulam, quoad eos qui dicta Monaſteria, ut præfertur obtinuerunt, & Sacram Benedictionem, aut Conſacrationis munus minime ſuſceperunt, ad terminos juris, ac Sacrorum Canonum, perinde ac ſi hujuſmodi clauſula in literis ſuarum Commendarum, minime appoſita fuerit apoſtolica auctoritate tenore præſentium reducimus; ac reductam eſſe, ac fore cenſemus*: His poſtremo illud quoque addendum cenſeo: ex nuperis Sacræ Rituum Congre-

gregationis decretis eoſmet Abbates clauſtrales, & regulari obſervantia obſtrictos vetitos fuiſſe exercere Pontificalia abſque Commendatarii permiſſu. Ex quibus proinde infero Commendatariis potiori jure competere exercitium muniorum Pontificalium; niſi plus juris eos poſſe impertiri affirmemus, quam re ipſa habeant. Teſtatam rem facit Sacra Rota in cauſſa *Nullius*, *ſeu Claravallen. Viſitationis* 21. *Martii* 1707. §. *finali cor. bon.mem. Kaunitz*, *in qua habetur: In vim decretorum S. Congregationis Rituum interdixit Abbati uſum Crucis pectoralis*, *&* *Sedis fixæ*, *demandando ut ſacras veſtes indueret in Sacriſtia*, *nec ut poſſit in Eccleſia Monaſterii exercere Pontificalia abſque Sereniſſimi Commendatarii licentia*; *nec canere Miſſam in die Titularis*: Qua de re ipſis Commendatariis hujuſmodi exercitium Pontificalium competere etiam privative quoad Abbates Regulares, affirmat Joannes Jacobus Scarſantonius in *animadverſionibus ad lucubrationes canonicas Franciſci Ceccoperii lib.*3. *tit.*3. *n.*36., *&* 37. lateque comprobat Cæſar Panimollius *dec.*30.

De Patriciis Militiæ.

C A P U T VIII.

S Y N O P S I S.

I. *Patricii præpoſiti ærario caſtrenſi*, *Quæſtores exercitus*, *Armorum Magiſtri*, *&* *rei navalis*, *Drungarii* II. *Drungarii*, *qui*, *&* *quot fuerint*, III. *Patricii Duces Exercituum*, IV. *Patricii Magiſtri militum* V. *Magiſtri militum qui*, *&* *quot exſtiterint*. VI. *Patricii militiæ reſidebant in aliqua Provincia*, *vel Civitate*. *Detegitur error confundentium Patricios militiæ cum Patriciis Civitatum*. VII. *A Patriciatu militiæ erat progreſſus ad Patriciatum Urbium* VIII. *Patri-*

Patricii militiæ habebant Sedem Patriciam, quæ Sedes Patricia IX. *Habebant etiam Scriniarios; & qui fuerint?* X. *Patricii militiæ temporanei, pendenteſque a nutu Principis.*

I. DUm rerum connexa ſeries, varia in tranſcurſu ſuppeditat argumenta, atque materia alia aliam trahit; in Eccleſiarum, Abbatiarumque commendis proximo capite aliquandiu ſumus immorati. Nunc ad id, quod inſtat redeuntes de reliquis Patriciorum generibus diſſeremus. Primum vero inſtituendus a nobis ſermo eſt de Patriciis, quibus præcipua cura, & adminiſtratio in bellicis expeditionibus ab Imperatoribus committebatur. Hos præpoſitos fuiſſe conſtat ærario caſtrenſi, vel Quæſtores exercitus renunciatos, Magiſtros denique armorum, aut rei navalis Drungarios extitiſſe. Enim vero Appionem Patricium apud Procopium *de bello Perſico lib.* 1. *cap.* 8. memoratur ærario caſtrenſi præfuiſſe, quem Patricii Ordinis lumen, virumque animo maxime impigrum idem Scriptor appellat. Idem in *libro* 1. *de Bello Vandalico cap.* 11. refert Archelaum Patricium, fuiſſe Quæſtorem exercitus quo nomine *ſumtuum præbitorem* vocabant. Et Stilico Patricius magna apud Honorium Imperatorem poteſtate præditus, armorum Magiſter laudatur ab Anonymo in *Hiſtoria Miſcella lib.* 3. *pag.* 90. Ne autem complures ſupervacuo labore enumerem, quos rei navalis Drungarios, dum bellum gerebatur, ſæpenumero Imperatores renunciare conſueverunt, ſat erit recenſuiſſe, quod narrat Conſtantinus Porphyrogenitus in *libro de adminiſtr. imper.* apud Bandurum *tom.* 2. *imperii Orientalis cap.* 5., & *cap.* 29. Euſtathium nempe Patricium rei navalis Drungarium imperatoriam rexiſſe claſſem; Quo vero tempore Saraceni ab Africa profecti Dalmatiæ oppugnabant Urbes, atque Raguſium ab quintodecimo menſe obſidione vexabant, a Baſilio Imperatore ad hoſtium

vim retundendam, Nicetam miſſum fuiſſe Patricium rei navalis Drungarium: eoque Ruguſim appellente Saracenos relicta Urbis obſidione diſceſſiſſe.

II. Drungarius erat Drungi præfectus, quæ vox greco barbara, militum globum, vel exercitus partem ſignificat. Ea quidem adulto imperio apud Romanos nata, ſubinde Latini Scriptores non de ſuis, ſed alienarum gentium militibus uſi ſunt; præſertim Vopiſcus in Probo, Vegetius de *Re militari lib.3. cap.16.* quo loci vocabulum ipſum ſuo commentario illuſtrat Stevvechius *pag.* 245. Orientalis vero Imperii notabat militiam, quemadmodum tum ex aliis Græcis auctoribus; tum ex Codino patet, apud quem Drungum fuiſſe conſtat numerum aliquot Præfectorum cohortibus ſub Drungario merentium. Tertium, Drungarius in exercitu gradum occupabat juxta ordinem militiæ a Zenone Imperatore diſpoſitum. Primum ſiquidem locum Imperator tenebat; ſequebantur deinde Merarchæ, poſtea Drungarii, Comites, Centuriones Decani, Quintani, Quartani, ut docet Jacobus Hofmannus in lexico univerſali, verbo *Drungarius*. Clarus denique in inferiori Imperio C.P. fuit Magnus Drungarius, qui duplex erat, *Biglæ & Claſſis*: Prior enim excubiis præerat, merebatque in militia caſtrenſi ſub Magno Domeſtico; gerebatque ſceptrum judiciale poſt ſuperiorem condylum, qui omni prorſus ex parte ornabatur auro. Alter in re maritima magno Duci ſuberat: Præerat autem Amiralio, Protocomiti, Drungariis, & cohortium Præfectis, habebatque item ſceptrum judiciale. Notat Meurſius relatus a ſupradicto Jacobo Hofmanno loco ſuperius adducto hanc Præfecturam antea navalem fuiſſe: deinde ad militiam terreſtrem, translatam, de qua fuſe agit Henricus Spelmannus in *gloſſario*.

III. Majora, ac potiora quæque militiæ munera Patricii exercebant in expeditionibus bellicis; ſoli enim, vel Duces erant exercituum, vel uti Patricii militibus præ-

præerant. Quare Hieronymus Bignonius in *Notis ad Marculſum Monachum lib.*1. *cap.*35. ſcite notat: *Vvilibaldum ex Patriciatus ſui termino plurimum ſecum duxiſſe multitudinem Pontificum, & nobilium, ex quibus manifeſtum eſt Patriciis exercitus regendos, Provincias adminiſtrandas datas fuiſſe*: recte quoque Franciſcus Amaya in *Commentar. ad* 3. *libros poſter. Cod. Juſtiniani lib.*10. *tit.*31. *num.*62. ſcribit *Labente ævo, Duces fuerunt exercituum, ut de Beliſario, & Narſete Ducibus Patriciorum nomine decoratos legimus apud Cujacium lib.*10. *obſervat. cap.*12. *qui epiſtolam Juſtiniani refert*: Huc ſpectant, & verba uxoris Beliſarii Patricii apud Bulengerium de *Imperat. & Imperio Rom. lib.*3. *cap.*1. qui ſcribit: *Uxor Beliſarii Viro ſuo dixit*: *Tibi ſunt decem millia militum, quos propriis alimus ſtipendiis, & decem, & octo millia, quos cum Patriciatus dignitate acquiſiviſti*: Hinc plerumque Patricios *Duces militiæ, ductoreſque exercituum* a Græcis Scriptoribus appellatos legimus. Sic apud Ducangium in *familiis Byzantinis cap.*4. *de familia* Theodoſii *Magni* memoriæ proditur Areobindum Patricium a Theodoſio copiarum Ducem miſſum adverſus Genſericum, & Attilam. Apud Paulum Diaconum *lib.*4. *cap.*11. Filiam Regis Agilulphi cum Viro ſuo Godeſchalco ab exercitu Gallicini Patricii captam, & Ravennam, deductam. S. Nicephorus Patriarcha in Breviario hiſtorico de rebus geſtis ab obitu Mauricii uſque ad Conſtantinum Copronymum e Græco ſermone in Latinum converſo a Dionyſio Petavio narrat Juſtinianum adverſus Cherſonæ, & Boſphori, vicinarumque Præfecturarum populos inſtituiſſe claſſem multarum navium, in eaque centum fere millia hominum impoſuiſſe partim ex militaribus Ordinibus, partim ex ruſtica plebe, aut opificum turba, partim denique ex Senatorio Ordine, reliquiſque Civibus; eiſque omnibus Stephanum Patricium cognomento Aſmictum Ducem præpoſuiſſe. Eumdem Juſtinianum Cæſarem in Italiam miſiſſe Beliſa-

liſarium Patricium, ut illam a Gothorum duriſſimo jugo victricibus armis liberaret, teſtatur Anaſtaſius *in Silverio.* Quin imo ipſius Beliſarii ope Juſtinianum Auguſtum Perſas deviciſſe, Vandalos ſuperaſſe, Africam Romano Imperio, integram reſtituiſſe ſcribit Paulus Diaconus *lib.*18.

IV. His autem Patriciis præcipuum, ac frequens erat ſumere, gerere, ac retinere dignitatem Magiſterii militaris velut Patriciatui militiæ maxime propriam: quemadmodum colligere licet ex Bulenger. *Cap.*12. *lib.*3. *Magiſtris autem, inquit, multa privilegia data ſæpe fuere Patricii*: Quod ex Priſco in hiſtor. refert. Ad hunc locum pertinent plures antiquæ inſcriptiones, in quibus memorati leguntur ejus generis Patricii, atque Magiſtri utriuſque militiæ. Prima Flavii Recimerii exſtat Romæ in Eccleſia Sanctæ Agathæ in Suburra, quam idem Flavius, quum ſummam in Imperio Romano uſurpaſſet auctoritatem, ipſis Romanæ Eccleſiæ invitis Pontificibus, barbarica poteſtate ſibi vindicavit; ut in ea, cum ſuis Arianis conventus ageret, teſte Cardinali Baronio ad *annum Chriſti CDLXXII. num.*10., *& ſeq.* Eamdem ſubinde marmorum cruſtis Imaginibus Sacris Jeſu Chriſti, & XII. Apoſtolorum, muſivoque opere, egregie exornavit factique indicem, ſequentem in hemyclo muſivo item expreſſam inſcriptionem appoſuit, quam referunt Floravantes Martinellus in *Hiſtoria ejuſdem diaconalis Eccleſiæ, cap.*6. & Bartholomæus Piazza in *Hierarchia Cardinalitia* agens de Diaconia V. & Eccleſia S. Agathæ.

FL. RECIMER V.I. MAGISTER
VTRIVSQVÆ MILITIÆ PATRICIVS
ET CONSVL ORDINARIVS
PRO VOTO SVO ADORNAVIT.

Flavii Felicis monumentum in Lateranenſi Baſilica olim viſebatur. Ex Jani Gruteri *tom.*2. *pag.*1076. hic exprimimus.

FL.

FL. FELIX V. C. MAGISTER
VTRIVSQVE MILITIÆ
PATRICIVS, ET CONSVL ORDINARIVS ET
PADVSIA EIVS INL. FŒMINA VOTI
COMPOTES DE PROPRIO
FECERVNT.

Elii Conſtantii inſcriptionem Treveris inventam recenſet Jacobus Gutherus de *Off. domus Augu. lib. 2. cap. 19.* Itemque Lipſius inter priſcas a ſe collectas inſcriptiones, integram exhibet *fol.* 140. *n.* 5. hoc pacto.

HIC IACET ELIVS CONSTANTIVS
VIR CONSVLARIS, COMES, ET MAGISTER
VTRIVSQVE MILITIÆ, ATQVE PATRICIVS

Ex his propterea ſatis perſpicuum fit, dignitati Magiſterii militaris conjunctum fuiſſe Patriciatum; indeque appellatos eſſe Patricios militiæ: ſeu Magiſtros utriuſque militiæ, atque Patricios. Neque nuda hujuſmodi fuere nomina, atque vocabula. Nam aliquot eadem dignitate auctos Patricios, militibus præfuiſſe, ac prælia feciſſe, conſtat ex Anonymo Salernitano *par.* 7. apud Camillum Peregrinum in opere eximio de geſtis Longobardorum. Qui bellum enarrans a Pandulpho capiteſerreo pro Salerni Urbe, ac Principatu geſtum adverſus Giſulphum hæc habet: *Dum vero Pandulphus plurimos ex Græcis ſauciaret, & jam feſſus eſſet; ſuper eum, quidam Græcus cum magna virtute evenit, fortique ictu percuſſit, eumque de equo, in quo reſidebat dejecit: quia jam arma contracta habebat & ſic ſuper eum irruerunt, eumque comprehenderunt, atque ad ſuum Patricium perduxerunt*: Paulo poſt: *Ille Patricius*, inquit, *Eugenius nomine Conſtantinopolim Pandulfum cum ſuis militibus miſit*: Id etiam liquet ex Lupo Protoſpata in Chronico rerum in Regno Neapolitano geſtarum ab anno ſalutis DCCCLX. uſque ad MII. vulgato a Viro Clariſſimo Antonio Caracciolo.

In

Digitized by Google

In Nomenclatore autem propriorum nominum, quæ in quatuor ab ipſo editis Chronicis memorantur, multa Patriciorum facta, quam breviſſime indicantur; quibus quum bellum pro Græco Imperio gererent claruerunt. Illud etiam animadvertimus, fere nonisi poſt militaris Magiſtratus dignitatem fuiſſe creatos Patricios. Certe Etius Dux utriuſque militiæ, Patricius in Occidente renunciatus eſt, ut ex Marcellino Comite obſervat Gutherus *lib.2. cap.19.* qui alia in rem ipſam affert exempla. Enim vero ea dignitas ita neceſſaria erat, & habebatur in pretio, ut quandoque Patriciatum ſequeretur: Cedrenus apud Bulengerum *cap.12. lib.3. Primo eum Patricii, & Proconſulis dignitate honeſtavit, poſtea Magiſtrum, & Cæſarem fecit:* ex quo factum reor, ut a Codino de *Origin.Conſtantinopolit.* Magiſtri ante Patricios collocentur.

V. Proficiſcentes autem iidem Patricii adverſus hoſtes, ut exercitibus præeſſent, juriſdictione fungebantur in milites intra limites alicujus Provinciæ, vel Civitatis, in qua præſidii cauſſa moram trahebant. Quod quum parum accurate a pluribus Scriptoribus animadverſum fuerit, perperam nonnulli putarunt, Patricios militiæ eoſdem fuiſſe, ac Patricios illius Provinciæ, vel Civitatis, ubi reſidebant. Qua in re Jacobus Gutherus *lib.2. cap.19.* adeo confuſe, atque permixte agit, ut veluti in magnam, ac inextricabilem ſilvam delatus, quo ſe vertat neſciat; utroſque Patricios fœde confundens. Eum ſine ullo examine ſequutus eſt Gonzalez *lib.2. decretal. tit.23. cap.7. verbo Patriciæ tom.2.* quibus deinde acceſſit Nicolaus Alemannus in *diſſertat. de Lateranen. Parietinis cap.11.* Id erroris genus, quod *cap.3. bujus libri* veluti per tranſennam inſpeximus, nunc accuratiori ſtudio expendendum, confutandumque eſt, ut omnia nitori reddantur ſolidæ hiſtoriæ. Quod, ut facilius aſſequamur, nonnulla de Magiſtris militiæ prælibanda ſunt. Magiſtros militum Magnus Conſtantinus inſtituit, ut Præfectorum Prætorio pote-

poteſtatem frangeret, qui a Maxentio ſteterant, narrante Zoſimo. Eos ſubſtitutos fuiſſe conſularibus illis, qui vigente bello legati mittebantur ad exercitus, vel ad pacem cum hoſtibus ſtabiliendam, putat Bulenger. *lib.3. cap.12.* quapropter, ut idem notat Scriptor, poſt Conſtantini ætatem jus illud in milites obtinuerunt, quod olim libera Republica Proconſules; aut ſub priſcis Imperatoribus Præfecti Prætorio habuerunt, ipſique rem militarem adminiſtrabant. Erant ii per diverſas Regiones ſinguli diſtributi: Quinque enim in Oriente Magiſtri militum fuerunt; Duo in præſenti; nimirum ii, qui erant in comitatu Principis; unus per Orientem, quartus per Thracias, quintus per Illiricum. Alius quoque erat per Armeniam *leg. ult. Cod. de offic. Magiſtr. milit.* Memoratur etiam unus per Gallias, Magiſter equitum dictus, ut liquet ex Bulengerio loco citato. Denique declinante Imperio hujuſmodi vocabulum in Italia audiri frequentius cœpit, & ab Imperatoriis potiſſimum exercituum Ducibus uſurpari, quando, & Magiſtri peditum quoque, & Magiſtri utriuſque militiæ apud eoſdem invaluere nomina; ut notat Camillus Peregrinus in hiſtoria Longobard. *tit. de fin. Ducat. Benevent. ad meridiem.* Quamobrem Longobardis in Italia Dominantibus, eo nomine putat fuiſſe nuncupatos Duces Neapolitanos, eoſque perpetuos exſtitiſſe Græci Imperii in finitimis Campaniæ locis propugnatores.

VI. Civitatis itaque, vel Provinciæ, in qua Patricii Magiſteria in milites exercebant dignitatem, muneri ſuo adjiciebant nomina, non quia Patricii eſſent illius Civitatis ſive Provinciæ, ſed quia intra illorum limites militari poteſtate fungebantur. Cujus rei inſigne nobis præſtat exemplum Urbicius Patricius, de quo Bandurus in *Imperio Orient. par.2. lib.2. Templum*, inquit, *S. Deiparæ Urbicii appellatum, extruxit alius Urbicius Patricius, & Magiſter militum Orientis*: Huc ſpectat, & id, quod de Areobindo Patricio habet Ducangius in *Familiis Byzan-*

zantinis de familia Juſtini Thracis cap. 8. *A Juſtiniano avunculo nuptum data eſt Areobindo Patricio, quem ille Urbi, mox Prætorio Orientis Præfectum, ac demum Magiſtram militiæ in Africa dixit*: Idem Ducangius eodem loco differens de Germano Patricio: *Obiitque*, inquit, *præcipuas in bello Præfecturas, quippe anno DXXXVI. poſt mortem Gelimerii, & revocatum Salomonem, in Africam a Juſtiniano miſſus victorias inſignes adeptus eſt*: Lucemque dictis quam præcipuam affert Sirmundus in notis ad carmen Sidonii *verſ. ſuſcipit hunc reducem tom.* 1. *oper. variar*: ubi de Procopio Magiſtro militum ac Patricio per Orientem a Theodoſio Imperatore renunciato ſic ait: *Procopius poſt fœdus perſicum Magiſter utriuſque militiæ, ac Patricius factus eſt a Theodoſio, quod teſtatur Theodoſii ipſius lex* 36. *Cod. Theodoſiano de erogat. annonæ militar. cum inſcriptione: Procopio Magiſtro militum per Orientem*: Enim vero, quum bellum agi contingeret, Patricius præcipuæ Civitati ab Imperatore præficiebatur, ut ibidem moram traheret, imperaret militibus & contra hoſtes pugnaret, qua in re lubet proferre verba S. Nicephori in *Breviario hiſtorico pag.* 35. *Per idem tempus Sergius Patricius Siciliæ Dux, & qui in Occidente erant ignari, quæ ad Byzantium acciderant, atque Imperatoris rebus in tanta hoſtium incurſione deſperatis, quemdam ex apparitione Sergii Imperatorem conſtituunt Gregorii cognomento Onomaguli filium, quem mutato nomine Tiberium appellant. His auditis Imperator Paulum Patricium, Siciliæ præficit, quem fidum ſibi, & conjunctum habebat, ac rei bellicæ peritum, eumque contra Baſilium mittit*: De Georgio Patricio præſidii cauſſa in Thracia commorante ſcribit idem Nicephorus *pag.* 32. Narrat etiam Herempertus Monachus Caſſinenſis in *Epitome Chronologica de geſtis Longobardorum* edita ab Antonio Caracciolo: Conſtantinum Patricium miſſum fuiſſe ad compeſcendos Imperatoris Græcorum rebelles, & adverſus Agonem: Qui, eodem

eodem auctore teſte : *A Benevento per Sipontum Barim profectus ſuper quam Conſtantinum Auguſtorum aulicum , & Patricium inſidentem reperit rebelles, Imperatorem viriliter impugnantem* : Sed eo obſeſſo , intra Urbem Barim a Græcis, fruſtraque ab Gallis, & a ſuis auxilium eflagitante , quum Adenolfus Anaſtaſii minas formidaret , Legatos ſuos ad Conſtantinum Patricium miſit pro pace ſtatuenda . Pergit autem Herempertus : *Adenolfus formidans Anaſtaſii minas Legatos ſuos ad Coſtantinum Patricium , qui reſidebat ſupra dictum Civitatem , & fœdus cum ipſo ſtatuerat pacis* . Apud Camillum item Peregrinum in hiſtoria Principum Longobardorum in *Fragmento Anonymi Beneventani* de Symbatitio , & Georgio Patriciis legimus : *Symbatitio , qui venit cum valida Græcorum manu Beneventum , eumque obſedit eo anno , quo ſedebat Urſus filius Agonis puer decennis , qui ſedit annum unum , ſucceſſor extitit Georgius Patricius quo Beneventi commorante non poſt multum tempus fax terribiliter a parte meridiana longo tractu effulſit* : Non raro perinde fiebat , ut ducendi exercitus curam , ſummumque Imperium in iis regionibus , ubi manebant , Patricii ſumerent, bellumque in hoſtes gererent. Apud Conſtantinum Porphyrogenitum in *lib. de adminiſt. Imper. Latine reddito a Banduro tom.* 1. *Imper. Orient. par.* 1. *fol.* 4. ſermo habetur de Jordane dignitate Patricio , agminum Duce per Orientem , reliquarumque gentium Aſiæ minoris , qui erat ipſius Orientis Monarcha , cujus arma in regio veſtiario aſſervabantur . Ex hactenus recenſitis hiſtoriæ monumentis liquido conſtare arbitror : Nomenclaturam Patricii adjuncto Civitatis , vel Provinciæ nomine non alium , quam eo in loco manentem deſignare . Cujus ſententiæ adſtipulatorem habeo & Camillum Peregrinum in hiſtoria Princip. Longobard. *ſub titulo de finibus Ducatus Beneventani ad meridiem* , ubi Scriptorum , quos improbavimus aſſertum convellens : *Non Magiſtros* , inquit , *Neapolis* , *ut recen-*

tiores fere omnes credunt, *ſed abſolute Magiſtros militum a priſcis*, *probatiſque Auctoribus nuncupatos ſcimus*: Videſis præterea Erchempert. *n.*26. 27. 39. 44. & Capitulare Principis Sicardi *num.* 1. ac demum epiſtolas S. Gregorii Magni, & Joannis Papæ VIII. pluribus in locis.

VII. At, quo res clarior fiat, & manifeſtior: Illud etiam hic monere juvat, memoratos Scriptores ob id forſitan utriuſque ordinis Patricios minus recte confudiſſe, quoniam a Patriciatu militiæ, quandoque progreſſus erat ad Patriciatum Provinciæ, vel Civitatum: Quarum non animadverſo regimine, nec prioris militiæ vocabulo, quod retinebant juxta Teſtum in *lege neminem Cod. de Decurion. & leg.* 1. *Cod. de Primicerio*; cum Patricios propterea utroque munere, ac dignitate auctos deprehenderent, nullum inter eos diſcrimen fuiſſe ſunt arbitrati. Profecto Heraclius Patricius, quum varia in bellis contra Perſas militaris virtutis argumenta edidiſſet, Præfectus cum Imperio in Africa renunciatus fuit ab Imperatore ex Ducangio in *Conſtantinopol. Chriſtian. cap.* 12. *de familia Heraclii Auguſti*. Draco quoque *lib.* 2. *cap.* 4. mentionem facit de Maſſiano, & Ægidio Magiſtris militum, atque Patriciis, proditque, ipſis adverſus Francos illarum Urbium tutelam fuiſſe commiſſam, quæ trans Ligures a Romanis tenebantur. Recimerium Patricium, quem ſupra Magiſtrum utriuſque militiæ, atque Patricium memoravimus, deinde Liguriæ præfuiſſe legimus in *hiſtoria Miſcella lib.* 1. *pag.* 98. Juſtinianum denique Imperatorem, Narſetem Italiæ Patricium conſtituiſſe, poſtquam illum adverſus Gothos Italiam infeſtantes militiæ, bellique ducem miſerat, in hiſtoria notum eſt: animadvertitque & Alemannus in *diſſertat. de Lateranen. parietinis cap.* 11. Hos ipſos Patricios, Imperatores ob eximiam bellicæ rei peritiam potiſſime diligebant; adeoque illorum decori ſtudebant, & amplitudini, ut ſæpiſſime ad Imperii, ac Reipublicæ regimen, collegas adhiberent: ut liquet ex epiſtola Ma-

Majorani ad Senatum miſſa, quo tempore Imperator eſt renunciatus apud Sigonium *lib.14. Imperii Occident.* in qua præter cetera Auguſtus Princeps hæc habet: *Nos cum Patre, Patricioque noſtro Recimere rei militaris curam, geremus, & Romanæ Reipublicæ ſtatum, quem communibus excubiis, & ab heſterno hoſte, & a domeſtica clade liberavimus, Deo bene juvante, tuebimur, atque auctoritate Principis & obſequio collegæ, ut veſtrum in me vobis non poſſit diſplicere judicium, enitemur.*

VIII. Rei autem pertractatæ argumento maxime congruit; ut & de Sede Patricia, ac Patriciorum Scriniariis verba faciamus. Illorum nobis memoriam exhibet vetuſtiſſima inſcriptio apud Sirmundum *lib.1. epiſt.9.* itemque Gutherrum *lib.2.cap.19.* & Antonium Boſium in libro cui titulus *Roma ſotterranea*, erudititiſſimis notis, & additionibus illuſtrato a Cive meo Joanne Severano. Hic rurſus ad horum exemplar recenſere libet. Boſio enim, ac Severano Viris de Romanis antiquitatibus ſupra præconium optime meritis fidere malo, quam Jacobo Guthero, qui ut poſtea animadverti, non integram protulit.

HIC QVIESCIT IN PACE FL. CELERINVS
VD. SCRINIARIVS INL. PATRICIÆ SEDIS
DEP. D. IIII. ID. NOVEMB. QVI VIXIT
ANN. XXXIII. Plñ
DN PL. VALENTINIO VII. ET AVIENO VCS.

Se ab hujuſmodi inſcriptione fuiſſe tortum, ingenue fatetur deſignato loco Gutherus: in ejus deinde explicationem nonnullis præmiſſis eodem iterum laborat errore gemini Ordinis Patricios importune confundens: *Quænam eſſet*, inquit, *illa Sedes Patricia, quæ Virum devotum Scriniarium haberet, dum anxius perquirerem, in novas difficultates impegi: offendo enim Patricios Italiæ, Patricios Occidentis, Provinciæ, Romanorum: armatos Patricios, qui hoſtes Imperii in prælio devicerunt. Hæc dum*

dubius revolvebam inter arma quietam Sedem nactus ſum ex illa inſcriptione Patriciæ Sedis : Propius vero, quam nunc illuſtramus, rem attingens: Sedem Patriciam recte, ſtationem militum, quibus Patricius imperabat, interpretatur; in cujus aſſerti comprobationem affert Vegetium, qui *lib.3. de re militari cap.4.* ſcribit: *Qui in Sedibus otioſe, delicateque vixerunt, armorum exercitia declinant*: & paulo poſt: *Ita exercitati, & eruditi in ſedibus milites, ſive illi legionarii, ſive auxiliarii, ſive equites fuerint ad expeditionem ex diverſis conveniunt locis æmulatione virtutis, prælium magis habent optare, quam otium*: Hac ſignificatione ſedes dicta eſt a Juſtiniano *leg. fin. Cod. de reſtitut. milit. & leg. fin. Cod. quibus non objicit longi temporis præſcripti*. Harum auctoritate ſanxit Imperator iis dumtaxat, qui expeditionibus occupantur, tempora ad reſtitutionem in integrum opitulari. Sed illis temporibus, privilegio non juvari, per quæ citra expeditionis neceſſitatem in aliis locis, vel in *ſuis ſedibus* degunt. Sic enim legendum eſt: male autem in vulgatis legitur: *In ſuis ædibus leg. fin. Cod. de reſtitut. milit.* Sedes enim Ducum militarium recenſetur ab ipſo Juſtiniano in *leg.2. Cod. offic. Præfect. Prætorio Africæ*, in qua *militum*, inquit, *Tripolitanæ Provinciæ in Septimagnenſi Civitate, Sedes interim habeat, Dux vero Byzacenæ in capſa, & altera Leptæ in Civitatibus interim ſedeat*: Patriciorum itaque, ut ait idem Gutherus, ea fuit poteſtas in militum ſedibus, quæ Magiſtrorum militum in expeditionibus.

IX. Ex eadem inſcriptione illud etiam diſcimus, Patriciis ſuos fuiſſe Scriniarios: quos habebant & Magiſtri militum, & Liminum Duces. Ipſi, ut ſcite animadvertit, & notat Bulengerus *lib.4. cap.12. rationes, actuariorum freti poteſtate, chartarum ad libidinem perſcribebant*: Scriniarius eodem præſtantiſſimo Scriptore teſte loco recitato, erat Notarius, ſive Chartophylax. Plures autem, ac varii erant Scriniarii juxta diverſi Ordinis Scrinia, in

quibus

quibus ſervabantur ſcripta monumenta, epiſtolæ, libelli, diſpoſitiones, vel jura, adnotationes, pragmaticæ ſanctiones, cognitiones, preces. Hæc etiam *ſacra Scrinia* appellata fuerunt ex *leg. ultima Cod. de Aquæduct. leg.* 8. *leg.* 10. *Cod. Theodoſ. de Proxim. comit. diſpoſiti*: Inter tot Scriniarios omnium præſtantiſſimus habebatur *Primiſcrinius numerarius*, qui præcipuum Scrinium adminiſtrabat, in quo rationes vectigalium, & numerorum ſervabantur, ex *lege* 3. *Cod. de Apparit. Præfect. Prætorio*, *leg. Scriniarii Cod. de teſtamen.* dicti etiam fuerunt Scriniarii *apparitores Magiſtratuum*, qui chartas ad ſe quiſque pertinentes, in ſcriniis cuſtodiebant *leg.* 16. *Cod. de teſtamen. milit.*

X. Hi Patricii militiæ pendebant a nutu Principis, vel Imperatoris, ac pro ejus libito mutabantur; Germanus namque Patricius, poſt mortem Gelimerii ac revocatum Salomonem, a Juſtiniano miſſus eſt in Africam, ubi inſignes ex hoſtibus victorias retulit, ut ſupra vidimus §. V. ipſe vero Salomon Magiſter utriuſque militiæ, atque Patricius erat Africæ ut Victoris Turonen. teſtimonio probat Bulengerius *lib.* 3. *cap.* 1. Apud Ducangium in *familiis Bizantinis cap.* 6. *de familia Anaſtaſii Auguſti*, memoratur Flavius Hypetius Patricius Secundini ex Sorore Anaſtaſii filius cum alio Patricio primum ab avunculo in Perſas, deinde a Juſtino Auguſto adverſus item Perſas, & Saracenos Orientem infeſtantes, miſſus: cui quadriennio poſt a Juſtiniano revocato ſuffectus eſt Beliſarius: *A Juſtiniano*, inquit, *Auguſto deinde contra Perſas, & Saracenos Orientem incurſantes cum Imperio miſſus, an. DXXIV. quadriennio poſt revocatur a Juſtiniano in ejus locum ſuffecto Beliſario*: Denique ne alios enumerem, apud Camillum Peregrinum in fragmento hiſtoriæ Longobardor. Anonymi Beneventani legitur: *Symbaticio Patricio, qui venit cum valida Græcorum manu Beneventum, eumque obſedit eo anno, quo ſedebat Urſus filius Agonis puer decennis, qui ſedit annum*

num unum, *ſucceſſor extitit Georgius Patricius*: Quapropter peracta ab iis adminiſtratione belli, Expatricii appellati fuerunt, ut pluries a nobis memoratus Gutherus oſtendit in *lib.2. cap. undeviceſimo*: *Patricii ergo hujus generis*, inquit, *magna præditi poteſtate non perpetui*, *ſed ad nutum Principis*, *ut cetera officia deſtituti ſunt*, *&* *Expatricii dicti finita adminiſtratione*: De ejuſmodi Patriciis item *cap.3. hujus libri* nonnulla diximus.

De Patriciis Provinciarum, *&* *Urbium*.

CAPUT IX.

SYNOPSIS.

I. *Duo Patricii ab Imperatore Orientis primum in Italiam miſſi*: *Alio deinde extra Italiam*. II. *Iidem Provinciarum*, *Urbiumve Præfecti*, *ac Præſides*: *Ipſi primum dicti Præfecti*, *atque Patricii*, *poſtea ſolum Patricii*. III. *Eorum Patriciatus anni in diplomatibus numerati*. IV. *Galliarum quoque Urbibus fuere Patricii*; *&* *quales*. *His Pontifices Maximi commendabant Patrimonium Eccleſiæ Romanæ*. V. *Inveſtitura Civitatum collata Patriciis cum juribus Comitatus*, *Ducatus*, *&* *Patriciatus*: *Charta hujuſmodi Patriciatus*. VI. *Sacræ cæremoniæ a Græcis adhibitæ in eo Patriciatu ſuſcipiendo*. VII. *Patricii ab Orientis Imperatoribus in Italiam miſſi Neapoli ſedem habebant*, *&* *Prætorium*. *Patricius Siciliæ quot habuerit loca ſuæ ditionis*. VIII. *Horum Patriciorum munus*. IX. *Patriciorum Cancellarii*, *&* *Statores*. X. *Patricii Romani*, *&* *Romanorum an diverſi*? *Alemanni Affirmantis eos Romæ fuiſſe Præfectos*, *opinio rejecta*. XI. *Duces Romani Qui*? *Stephano Patricio*, *&* *Duci a Zacharia PP. regimen Urbis committitur*. XII. *Gregorius* *&* *Opilio Patricii Romanorum Qui*? XIII. *Alter Patriciorum in Ita-*

Italiam adventus juſſu Juſtiniani; atque inde Exarchatus origo. XIV. *Quamdiu in Italia Patricii duraverint?* XV. *Iidem poſt revocatum Imperium Patricii Imperiales nuncupati, & Quare?*

I. POſtremum Patriciorum genus illorum fuiſſe diximus, qui Civitatibus, Provinciis, aut Pagis Præfecti, vel Præſides ab Imperatoribus conſtituebantur; de quibus hoc loco a nobis diſſerendum eſt. Poſt translatum Romanum Imperium Roma Byzantium, duos in Italiam conſtat miſſos fuiſſe Patricios: quos veluti hodie Proreges diceremus ut ſcite obſervat Vir Clariſſ. Cajetanus Cenni in *præfat. ad Chronolog. Cæſaream Pontific. tom.*4. *Anaſtaſii Bibliothecarii n.*42. Horum alteri Sicilia, Calabria, Neapolis, & Amalphia; alteri vero Beneventum, Capua, Papia cum ſubjectis cuique regionibus commiſſæ erant: qui proinde præcipua quotannis tributa pendebant Fiſco Imperatoris, ut liquet ex Conſtantino Porphyrogenit. in *libro de adminiſtr. Imper. cap.*27., *Poſt translatam Conſtantinopolim Imperii Sedem, ad Italiam miſſos ab Imperatore Conſtantinopolitano Patricios duos, quorum unus Siciliæ, Calabriæ, Neapoli Amalphiæ præerat; alter vero Benevento, Capuæ, Papiæ cum reliquis, & tributa quotannis Fiſco pendebant Imperatoris*: Hujus teſtimonio id ipſum jam pridem notarunt Peregrinus in hiſtoria Principum Longobardorum agens de finibus Ducatus Beneventani ad meridiem; & Gutherus de *offic. domus Auguſt. lib.*2. *cap.*19. Hujuſmodi primum in Italiam Patriciorum adventum frequens aliorum, minoris ordinis miſſio ſequuta eſt: quorum opera Auguſti Principes uſi ſunt in regendis Urbibus, atque Provinciis tam in Italia, quam extra. Liberaliores vero erga ſuos Græcos, & qui Græcis ſtudebant populis Imperatores fuerunt; adeout Patricii longe multi in Italiam præcipua cum poteſtate miſſi ſubinde legantur, qui Urbium, ac regionum

pro

pro Græco Imperio haberent regimen : quod probe obſervavit eruditiſſimus Caracciolus in notis ad Chronicon Lupi Protoſpatæ & in nomenclatore propriorum nominum occurrentium in quatuor a ſe editis chronicis, quibus rem ipſam Lectorum oculis exhibet. Patricii enimvero Neapolitanorum, & Amalphitanorum memorantur ab Anonymo Salernitano *par.7.* apud Peregrinum in *hiſtoria Principum Longobardor.* ubi legitur : *Marinus, qui illo tempore præerat Neapolitanis, & Manſo Patricius Amalphitanorum Salernum cum nonnullis paucis venerunt*: & paucis interjectis de Marino ipſo : *Ille Neapolitanorum Patricius*, inquit, *Marinus oblitus beneficiorum tantorum, quæ in eum Princeps Ciſulphus impenderat, oblitus etiam jurisjurandi, quod juraverat, cum omni conamine ſuiſque hominibus eum* (Landulphum) *adjuvabat* : & in fine de Manſo : *Ipſeque Amalphitanorum Patricius una cum ſuis deintus palatium cum ambobus nequiſſimis manebat* : Apud Baronium ad *ann. Chriſti DCLI.* narratur Primicerium omnium accuſantium S. Martinum Papam, fuiſſe Dorotheum Patricium Siciliæ. In annalibus Francorum ad *annum DCCXCIX.* fit mentio alterius Danielis Siciliæ item Patricii. Extra Italiam quoque Patricios cum eadem pro Græco Imperio poteſtate exſtitiſſe perſpicuum eſt. De Marcellino Patricio Orientis agitur a Guthero *lib.2. de offic. domus auguſt.cap.*19. Priſcus Orientis item Patricius memoratur a S. Gregorio Magno *lib.2. epiſt.*71. Michael Patricius Phrygiæ occurrit apud Auctorem annalium Francorum, & Alemannum in *diſſert. de Lateranen. parietin. cap.*11. Africæ, alioſque indicat idem Alemannus loco citato, & Salmaſius in *diſſert. de Secretariis in novo theſauro antiquit. roman.* collecto ab Alberto Salengre *tom.1. pag.*688. Iidemque pariter deſignantur a Nicephoro C.P. Theophane Iſaurico Paulo Diacono, aliiſque : quos brevitatis cauſſa miſſos facimus.

II. Quoniam vero memoratarum Urbium, ac Regionum

nūm Præfecturam,nonniſi Patricii obibant, factum primo eſt, ut utroque nomine, ac titulo appellarentur. Inſequenti vero tempore Præfecti, Præſidis, ſive Rectoris abrogato nomine, Patricii illius Urbis, vel Provinciæ, cui præerant, appellari cœperunt. Quod recte monuit Alemannus in *recitatæ diſſertationis capite* 11. *Qui præfecturam*, inquit, *gerebant pro ſuarum quique Provinciarum more, ac lege nuncupari conſueverunt Proconſules Africæ, Italiæ Exarchi, Siciliæ Strategi, Prætores Orientis, & aliarum regionum moderatores, Comites, Duces, Præfecti: Verum cum eas nunquam præfecturas obirent, qui ex Patriciorum gradu non eſſent, Patricii, ne quid ſupremæ in Senatu dignitati ſuæ derogatum videretur, ſuarum titulis præfecturarum* Ordinis *quoque nomen præponendum curarunt, quare paſſim apud Gregorium M., Nicephorum Conſtantinopolitanum, Theophanem Iſaurum, Paulum Diaconum, alioſque nomenclaturæ forma occurrit: Patricius & Exarchus Italiæ, Patricius & Prætor Orientis, Patricius, & Proconſul Africæ, Patricius, & Strategus Siciliæ: Sed demum, (quæ eſt inanis hominum ambitio) neglecto præfecturæ nomine licet honeſtiſſimo Patricii ſolummodo Provinciarum dici maluerunt. Hinc in Imperio illa præfectura omnium ſimilis, eademque nomenclatio*. Sed hanc denominationem, ultimo præſertim latinitatis ævo invaluiſſe optime obſervat Claudius Salmaſius in *diſſertat. de Secretariis* qui: *Primo dignitas*, inquit, (*Patriciatus*) *ſine re ab Imperatoribus excogitata, qua quælibet alia dignitas decorabatur, quaſi titulo quodam magnifico, adeout quem Patricium crearat Imperator, ſi præfecturam Prætorio poſtea daret, nuncupabatur Patricius, & Præfectus Prætorio, ita de ceteris. Unde illæ appellationes ultimo latinitatis Ævo: Patricius Africæ, qui olim nominatus eſſet Proconſul Africæ: Patricius Orientis, qui olim Patricius & Comes Orientis*: De eadem ætate loquens Petrus de Marca *lib.3. de concordia cap.*11. ſcribit: *Patricii dicti il-*

lo ſeculo , & Superioribus , qui Provincias cum ſumma auctoritate ſub Principum Imperio adminiſtrabant : Quamobrem Camillus Peregrinus in hiſtoria Principum Longobard. *de finibus Ducatus Beneventani ad Orientem* Patricii nomine obiter notat , Prætores Calabros , vel Strategos appellatos fuiſſe : *Calabri* , inquit , *Thematis Prætores , ſive cum Porphyrogenito dicas Patricii , vel Strategi.*

III. Progreſſu temporum eadem Patriciorum nomenclatura adeo invaluit , ut qui hujuſmodi locorum habebant regimen , in diplomatibus quoque , publiciſque actis , & monimentis ſeſe *Patricios* ſcriberent , annoſque Patriciatus numerarent . Profecto Georgius Patricius , qui Benevento præerat , quum immunitates , bona , jura , & privilegia Monaſterio S. Vincentii ad Vulturnum , ceteriſque huic ſubjectis Cœnobiis , ac Religioſorum Virorum domibus confirmaſſet , tum aliis , tum etiam Patricii Imperialis uſus eſt titulis ; ut videre licet ex ipſius Diplomate , quod recenſet auctor Chronici Vulturnenſis apud Muratorium in *Collectione Scriptorum rerum Italicarum* , *tom.*1. *par.*2. *lib.*4. cujus hæc verba ſunt : *In nomine Domini , Ego Georgius Patricius , Imperialis Protoſpatarius , & Strategos Cephaloniæ , atque Longobardiæ , dum reſiderem in Dei nomine intus Palatium Beneventi , Entilma facio tibi Majoni Ven. Abbati Monaſterii S. Vincentii , inſuper , & tibi Adelperto Præpoſito Beati Petri Apoſtoli* : Exſtat , & apud eumdem charta Landulphi , & Athenulphi Beneventanorum Principum , qua ipſimet Monaſterio quidquid juris ſui erat in Territorio Venafri , confirmatur , titulo præfixo ſequentis exempli : *In nomine Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni , Landulphus divina ordinante clementia , & Athenulphus Longobardorum Gentis Antipatus Patricius , & Patricius : Cum ante Patricii excellentiam petitiones recte fiant ; juſte petenti clementer favet ; quapropter noverit omnium Fidelium noſtrorum , præſentium , ſcilicet , & futurorum ſagacitas :*

Ma-

Maconem dilectiſſimum noſtrum, obſecraſſe noſtram clementiam, quatenus concederemus &c. In alio vero diplomate, quo iidem Principes Sancti Vincentii Monachis ampliorem in Urbe Capua domum conceſſere, deſcripto in recitato Chronico, Patriciatus deſignantur anni, hoc pacto: *Data XVI. Kalen. Decembris anno V. Patriciatus Domni Landulphi, & Domni Athenulphi Excellentiſſimorum Principum indict. III. actum Capuæ*: Pro re nata, notatione quoque dignum eſt apud Chronographum vetus monimentum, quo Joannes Abbas Caſſinenſis, & Godelpertus Abbas S. Vincentii ad Vulturnum permutationes nonnullorum bonorum fecerunt; cujus hic conſulto partem deſcribimus: *In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti anno Imperii Domni noſtri Conſtantini VII. & V. anno Patriciatus Domni noſtri Landulphi, necnon, & V. anno Domni noſtri Athenulphi Principis menſe Novembri III. indictione &c.* & infra: *Et dum utriſque congrueret ex utraque parte nunciavimus hoc ſupradicto Domno Landulpho Illuſtriſſimo Patricio, ut illo permittente hanc inter nos firmaremus commutationem: Ipſe autem piiſſimus Patricius pro amore Omnipotentis Dei, & animæ ſuæ mercede accerſitum miſſum noſtrum fidelem, & dignam perſonam, nomine Wiſenolphum, & direxit eum miſſum ſuper utramque terram, ut diligenter conſpiceret, atque conſideraret utraſque terras, ne forte melior eſſet illa commutatio de illa &c.* (& infra) *ſupraſcriptus Catholicus Patricius audita æqualitate hanc commutationem fieri præcepit.*

IV. Præcipui etiam in Galliis fuere Patricii. De Amulo Patricio Provinciæ, quæ Gunthranno Regi parebat mentionem ingerit Warnefridus *lib.3.de geſtis Longobard.* Dynamii Patricii Galliarum meminit S. Gregorius Papa cognomento Magnus *epiſt.23. lib.2.* Eum, Rectorem Provinciæ, & Maſſiliæ noverat Gregorius Turonenſis *lib.6. cap.7. hiſtor. Francorum*, ipſique in eadem præfectura ſucceſſiſſe Arrigium, & Aſclepiodotum item Pa-

tricios teſtatur idem Gregorius, & notant quoque Nicolaus Alemannus in *diſſert. de Lateran. parietinis cap.* 11. & Franciſcus Lavonius de *Sanctis Franciæ Cancellariis Syntag. hyſtor. in ſchediaſm. de referendar. & Cancel.* de Gunthrammo Rege verba faciens. Idem de Cancellarii nomine officio, & dignitate differens Patriciatus hujuſmodi dignitatem Regiæ comparem putat, eamque plerumque attributam Cancellariis fuiſſe exiſtimat; licet alio in loco eam dignitatem militarem appellet. Quo porro jure in creditis ſibi locis uſos fuiſſe vidimus Græcos Patricios, eodem in aſſignatis ſibi Urbibus, atque Provinciis potiebantur Galli. Conſtat ſiquidem ex Gregorio Turonenſi, aliiſque Gallis Scriptoribus memorato Gunthramno Rege, Patricios plures, Rhodano finitimas rexiſſe Provincias, quod notat, & Bignonius in *notis ad Marculphum lib.* 1. *cap.* 25. Qua de re Dadinus Altaſerra in *obſervat. ad epiſt.* 23. *S. Gregorii Papæ libro* 2. *Ea*, inquit, *ætate fuere Patricii in Gallia, quod genus dignitatis illic inventum Reges Francorum admiſerunt*: Idem docet Petrus de Marca de *concordia libro* 1. *cap.* 12. Patriciis hiſce adeo propria Civitatum præfectura fuit, ut apud Scriptores Gallos Patricii non alia fere ſignificatione recurrant, quam veluti Civitatum Rectores, ac Præſides, quod diligenter monuit Lodovicus Morerius in *dictionario hiſtorico gallico, verbo Patriciens*: *E comme*, inquit, *c'etoit du rang de ces Patrices, qui ont choiſſoit les Governeurs de Provinces*; *de la vient, que le nom de Patricies ſe prend aſſez ſovvent dans les auteurs de ce tems la pour marquer un Governeur*: Ipſis Pontifices Maximi Romanæ Eccleſiæ Patrimonium, quod erat in Galliis commendabant, ut alibi vidimus, conſtatque *epiſt.* 6. *lib.* 5. S. Gregorii Magni ad Dynamium Patricium, cui ſcribit, ſe per Hilarium accepiſſe quadrigentos ſolidos Gallicanos de reditu Patrimonii Eccleſiæ quod erat in Gallia: in epiſtola quoque 23. *lib.* 6. ad Theotiſtum Patricium teſtatur

ſtatur ſe ab eo accepiſſe xxx. libras auri, quarum xv. diſtribuiſſe in captivorum redemptionem, xv. in Lectiſternium Sacrarum Virginum impendiſſe.

V. Quoniam vero memorati Patricii Provinciarum, vel Civitatum, ut hactenus vidimus, erant Præſides, Præfecti, Rectores, vel uti mos Regionis ferebat, Duces, Comites; iis earumdem inveſtitura a Summis Principibus concedebatur cum juribus hujuſmodi dignitatum adjunctis Patriciatui. Hinc Dudo Sanquintinius *lib.3.* quem Gaſpar Barthius in *Guiellmi Brittonis Philippidos lib.6. n.424.* refert: *Erit iſte*, inquit, *nobis congruus Dux, Comes, Patriciuſque hæreditarius ejuſque præcepto per omnia obtemperabimus*: & inde: *Defuncto & Patre Dux, Patricius, & Marchio habebitur*: itemque de quodam Richardo verba faciens: *Tunc Richardus*, ait, *recolendæ memoriæ Dux, Marchio, & Patricius præcellentiſſimas grates Deo reddidit*. Idipſum diſcimus tum ex aliis antiquis monimentis, tum etiam ex codicillis ſeu formula collationis ejus generis Patriciatus relata a Marculpho *lib.1. antiquar. formular.* quam rurſus hic eruditis Lectoribus exhibemus.

CHARTA DE DUCATU, PATRICIATU, VEL COMITATU.

Præcipue regalis in hoc perfecta conlaudatur clementia, ut inter cunctum populum bonitas, & vigilantia requiratur Perſonarum. Nec facile cuilibet judiciariam convenit committere dignitatem, niſi prius Fides, ſeu ſtrenuitas videntur eſſe probatæ. Ergo dum & Fidem, & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem Comitatus, Ducatus, Patriciatus in pago illo, quem anteceſſor tuus ille uſque nunc viſus eſt egiſſe, tibi ad agendum, regendumque commiſimus; itaut ſemper erga regimen noſtrum Fidem illibatam cuſtodias: & omnes populi ibidem commanentes tam Franci, Romani, Burgundiones, & gu- ber-

bernatione tua degant, & moderentur; & eos recto tramite ſecundum legem & conſuetudinem regas; Viduis, & pupillis maximus defenſor appareas, Latronum, & Malefactorum ſcelera a te ſeveriſſime reprimantur : ut populi ſub tuo regimine gaudentes debeant conſiſtere quieti, & quidquid de ipſa actione in fiſci ditionibus ſperatur per vos metipſos annis ſingulis ærariis inſeratur.

VI. Apud Græcos antequam eum Patriciatum quiſquam ſuſciperet, uſus, & ritus invaluit, ut in magnam Eccleſiam procederet, ibique ſacras preces ſuper ipſum certis adhibitis cæremoniis Patriarcha Conſtantinopolitanus recitaret, quas legere licet apud Jacobum Goar in Euchologio Græcorum *pag.*931. nimirum hac in re cæremoniæ celebrabantur juxta antimenſia Catechumenorum Magnæ Eccleſiæ, vel in ſolea, appoſita ibidem menſa cum Altaris mantili, & præſanctificatis; ac Diaconus ſequentem collectam recitabat.

Domine Deus, qui in cælo, & in terra omnis Imperii virtutiſque poteſtatem habes, cui Servum tuum N. Patriciatus Magiſtratum ſuſcipere complacuit; poſtulata ſaluti conducentia ipſi concede, & Subditos in juſtitia, & æquitate ipſum judicare, ut in quibus verſatur, tibi placeat largire: Fac illum pauperibus & egenis omne miſericordiæ opus demonſtrare, & ejus adminiſtros in pace, & ſubjectione agere permitte. Germina quoque terræ ad omnis populi tui abundantiam multiplica: quia tua eſt poteſtas, & tuum eſt Regnum.

Poſt hanc a Diacono recitatam collectam Sacerdos, qui ipſe quoque aderat, precabatur hunc in modum.

Diaconus capita veſtra. Sacerdos precatur.

Domine Deus noſter, omnis creaturæ opifex, exaudi preces noſtras, & cunctas ſalutis conducentes petitiones, illi largire, ut juxta voluntatem tuam creditam ſibi poteſtatem

ſtatem adminiſtret, & tandem cæleſtis regni particeps fiat; tu enim es Deus noſter; & tibi gloriam referimus.

Tandem ſuper menſa, in antimenſio repoſitam ſtolam Sacerdotalem Patriarcha accipiebat, eamque a cæremoniis tradebat, quam iſte imponebat Patricio, qui tunc venerabatur ac oſculabatur Patriarcham. Communicabat poſtmodum, & diſcedebat.

VII. In Italiam ab Græcis Imperatoribus miſſi Patricii Sedem præcipuam habebant Neapolim, quam *Tabernaculum*, etiam, & *Prætorium* appellabant antiquitus. Qui Neapolitanæ præſidebat urbi, Siciliam quoque regebat Patricius: quo ad Civitatem appellente, Dux Neapoleos in Siciliam abibat, ut conſtat ex Conſtantino Porphyrogenito qui paullo ante recitato loco ſic ſcribit: *Neapolis antiquum Prætorium erat Patriciorum, qui mittebantur, & illum, qui tenebat, idem in poteſtate Siciliam quoque habebat. Cumque Patricius Neapolim appelleret, Dux Neapoleos in Siciliam abibat*: Neapoli, Siciliæque imperans Patricius multas ditioni ſuæ in Campania Lucania, Apulia, Sannio, Calabria, & alibi ſubjectas habebat regiones, & Urbes, locaque fere omnia, quæ citra Farum ſita erant Teſte Camillo Peregrino in *hiſtoria Principum Longobardorum de finibus Ducatus Beneventani ad meridiem*. Adriano I. Summo Pontifice & Carolo Magno imperante idem Patricius auſus fuit plures Urbes poteſtati ſuæ ſubjicere quæ Romanæ Eccleſiæ ſubjectæ erant: qua de re idem Pontifex cum Carolo conquerens *epiſt.72.* ſic ſcribit: *Hoc cognoſcat a Deo protecta Eccellentia veſtra, quia aliquantas Civitates noſtras Campaniæ (Romanæ) operantes æmuli veſtri, atque noſtri neſandiſſimi Beneventani, ipſi noſtro populo perſuadentes ſubtrahere a noſtra ditione decertant una cum habitatoribus caſtri Cajetani, ſeu Terracinenſium, obligantes ſe validis Sacramentis cum ipſo Patricio Siciliæ, qui in prædicto caſtro Cajetano reſidet, & decertant a poteſtate, & ditione Beati Petri, & noſtra eoſdem*

eoſdem Campanos uſurpare, *& Patricio Siciliæ ſubjugare*: Cajetam etenim, atque adjacentia illi oppida ad oſtia liris uſque ad trajectum, quod Joannis Papæ VIII. aſſeritur *epiſtola* 69. *&* 74. Romano Pontifici paruiſſe diſcimus ex Erchemperti *Chronicis num.*65. itemque ex Leone Oſtienſi *lib.*1. *cap.*42. ubi teſtatur: Pandenulphum Capuæ Comitem, ſive Caſtaldum, Joannem VIII. Pontificem Maximum rogaſſe, ut dominatui ſuo Cajetam ſubderet: Nam Cajetani eo tempore Romano tantum Pontifici ſerviebant; quod refert etiam Camillus Peregrinus agens de *finibus Ducatus Beneventani ad meridiem*.

VIII. Patriciorum in deſignatas Urbes, ac regiones regimini conjuncta, & ut ita dicam, individua erat ſubjectis populis jus dicendi poteſtas, ac defenſionis adminiſtratio. Quapropter, quum Suidas Patricios definiat: communes Reipublicæ Patres: eo nomine non *præſentales Patricios*, quorum nuda dignitas fuit, ſed hos *præfectorios* intellexiſſe facile ſentio cum Alemanno *cap.*11. Id ipſum liquet ex decretali epiſtola prima S. Anacleti Papæ, quæ in Decreto Gratiani eſt inſerta in *canone omnis oppreſſus* 2. *quæſt.*6. in quo poſtquam a Summo Pontifice decernitur ordo cognoſcendarum cauſſarum ad Clericos pertinentium; ut ſi quis a judicio Minoris Prælati eſſet oppreſſus, recurſum habere poſſet ad Patriarcham, ad Primatem, & ad Concilium: negocia deinde ſæcularia coram Patricio tractanda decrevit: *Omnis oppreſſus*, inquit, *libere Sacerdotum appellet judicium. Si autem difficiles cauſſæ, aut majora negocia orta fuerint, ad majorem ſedem referantur. Et ſi illic facile diſcerni non poterunt, aut juſte terminari, juſte & Deo placite coram Patriarcha, aut Primate Eccleſiaſtico, & coram Patricio ſæculari judicentur negocia in commune*: Non me fugit, decretales, ac epiſtolas Anacleti Papæ apocryphas, falſas, & ſuppoſitas pleroſque viros criticos exiſtimare: ipſorum tamen adverſa judicia nobis haud in magno ſunt ponenda diſcrimine:

mine: quoniam operi noſtro illud quoque plurimum confert; ut tali re ut antiqua propoſita; ab Auctore quoque epiſtolarum ſub nomine falſi Anacleti id colligere liceat, Patricios præſtantiſſima poteſtate ſubjectis populis jus dicendi potitos fuiſſe.

IX. Ob id ſuos ipſi habebant Cancellarios: certe Narſeti, Italiæ Patricio Cancellarium fuiſſe docet Jacobus Gutherus *lib.2. cap.19.* In vetuſtis actis S. Januarii Archiepiſcopi Beneventani *lectione* 8. relatis a Falconio in *ejuſdem hyſt. lib.2.* legitur: *Moxq. duo Cancellarii Patriciorum Ecius videlicet, & Sigiſvulgus ſpumantibus equis ſuperveniunt.* Patricium Africæ ſuum Cancellarium habuiſſe diſcimus ex *epiſt.2.* S. Gregorii Magni ex qua id etiam conſtat, eos aliquando ad Principes Maximos negocii cauſſa fuiſſe miſſos: *Filius noſter Gennadius Patricius* (inquit recitato loco idem Pontifex) *ſuum ad nos pro cauſſa eadem, Cancellarium deſtinavit*: Eos extitiſſe veluti a ſecretis, & aprocriſarios, monet Bulengerus de *Imperat. & ImperioRom. lib.2. cap.23.* vigebatque eorum miniſterium potiſſimum in aula Principum, ut liquet ex Vopiſco in *Numeriano*: Sed Patriciorum Cancellarii judicandi poteſtatem probabant, ac erant milites ad ſecreta Judicis electi, ut arbitratus fuit Jacobus Gutherus eodem loco: *Cancellarii*, inquit, *Patriciorum judicandi poteſtatem probant; Cancellarii enim milites ſunt ad ſecreta judicum electi*: vel ut explicat Franciſcus Lanovius de *Sanctis Franciæ Cancellariis ſyntagm. hiſtor. in ſchediaſmate de Cancellar. nom. offic. & dignit. Qui enim judicum Patriciorum &c. judicata excipiebant, & reſponſa dabant etiam Cancellarii appellati ſunt.* Budeus in prioribus ad Pandectas adnotationibus altius Cancellariorum originem, & dignitatem repetit, tum etiam ejus munus præcipuum, parteſque deſignat: quæ ſi non omnino, non uno ſaltem nomine congruunt Cancellariis Patriciorum, qui ampliſſima in Italia, & alibi poteſtate fungebantur.

Præter Cancellarios, *Stratores* etiam fuere Patriciis. Varnefridus *lib.4. de geſtis Longobard. cap.4.* teſtatur: Stratores in officio Præſidis, aut Proconſulis equum freno tenebant, eique ab equo deſcendenti opem ferebant. Equos etiam militares probabant, qui conferri debebant a Provincialibus, ut liquet toto titulo Codicis de Stratoribus, quorum itidem mentio fit in *libro 6. Cod. Theodoſ. tit.33.* ab Ammiano Marcellino *lib.29.* Julio Cæſare Bulenger. *lib.3. cap.* 21. De iiſdem videſis & Godeſcalcum Stevvechium in *Commentariis ad lib.1. Vegetii de re militari c.7. pag.24. & lib.3. cap.10. pag.232.* Poſtremo memoratos Patricios, Provincias, vel Urbes, quibus præerat, ad nutum Cæſaris rexiſſe, cenſet Nicolaus Alemannus *cap.11.*

X. Ab Regionum, & Urbium Patriciis ad illos, qui Romani, & Romanorum a pleriſque appellantur gradum facimus. Inter eos, de quibus hactenus verba fecimus, laudatus Alemannus promiſcue, nulloque adhibito examine, numeravit, & Gregorium Patricium Romanorum, cujus meminit Paulus Diaconus in *lib.4. de geſtis Longob. cap.14.* Voluſianum Urbis Patricium memoratum ab Henrico Monacho. *lib.6. de Vita S. Germani*, ac Tertullum Romanæ item Urbis Patricium in quodam antiquo adnotatum ſaxo, quem Caſſinenſes eum Tertullum cenſent, a quo multa bona, jura, & privilegia accepiſſe teſtantur. Hos porro Patricios, quos Alemannus *Romanos*, vel *Romanorum* nomine diſtinctos comperit, eodem jure, eademque ſignificatione, ac ceteros aliarum Urbium, ac Provinciarum Patricios intelligit; proditque Romanos fuiſſe Præſides atque Præfectos. Jam ſupra *cap.3. bujus libri* de Patriciis hiſce, qui ante Caroli Magni ætatem Romani, vel Romanorum nuncupabantur, pauca diximus: nunc autem exactior de ipſis habendus eſt ſermo: refellendique illi potiſſimum a nobis ſunt, qui pro Græcorum Imperatore, vel Longobardorum Rege præfectura functos perperam prodidere. Ac primum quidem animadverto,

eos

eos Græcos fuiſſe Patricios, nec alia de cauſſa appellatos *Romanos* quam, ut Romano ſe Imperio ſubjectos indicarent, ſive ad gentis aperiendam originem. Mos ſiquidem erat antiquitus, Græcos paſſim appellari *Romanos*, propterea quod Conſtantinopolis *nova* eſſet *Roma:* ut erudite, graviterque oſtendit Peregrinus in *hiſtoria Principum Longobard. ſub titulo de finibus* Ducatus Beneventani ad meridiem, & alibi. *Græcis*, inquit, *nempe, quos Græcorum more ob novam Romam, appellat Romanos*: Pro re ipſa illuſtranda expendit auctorem itinerarii S. Willibaldi apud Surium *die 7. Junii*, qui quum Roma Terracinam, Cajetam, inde Chryſopolim maritimo itinere profectum memoraſſet addit: *Iſtæ Civitates ſunt Romanorum, in Beneventanis ſunt, ſed tamen Romanis ſunt ſubditæ* : Ubi Romanorum vocabulo Græcos acceptos, ac intellectos exiſtimat. Nec præterea alienum eſt, ut juxta antiquum Italiæ morem, quo quiſquam a Patria ſibi cognomen inderet, eos, de quibus agimus, Patricios Romanos appellatos fuiſſe credamus ab Urbe; certe hujuſmodi mos ducendi cognominis apud Romanos, & Ravennates viguit: lateque ſubinde in aliis Italiæ Regionibus obtinuit; eo ferme modo, quo nunc Principes Romanos, Neapolitanoſque dicimus, quod Roma, atque Neapoli genus ducunt: non vero, quod in alterutra dominentur Urbe. Præclare ſane Theodoricus Monachus in Vita S. Firmani Abbatis, quam anno Chriſtianæ ſalutis altero ſupra milleſimum ſcripſit *cap. 2. Beatus*, inquit, *Firmanus ante tempora ſecularia ab æterna Dei ſcientia præſcitus, & prædeſtinatus, uti noſtra compertum eſt notitia, Firmanæ Gentis extitit oriundus, quæ a Civitate, quæ Firmana nuncupatur genuinæ ſedis vocabulum mutuaſſe dignoſcitur; quia moris erat antiquitus quatenus ſibi ex propria patria dulcia conderent vocabula: uſus quippe ipſe apud Italos uſque in præſentiarum poſſim vigere viſitur potiſſime tamen apud Romanos, & Ravennates, ut uterque ſexus ex Urbium vocabulis nobilitatem*

trabat proprii nominis : Alia quidem ſententia S. Petrus Damianus, qui floruit XI. Chriſti ſeculo in *epiſt.6. ad Henricum Ravennatem Antiſtitem cap.29.* vocat Romualdum *Camerinenſem*, Amicum *Rambonenſem*, Guidonem *Pompoſianum* Firmanum *Firmenſem*, non quidem a Patria, ſed a domicilio. Ab ſcriptoribus tandem mediæ ætatis quam ſæpiſſime, pro iis, qui nec Græci, nec Romani erant, ſignificandis id Romanorum nomen eſt adhibitum, ſed ad Barbarorum dumtaxat diſcrimen indicandum : *Eſt autem advertendum* (inquit Peregrinus *in hiſtoria Princip. Longobar. de finibus Ducatus Beneventani ad Septentrionem*) *vocabulo Romanorum ab ignoto Caſſinenſi, nec Græcos, nec Urbis Romæ demonſtrari Cives, ſed juxta tertiam quamdam acceptionem ab auctoribus mediæ ætatis uſurpatam, ſic dictos Italiæ primitivos incolas, & indigenas; qua etiam nomenclatura appellatos quandoque conſtat, reliquos populos omnes extra Italiam poſitos, Romanoque olim imperio ſubjectos ad Barbarorum nimirum diſcrimen* : Idem ſenſiſſe, ac indicaſſe videtur etiam S. Ambroſius in *Epiſt.2. ad Timotheum* : *quos conſtat*, inquit, *in Societatem Romanorum receptos ut de cetero appellarentur Romani*. Porro quum varia, atque multiplex fuerit ſignificatio Romani nominis, nulla valida ſubeſt ratio, cur Romanos, ac Romanorum illos Patricios, non alios, quam Romanæ Urbis Præſides, Præfectoſque intelligendos eſſe contendamus : quum alioquin liquido conſtet hanc ipſam nomenclaturam Romani, aut Romanorum Patricii, qui Romanam Urbem, civeſque ſpectaret, nonniſi Caroli Magni Ævo apud Italos invaluiſſe.

XI. Quo manifeſtius præterea eliminentur, quæ de iſtis Patriciis, tanquam Romanæ Urbis Præfectis falſa commenta in medium afferuntur; præſtat hic opportune animadvertere : per hæc tempora Romæ Duces extitiſſe, qui ibidem, & in reliquas Romano Ducatui ſubjectas Urbes

bes

bes Pontifice Maximo concedente imperabant; non ſecus profecto, quam ut hodie vidimus præpoſitum eſſe litibus judicandis inter Cives, & incolas Senatorem Urbis. Earum ſeriem ab anno DCCXI. accurate collegit Vir Clariſs. Joannes Franciſcus Baldinus in *notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium in vita Conſtantini ſect.176. tom.4.* omniumque primum profert ex ipſo Anaſtaſio quemdam Chriſtophorum, cujus mentio habetur in Vita Conſtantini Summi Pontificis ea occaſione, quod cum Philippicus Imperator hæreticus, & impius Sacrarum imaginum oſor Romam miſiſſet quemdam Petrum ad obtinendum Ducatum Romanum; Populus univerſus tunc zelo fidei accenſus noluit Petrum illum excipere; ſeſeque Chriſtophoro Duci armatum exhibuit, ut eo Duce adverſus Petrum decertaret, eumque ab ingreſſu Urbis, & Magiſtratus arceret. Unus hos inter, qui & poſtremus Dux fuit, ut ex ipſo Anaſtaſio colligitur, occurrit Patricius, qui tamen nec Romanæ Urbis, aut Romanorum Patricius appellatur. Huic anno DCCXLIII. Urbis regimen relictum fuit a S. Zacharia PP. ad Luitprandum Longobardorum Regem pro Ravennatum ſalute profecturo, ut habetur ex laudato Anaſtaſio in *Zacharia ſect.213. Nominatus Sanctiſſimus Vir trophæo fidei munitus relicta Romana Urbe jam dicto Stephano Patricio, & Duci ad gubernandum, non ſicut mercenarius, ſed ſicut vere Paſtor relictis ovibus, ad eas, quæ perituræ erant, redimendas occurrit*: Ex hoc porro conſequitur nunquam Patricios potitos fuiſſe jure Præfecturæ Urbis tanquam a Græco Imperatore conſtitutos, quod iis temporibus Duces ex conceſſione Pontificis jus Romæ dicebant. Quidquid autem de memoratis Ducibus dixerint Binius, & Labbeus exiſtimantes eos miſſos Romam fuiſſe ab Imperatore Orientis, relati in *notis ad Anaſtaſium in Vita Conſtantini*, ſcite notat, ſolidiſque probat rationibus laudatus Baldinus, quod quum interim Duces illi imperabant, ſupremum in ipſam Urbem, & Ro-

Romanum Ducatum jus erat penes Pontificem Maximum. Et ſane ſi Duces, vel Romanorum Patricii pro Græco Imperatore Romæ imperaſſent, utique nec Romani Petrum illum reſpuiſſent, quem Imperator ad ipſum Ducatum obtinendum miſerat, nec Zacharia jus ſibi arrogaſſet conſtituendi Stephanum Patricium, pro Urbis regimine ob ſuum ab Urbe diſceſſum. Quod ſi dum procul eſt ab Urbe Pontifex præcipua deſtinatione, qui illam gubernet, conſtituit, certiſſimum eſt, quod quum præſens eſt, penes ipſum reſideat ſummum, & unde quaque ſupremum Dominium, jus, & regimen, nec alii propterea Duces illi fuerint, quam ipſius Pontificis Adminiſtri.

XII. Hujuſmodi rationum, & veteris hiſtoriæ momentis noſtra de Romanis Patriciis vallata ſententia, excutiendus nunc eſt, quis ille ſit Gregorius, qui a Paulo Diacono dicitur *Patricius Romanorum*. Certe Exarchatui ipſe Ravennæ præfuit medius inter Theodorum Calliopam, & Joannem Platonem Patricios; eoque propterea nomine Patricii Romanorum eſt appellatus, ad indicandam nimirum præfecturam populorum Exarchatus, qui tunc Imperio Græco, Romano ſubjecti erant. Et quidem præcipue: quum Exarchatus ipſe *Romania*, ſatis, ſuperque vulgato apud Scriptores, vocabulo diceretur; unde, & nunc *Romagna* corruptum apud Italos nomen ortum habuit. Qua de re, qui Romanorum dicebatur Patricius, non alius erat, quam Exarcha Romaniæ præfectus. Quod animadvertit Vir Clariſſimus Juſtus Fontaninus Ancyranus Archiepiſcopus in præfatione ad *Commentar. de Sancta Columba*. Eodem titulo Patricii Romanorum in quadam antiqua charta Latino barbara inſignitus occurrit Opilio apud Cavacium in hiſtoria Abbatiæ S. Juſtinæ Patavii ipſumque Patricium nobiliſſimi Cœnobii Scriptor idem Fundatorem prodit. Sed eam chartam, nec integram, nec ſinceram agnovit recitato loco Fontaninus, utrum jure an injuria non diſputo. E re tamen ducimus illam

illam hic ſubjicere Lectorum oculis. *In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, Imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino a Deo Coronato Pacifico, Magno Imperatore anno quintodecimo ſub die menſis Junii, indictione prima Domino Sancto, & merito ter Beatiſſimo, ſeu, & Venerabili Monaſterio Sanctæ Juſtinæ Virginis, & Martyris, ubi corpus Sanctæ Juſtinæ, & Sancti Proſdocimi, & multa corpora aliorum Sanctorum requieſcunt: quod eſt conſtructum foris Urbe Patavenſi, ubi multæ res e bonis hominibus delegatæ ſunt; ego quidem in Dei Omnipotentis nomine Opilio Patricius Romanorum dono &c.* In ea in fine ſe ita ſubſcribit *Ego Opilio glorioſus Imperialis Patricius Romanorum*: In marmore autem ipſi Opilioni in eodem Monaſterio S. Juſtinæ erecto, vocatur Patricius Romanus, de quo tamen dubius hæret Mabillonius in annalibus Benedictinis. Decimi præterea ſæculi inſcriptionem eſſe, non ſine ſexti ſæculi ſtudioſa imitatione confectam ſuſpicatur recitato loco Fontaninus, qui Opilionem ipſum, itemque Gregorium Ravennates Exarchas extitiſſe affirmat: eo præcipue fretus argumento, quod Exarcharum Ravennatum maxime proprius, ac familiaris fuit titulus: *Glorioſus Imperialis Patricius Romanorum*: Ejus verba ex italico opere hæc ſunt, a nobis Latine reddita: *Quærenti de hoc Opilione expendens ego titulum Glorioſus Imperialis Patricius Romanorum præcipuum, & uſurpatum ab exarchis octavo ſæculo, facile illum Ravennæ Exarcham aſſererem. Qui hæreticis ſuorum Principum Iconoclaſtarum edictis minime adhærens, animæ ſuæ conſuluerit: dotanſque Cœnobium Sanctæ Juſtinæ ſeſe Patavium receperit, ibique vita functus ſit*: Et paullo poſt: *Noſter Opilio Patricius Romanorum certe fuit Exarcha Ravennæ, Conſtantino Copronymo imperante: Locanduſque erit inter Paulum, & Eutitium, qui poſtremus hujus Urbis fuit Exarcha.*

XIII. Opportuna Exarcharum Ravennatum ingeſta mentio de Exarchatus origine pertractandi occaſionem præ-

præbet : Ad cujus Magiſtratus munus obeundum, Patricii ab Orientis Imperatoribus identidem mittebantur. Exactis enim a Juſtiniano Cæſare Gothis ab Italia, eique Belliſarii, & Narſetis opera, priſtina tranquillitate parta: eorum alter, nempe Narſes renunciatus eſt Patricius Italiæ, ut liquet ex titulo epiſtolæ Imperatoris ad ipſum Ducem ſcriptæ apud Cujacium libro 10. *Obſervationum cap.* 12. & referunt Joannes Jacobus Draco *lib.* 2. *cap.* 2. & Nicolaus Alemannus *in diſſertat. cap.* 11. De ipſo præclarum, hodieque Romæ monumentum exſtat in Ponte Salario: quod recenſuit Antonius Auguſtinus *Emendationum lib.* 3. *cap.* 5. Hic Narſes Patricius, omnium primus occurrit nuncupatus *Exarcha Italiæ*, quo eum nomine appellat Paullus Diaconus in libro *de geſtis Longobard.*, cui ſubſcribit & Draco eodem loco. Quamquam non deſint, qui opinati fuerint omnium primum ex Italiæ Patriciis Longinum fuiſſe Exarcham, quem tamen ex eodem Paullo Diacono conſtat Narſeti ſucceſſorem delectum: quod animadvertit & Platina *in vita Stephani II. Romani Pontificis pag.* 102. Narſete itaque res Italiæ moderante, hujuſmodi novus Magiſtratus eſt invectus, ſummuſque habebatur, propterea quod nomen Exarchæ a jure ſupremæ Præfecturæ ortum duxit, ac derivatum eſt, eodem obſervante Dracone, loco citato, & Peregrino *in hiſtoria Principum Longobard. ſub titulo de finibus Ducatus Beneventi ad meridiem*. Exarchatus enim vero jure, Patricii univerſæ præerant, ac dominabantur Italiæ. Quare legimus apud Baronium ad annum DCXLIX. *tom.* 8. *Audiens hæc Imperator Conſtans, quod defunctus eſt Iſacius, miſit Theodorum Patricium Exarcham ad regendam omnem Italiam*. In veteri Inſcriptione marmorea, quam Præſul Blanchinus immortali dignus memoria ab ſe Ravennæ deſcriptam in Eccleſia S. Apollinaris in Claſſe publicæ lucis fecit in præfatione eruditiſſima *tom.* 1. *Anaſtaſii Bibliothecarii*, mentio fit de Eutuchio Patricio Exarcha

archa

archa ultimo Italiam gubernante. Ex qua hanc particulam decerpſimus.

CONSTANTINO VERO A DO CORONATO
IMP. ANNO XI. GVVERNANTEM ITALIA
DN EVTVCHIO EXCELL PATRICIO

Non alii propterea Exarchæ erant, quam Patricii, qui Græcorum Imperatorum vices gerebant, locumque obtinebant eo munere. Illorum nomenclaturam, quamvis non integram exhibet Honuphrius Panvinus *libro* 1. *Romanor. Principum*. Ipſorum geſta accurate deſcripſit Theſeus Franciſcus a Cornu libro, vulgari ſermone, edito: *Ravenna dominante*, & eorum ſeriem poſtremo doctiſſime, & eleganter collegit Vir Clariſs. Cajetanus Cenni *in præfat. ad Chronolog. Cæſaream Pontific. Anaſtaſii Bibliothecarii tom*. 4. *num*. 79. Quoniam vero Ravennæ erat præcipua illorum ſedes, ut conſtat ex hiſtoricis, ac diverſi generis antiquis monumentis, fere *Patricii Ravennæ* dicti leguntur, omiſſo Exarchæ titulo, quemadmodum videre licet ex Paulo Diacono *de geſtis Longobard. lib*. 3. *cap*. 26., qui Smaragdum *Ravennæ Patricium* nuncupat. Id animadvertit & Alemannus recitato *cap*. 11. *Qui exinde*, inquit, *in Provincias miſſi ſunt Exarchi*, *qui eo demum abrogato nomine*; *Patricii* (*quæ jam imperii lex erat*) *ſunt appellati*: Patricios etiam Italiæ eos fuiſſe nuncupatos, quod ad Italiæ adminiſtrationem ab Imperatoribus ſummo cum imperio mittebantur, obſervat Petrus de Marca *de concordia lib*. 1. *cap*. 12. *Unde Patricii Italiæ*, inquit, *a Scriptoribus aliquando dicuntur*.

XII. Hujuſmodi in Italia Patriciatus, ſeu Exarchatus duravit, quouſque Aiſtulphus Longobardorum Rex Urbem Ravennam, omnemque Exarchatum poteſtati, ac ditioni ſuæ ſubegit: viguitque annos centum ſeptuaginta quinque, ut colligit Draco loco citato, quem tamen annorum numerum quidam augent, alii minuunt: quemad-

M m mo-

modum videre licet ex Panvino ſupra allegato. In Bibliotheca Vaticana olim Ducum Urbinatum *num.* 810. *M. S.* opus exſtat Guillelmi Vallæ Presbyteri Regienſis *de Italiæ Exarchatu ad Adrianum VI. Pontificem Maximum*: quo diſquiritur, a quibus Principibus, quibuſve gentibus ſummus hic Magiſtratus originem duxerit: quouſque ſuos protulerit limites; in quorum ditionem venerit: quo demum tempore deſierit; ejuſque nomen obſoleverit. Ultra tamen præſignatam ætatem nonnullæ in Neapolitano Regno Urbes, ac Regiones habuere Patricios, poſt Aiſtulphum nimirum Longobardorum Regem, atque Imperium Caroli Magni; ut oſtendit Pacichellus in opere, cui titulus: *Il Regno di Napoli in proſpettiva*, ubi eorumdem Patriciorum catalogum texit ab anno DVI., quo Beliſarii Patricii virtute, & opera Gothos ab Italia Juſtinianus expulit ad annum Virginei partus MLVIII.: illorum agmen claudente Tombo Patricio, qui cum poteſtate ab Iſacio Comneno miſſus eſt. Quamvis autem Hieronymus Bignonius in epiſtola ad Lectorem præfixa notationibus ad Marculphi Monachi librum formularum teſtatus ſit: *Patricios ſub Carolinis raro, aut nunquam reperiri a doctis obſervatum eſſe*: perſpicue nihilominus conſtat ipſum Carolum Magnum Arichiſio Duci Patriciatus dignitatem contuliſſe, quam is una cum Ducatu Beneventano petierat: Ad eum vero Patricium conſtituendum ſuos Carolus Legatos miſit: referente Sirmundo *tom.* 2. *Conciliorum Galliæ pag.* 27. itemque Mabillonio *lib.* 2. *de re diplomatica cap.* 3.

XIII. Occurrit ſubinde Gregorius Imperialis Patricius, qui anno ab ortu Salvatoris DCCXCII. ſuam Beneventi ſedem habebat, ut conſtat ex ejuſdem diplomate recitato in Chronico Vulturnenſi apud Muratorium *tom.* 1. *p.* 2. *rer. Italic.* Refertur & a Viro Cl. Eraſmo Gattola *in hiſt. Abbat. Caſſinen. p.* 1. *ſeculo V.* cujuſdam conceſſionis charta Waimarii Principis Salernitani, in qua ita legitur:

tur: *Nos Waimarius in Dei nomine Princeps, & Imperialis Patricius*. Is eodem referente auctore, cum Patre Princeps Salerni eſſe cœpit ab anno DCCCLXXVII., deinde ſolus ab anno DCCCLXXX. demumque cum filio Gaimario II. ab anno DCCCXCIII. ad CMI. Landulphus, & Athenulphus Principes Longobardorum, qui eodem inſignes titulo vivebant anno CMXIV. occurrunt: quorum diplomata paulo ante recitavimus: Aliud Authographum iſtorum Patriciorum privilegium Abbatiæ Caſſinenſi conceſſum ex hujus Archivo prodidit Eraſmus Gattola recitato loco, ubi iidem his titulis inſcripti inſpiciuntur: *Landulphus, & Athenulphus divina ordinante clementia Longobardorum Gentis, & Imperii Patricii*; & in fine: *Data ſeptem Idus Septembris anno ſeptimo decimo Principatus Domini noſtri Landulphi glorioſi Principis, & antipati Patricii, & ſeptimo anno Domni Athenulphi Principis, & Patricii*. Landulphus, Princeps Beneventanus cum Patre fuit ab anno CMI. eoque mortuo cum fratre Athenulpho ab anno CMXI. ad CMXL. cum filio Athenulpho II. ab anno CMXL. ad CMXLIII., quo die x. Aprilis obiit; ut notat idem Gattola. Qui & ulterius refert aliud antiquum documentum cujuſdam contentionis, & controverſiæ inter Caſſinenſe Monaſterium, & Duces Cajetæ, itemque Comites Trajectenſium, in quo memoratur conceſſio prædictorum Patriciorum. In Chronico Civitatis Amalphitanæ apud Ughellium *in Italia ſac. de Metropolitis Amalphitanis tom.* 7. item complures memorantur Imperiales Patricii nimirum: *Anno CMLII. Dux eligitur Sergius Imperialis Patricius filius dicti Comitis, qui poſt ſeptem annos & ſex menſes obiit*; *Anno CMLIX. Manſo Imperialis Patricius, & Antipatus glorioſus. Anno MI. ſucceſſit Joannes Perilla, in quem Imperator Patriciatum contulit*. Notat autem Ughellius eodem loco, Cives Amalphitanos ea libertate eligendi ſibi Duces ex Viris Patriciis uſos ſumma cum laude fuiſſe, uſque ad an-

Digitized by Google

num MLXXV., quo Robertus Guiſcardus Dux debellato Salerno Amalphitanum Ducatum ſuæ poteſtati ſubjecit. Hic propterea opportune eſt animadvertendum eorum quemquam ſibi titulum præfixiſſe: IMPERIALIS PATRICII: quo addito vocabulo, conjicere eſt eos nuncupari eo tempore, quo Patricii titulo ipſi Imperatores decorabantur, eoque propterea ad eorundem diſcrimen, qui tunc Romanorum dicebantur Patricii, ut ſequenti libro oſtendemus, iſti Imperiales Patricii vocarentur, veluti ab Imperatore iis in locis, & Urbibus miſſi: vel non diſpari modo, quo nonnullos Ravennæ Exarchas eodem Imperialium Patriciorum ornatos titulo paullo ante Clariſſimum Virum Juſtum Fontaninum, vidimus animadvertiſſe.

De Patriciatu a Græcis Imperatoribus conlato Regibus, Magniſque Principibus.

CAPUT X.

SYNOPSIS.

I. *Viris Principibus, & Regibus maximo in honore erat Patriciatus dignitas*. II. *Imperatorum fratres, Nepotes, & affines Patricii*. III. *Magni Principes a Conſtantinopolitano Imperatore Patriciatu aucti*. IV. *Reges plerique Patricii*. V. *Baronius affirmans Clodoveo Francorum Regi ab Anaſtaſio Imperatore Patriciatus, non autem Conſulatus codicillos oblatos illuſtratur. Locus Gregorii Turonenſis de re ipſa expenditur*. VI. *Ejuſdem Gregorii aſſertum de Conſulatu Clodovei perperam a Pagio in Patriciatum detortum*. VII. *Conſulatus a Patriciatu diverſus, atque diſtinctus*. VIII. *Patriciatus Regibus, atque Principibus conlati dignitas, atque præſtantia expenditur*. IX. *An a Conſtan-*

ſtantino Magno Imperatore Patriciatu exornati Clerici Romanæ Eccleſiæ?

I. PAtriciatus dignitatem fuiſſe ampliſſimam, ſummæque præſtantiæ, nihil magis oſtendit, quam Viri Principes, ipſique Reges, ac Proceres auguſtæ familiæ arctiſſima conſanguinitate conjuncti, qui ea de cauſſa illam ſuſcepere, quoniam tanto generi, ſummæque amplitudini parem noverant. Itaque geſtum munus ab ipſis, ipſique geſto ab munere decus, & honorem videntur ſumſiſſe. Id etiam conſtat, adeo propriam Summis Principibus hujuſmodi dignitatem fuiſſe antiquitus, ut ea ſoli, vel pene ſoli fungerentur. Recte proinde obſervavit Bodinus de *Republica lib.5. Patricia dignitas initio nonniſi Principibus & Imperatorum Fœderatis communicari ſolebat*: & Gaſpar Barthius in Guillelmi Brittonis Philippidos *lib.6. nu.*424. explicans ſequens hujus Poetæ carmen: *Patriciis dicto vel facto venero contra*: ſubdit: *Tantus titulus erat* (Patriciatus) *ut etiam Principibus jungeretur* Franciſcus Amaya in *Commentar. ad* 3. *libros poſterior Cod. Juſtiniani lib.*10. *tit.*31. *num.*14. *tam glorioſum habitum*, inquit, *fuit Patricii nomen ut regibus in honorem maximum cederet*: Qua de re Joannes Jacobus Draco de Origine, & jure *Patricior. lib.2. cap.2. n.5.* recte adnotat, quod: *Majorem exiſtimationem recepit Patriciatus, quando non tantum Imperatores, conſiliariis, & Familiaribus ſuis, verum etiam exteris Regibus, & magni nominis Principibus, ſibique fœderatis eum concedere ſolerent, præſertim, cum id rarum, nec niſi virtuti id præmium eſſet*: Singulari propterea animadverſione digniſſimum eſt, quod refert Sigonius de *Occidentali Imperio lib.*18. *pag.*690. poſtremæ editionis curatæ a Viro Clariſſimo Lodovico Antonio Muratorio, de Alarico Gothorum Rege verba faciens. Tanti enim ſibi honoris locum ceſſurum Patriciatum exiſtimavit; ut Legatos ad Juſtinianum Imperatorem

rem miſerit pro eo obtinendo, promiſſione facta, ſe illi totam Italiam traditurum ſi Patricium faceret. Sed quo fiat manifeſtius, pretium operæ ducimus conlatum ſummis Viris Patriciatum per varia tempora quam breviſſime ab ultima antiquitate repetere.

II. Inter Græcos profecto indigenas ipſorum Imperatorum Fratres, Nepotes, alii arcta ſibi propinquitate conjuncti ea dignitate decorati leguntur. Germanus Patricius Fratris filius erat Juſtiniani Imperatoris, apud ejus ævi Scriptores notiſſimus, quem plures obiiſſe domi militiæque præfecturas, teſtis eſt Ducangius in *Conſtantinopol. Chriſtian. de famil. Auguſtis Byzantinis lib.* 8. *folio* 100. Baſilius Patricius, inſulæ Sames Præfectus, Frater erat Romani Imperatoris, de quo mentionem facit idem Ducangius *cap.* 24. *de familia Argyrorum*: apud quem *cap.* 11. *de familia Phocæ Auguſti* memoratur etiam Nicetas Patricius Heraclii Imperatoris conſanguineus. Sed & Severus Patricius Frater erat adoptivus Conſtantis Imperatoris, quem Byzantii condidiſſe Gerocomium ab ejus nomine Severi dictum, narrat Anonymus de *Antiquitatib. C.P. lib.* 2. *par.* 2. *de Gerocomio Severi*. Conſtantium Patricium Fratrem Conſtantini Auguſti laudat Harduinus *lib.* 2. *epiſt.* 335. Alterum Nicetam Patricium vitæ Sanctitate illuſtrem Irenes Auguſtæ propinquum celebrat Menologium Baſilii Porphyrogeniti die 6. menſis Decembris *fol.* 98. quod opus a Clemente XI. Pontifice Maximo eruditione, ac utriuſque linguæ peritia claro jam pridem Literariæ Reipublicæ integrum redditum, nuperrime opera, & ſtudio Annibalis Albani S. R. E. Cardinalis Camerarii ac Fratris filii Græce Latineque Typis Urbinatibus vulgatum eſt. Ne longius autem ocio Lectoris abutar, ſi alios hic ejus Ordinis Patricios referam, ſatis arbitror Lectorem monere, ut ea conſulat, quæ *cap.* 4. *hujus libri* protulimus, ubi multa inter Patricios, & Imperatorum filias inita connubia enarravimus.

III. De

Digitized by Google

III. De exteris Viris Principibus Patriciatu auctis diſſerturi, primo animadvertimus inter cetera dona, honoreſque eximios, quibus ipſi ad Græcorum Imperatorem accedentes inſigniebantur, Patriciatum quoque exſtitiſſe. Ac præſentibus quidem ipſimet Auguſti Cæſares, abſentibus vero alterius Patricii opera id honoris genus tribuebant. Porro Gens Taronitarum Byzantii prænobilis, & illuſtris, quæ ortum ſuum a Principibus Taronis regionis, quæ in Oriente Syriam verſus ſita eſt, duxiſſe fertur, Patricia fuit dignitate decorata: Quum enim Gregorius ejuſdem Gentis primus Byzantium veniſſet, a Leone Philoſopho Imperatore Magiſtri dignitate, & locupletibus prædiis donatus eſt; ejuſque deinde Frater, Filiique Patricii renunciati, auctore Ducangio *lib.2.fol.165.* Prodit Erchempertus in *Chron. n. 67.* Gaimarium Salernitarum Principem Conſtantinopolim profectum, & ab Imperatore comiter exceptum, Patricium creatum fuiſſe, indeque cum honore in Italiam remiſſum. Quod refert etiam Anonymus Salernitanus *cap.124.* apud Muratorium in collectione Scriptorum rerum Italicarum *tom.2.*, Hunnorum item Dux, quum Procerum, militumque ſuorum ſtipatus agmine ad Imperatorem acceſſiſſet, ut Chriſtianæ Religioni nomen daret, ipſe, comiteſque, virique Principes cum Uxoribus, & famulis potiti voto, regiis donis, & dignitatibus ſunt ornati. *Duci autem ipſi, honorem detulit Patriciatus, & in Hunnorum regionem humaniſſime dimiſit*: ut conſtat ex Nicephoro in Breviario hiſtorico e Greco in Latinum ſermonem converſo a Dionyſio Petavio *fol.9.* Sed Gregorium Ducem Neapolitanum, & Joannem Ducem Cajetæ procul ab Imperatoria agentes aula, quum Leo Auguſtus ab Saracenorum fœdere ſejungi cuperet, Nicolaum Patricium ad eos legavit, qui utrumque Imperatoris nomine Patriciatus dignitate decoraret, ut oſtendit Angelus de Nuce in notis ad Chronic. Monaſt. Caſſinenſis Leonis Cardinalis Epi-

ſcopi

Digitized by Google

ſcopi Oſtienſis *lib.*1. *cap.*52. Lubranus autem Hunnogundurorum Dominus legatione pro pace ſtabilienda ad Heraclium Imperatorem miſſa, una cum aliis Regiis muneribus Patriciatum per ſuum Legatum accepit, auctore Nicephoro in *citato Breviario hiſt.pag.*11. *Munera*, inquit, *ad ipſum Heraclius miſit & Patriciatum detulit*: Theodati generum a Juſtiniano Patricium renunciatum narrat Procopius in *lib.*1. *de bello Gothico*; Eumdem Patriciatus honorem Baſilium Imperatorem Urſo Participatio Venetorum Duci contuliſſe, poſt alios prodit Raphael Volateranus *lib.*4. De Aſpare Principe itidem Patriciatu donato Sermonem habet Bulenger. de *Imperat. & Imper. Rom. lib.*3. *cap.*1. Principis Saracenorum Patriciatu aucti mentio fit in *hiſt. Miſcella lib.*16. *pag.*110. Tandem Arnulphum, & Athenulphum Beneventi Principes Patriciatus inſignitos honore oſtendunt ipſorum diplomata, quæ una cum aliis Longobardorum Principum vetuſtis monumentis proximo capite retulimus.

IV. Nec mirum tot, tantoſque Viros Principes Patricia fuiſſe dignitate auctos: Reges ipſos Patriciatum ſuſcepiſſe conſtat. Avitus Viennenſis in *epiſt.*7. Sigiſmundum Burgundiæ Regem *Patricium* appellat. Zenonem Imperatorem, Odoacrem Italiæ Regem Patricium effeciſſe, refert Malchus Rethor: *in excerpt. pag.*94. Vere proinde, ſciteque notat Petrus de Marca de *concordi. lib.*1. *cap.*12. *Theodoricum, & Athalaricum Italiæ Reges adeo ſibi honorificum Patriciatum exiſtimaſſe, ut non alienum a Regia Majeſtate Patriciatus dignitatem, quæ illis ab Anaſtaſio collata fuerat, eſſe cenſuerint*: Hinc, & Childebertum Francorum Regem, Patriciatus dignitate exornandum Juſtinianum Cæſarem ſtatuiſſe referunt Joannes Bodinus de *Republica lib.*3. *cap.*4. & Joannes Jacobus Draco *lib.*2. *cap.*2. Ipſum Imperatorem, eadem dignitate exornaſſe Theodatum Gothorum Regem teſtis eſt Marquardus Freher de *origin. Palatin. lib.*6. *cap.*1. Itemque

que Vitigem alterum Gothorum Regem Beliſarii ope ab Italia pulſum narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in *Silverio*. Quare Adalgiſum Italiæ Regem Conſtantinopoli immorantem, mirum non eſt ab Conſtantino, cui *Copronymum* cognomentum acceſſit, Patriciatum ſumſiſſe: de quo Eginardus in annalibus ad *ann. Chriſti DCCLXXIV.* ſcribit *Adalgiſus ex Italia in Græciam ad Conſtantinum Copronymum ſe contulit, ibique in Patriciatus dignitate conſenuit*: & Poeta Saxonicus.

——————— ſe contulit inde:
Ad Conſtantinum Græcorum Sceptra tenentem,
A quo Patricius præclaro nomine factus,
Hoc in bonore ſuæ permanſit ad ultima vitæ.

V. Sed, & hanc dignitatem Patriciatus jampridem Anaſtaſium Imperatorem Clodoveo Francorum Regi codicillorum tranſmiſſione obtuliſſe contendit Baronius ad annum Chriſti DVIII. *tom.*3. meritoque eos hallucinari opinatur, qui Clodoveum Conſulatu non Patriciatu putant eſſe donatum. Enim vero, quamvis Gregorius Turonenſis *hiſt. Franc. lib.*2. *cap.*39. affirmet, Regem ipſum conſulatus accepiſſe codicillos, ejuſque inſignia induiſſe in Baſilica S.Martini; nihilominus, ut recte idem Baronius animadvertit, ea inſignia Patriciatus erant, non conſulatus. Gregorii hæc verba ſunt: *Ab Anaſtaſio Imperatore codicillos de conſulatu accepit, & in Baſilica Sancti Martini tunica baltea indutus eſt, & Chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc aſcenſo equo aurum, argentumque in itinere ſpargens voluntate benigniſſime erogavit, & ab ea die tanquam conſul, & Auguſtus eſt vocitatus*: Porro cuique facile eſt repetenti apud Caſſiodorum *lib.*6. *variar. epiſt.*1. conſulatus inſignia; ea quæ Clodoveus induit Patriciatus fuiſſe noſcere. Inſignia namque conſulatus his verbis ab illo deſcribuntur: *Pinge vaſtos humeros vario colore palmatæ, validam manum victoriali Scipione nobilitato. Lares proprios etiam calceis auratis egredere.*

 Sel-

Sellam curulem pro tua magnitudine multis gradibus aſcende: Conlata invicem Clodovei inſignia, quæ Gregorius deſcribit cum illis, quæ propria ſunt conſulatus a Caſſiodoro deſcripta: palam faciunt, ea quæ Clodoveus tunc induit, triumphalem potius exhibere pompam alicujus forte victoriæ cauſſa, tunc populo exhibitam, quam conſulatus honorem. Quamobrem Pagius in diſſertat. hypatit. conſulari in procemio hæc eadem Clodovei inſignia expendens: *Caſſiodorus autem*, inquit, in *variar. lib.*8. *epiſt.*9. *Chlamydem, calceoſque Romanos inter inſignia Patriciatus numerat, licet in formula inſignium Conſularium nullam de iis mentionem habeat*: His accedit, quod Clodoveus nuſquam in conſularibus Faſtis inſcriptus occurrit: cujus certe nomen non deeſſet, ſi revera conſulatum geſſiſſet: Quod argumentum Baronius adhibet recitato proxime loco. Res ſi exemplis eſſet conficienda, perſpicuum præſto eſſet, & luculentum. Quum a Zenone Imperatore Theodorico Gothorum Regi conſulatus eſſet oblatus, fuit ille Ordinarius, & ejus nomen faſtis adſcriptum, & cum Ordinariis conſulibus vulgatum: non aliter accidiſſet, ſi oblatum ab Anaſtaſio ordinarium conſulatum revera Clodoveus accepiſſet, atque geſſiſſet. Sed fruſtra quæritur, quod factum nunquam eſt. Profecto veteres Scriptores omnes, Patriciatum non Conſulatum Clodoveo oblatum memorant, cum quibus ſentiunt Henricus Arniſe *de Republ. lib.* 1. *cap.* 5. *ſect.* 9. Carolus Sigonius *de Occident. Imper. anno DVII. pag.* 434. & Vincentius Lupanus *de Magiſtrat. & Præfect. Franc. lib.* 1. *titulo regia poteſtas pag.* 327. idemque noviſſime Guido Soarius *de Romanor. & Venetor. Magiſtrat. inter ſe comparat. num.* 28. prodidit.

VI. Idem autem Pagius diſſimulare merito non potuit Patriciatum, non autem Conſulatum Clodoveo ab Anaſtaſio oblatum fuiſſe, ſed tamen ſuſceptum ſequutus propoſitum jure vel injuria cenſuram exercendi adverſus

Ma-

Magnum Baronium, doctrina, eruditione, ſummiſque laboribus æternum ab Orthodoxa Eccleſia ſibi nomen promeritum, tam in critica ad Annales Eccleſiaſticos ſub Anno DVIII., tum etiam in diſſetatione hipatica Conſulari, nullo ſolido fultus momento Gregorium tueri conatur: putatque ipſum Conſulatus vocabulo intellexiſſe Patriciatum; eoque nomine Romanorum Patricium indicaſſe creatum ab Anaſtaſio. Ipſius ad annales hæc verba ſunt: *Honos, quo Clodoveus ab Anaſtaſio Imperatore cohoneſtatus, Patriciatus fuit, quem Turonenſis Conſulatus nomine deſignavit, indeque in ejus Epitaphio legitur Patricius*: In diſſertatione vero Conſulari: *De Clodovei Francorum Regis Conſulatu loquentes, non meminimus afferre ſententiam Hadriani Valeſii V. C. lib. 6. Francicarum, omnibus, quas retulimus, forſan probabiliorem. Exiſtimat is Conſulatus nomine Patriciam dignitatem apud Gregorium Turonenſem ſignificari. Aimoinus enim Monachus in libro 1. tradit Anaſtaſium Principem in Codicillis ad Clodoveum miſſis ſubſcripſiſſe ſibi, & Senatoribus placuiſſe, ut amicus, & Patricius Romanorum appellaretur*: At rectius profecto ſenſiſſet, ſi eo loci Gregorium Turonenſem deceptum pronunciaſſet, quando Clodoveo Conſulatum, non Patriciatum narrat oblatum fuiſſe. Non ignorabat ſane Gregorius Conſulatum longe, multumque a Patriciatu diſtaſſe; nec niſi ab inepto utramque dignitatem intelligi poſſe: Nimirum veritas candorem amat, oditque fallacias: Neque monſtra fingenda ſunt, ut Baronius paſsim pro libidine arguatur turgidæque in ipſum paginæ creſcant verborum plenæ, rerum expertes. Quod ſæpenumero a Pagio fieri non pauci dolent Viri docti.

VII. Enim vero, ut nomine, ita rebus, inſignibus, & munere diſtinguebatur utraque dignitas. Conſulatus ſiquidem erat annuus, Patriciatus perpetuus. Quamobrem Patricii, qui Conſulatu functi erant inſcripti occurrunt Patricii, & Exconſules, ut legitur apud Anaſtaſium Biblio-

bliothecarium *in Vigilio*: *Albinus*, *& Baſilius Patricii*, *& Exconſules ingreſſi ſunt Conſtantinopolim*: Quando vero Conſulatum obibant, qui erant Patricii, utramque in publicis monumentis dignitatem notabant. Quod potiſſime legimus de Theodorico Gothorum Rege, qui Patricius ſimul, & Conſul a Zenone Imperatore creatus fuit, ut oſtendit Franciſcus Amaya *lib.* 10. *tit.* 31. *n.*50., qui explicando Epiſtolam nonam *lib.* 8. Aurelii Caſſiodori: *Intelligit*, ait, *Theodoricum*, *qui a Zenone adoptatus*, *& Patricius creatus eſt*, *& Conſul*. Id ipſum indicat S. Hieronymus *in epiſt.* 19. *ad Furiam lib.* 2. *epiſt. ſelect.* quas eruditiſſimis notis illuſtravit Vir Clariſſimus, & amicus noſter Joſephus Catalanus, in qua S. Eccleſiæ Doctor mentionem faciens de ejuſdem Furiæ parente: *Pater tuus*, inquit, *quem honoris cauſa nomino*, *non quia Conſularis*, *& Patricius*, *ſed quia Chriſtianus eſt*, *impleat nomen ſuum*: De Turcio Rufo Aſterio V.C. Conſule ordinario, & Patricio late diſſerit Fontaninus *de antiquit. Hortæ lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 5.. Is cum emendaſſet illum Virgilii Codicem, qui in Medicea Bibliotheca ſervatur, in fine Bucolicorum ſe ita ſubſcripſit: *Patricius*, *& Conſul ordinarius*; ut refert Vir Clariſſimus Joannes Franciſcus Baldini *in notis ad Anaſtaſ. Bibliotec. in Stephano III. ſect.* 244. Vir Clariſſimus Antonius Maria Lupus Societatis Jeſu in diſſert. ad nuper inventum Severæ Martyris Epithaphium §. 3. habet antiquum ſaxum Victoris Paterni Coſs., in cujus fine hæ duæ literæ viſuntur; nimirum V. P. quamvis prætereuntium attritu parumper conſumtæ, eamque ſiglam cum Sertorio Urſatto docet eſſe legendam hunc in modum, videlicet. *Vir Patricius*. Non aliter Cyrillus *in Vita S. Sabæ* de Juſtino loquitur: *Deponit Imperium*, *Juſtiniano patruele ſuo imperante*, *qui erat Patricius*, *Conſul*, *& Dux exercitus*. Ex his itaque diverſis nominibus, quibus unus eodem tempore, & Conſul vocatus eſt, & Patricius, illud cer-

certum oritur argumentum inter utramque dignitatem interceſſiſſe diſcrimen inſigne: Aliter ſi res ſe haberet, uno Conſulatus nomine, Conſulatum ſimul, ac Patriciatum deſignaſſent. Recte propterea ſentit Joannes Jacobus Draco *lib.* 2. *cap.* 4. ſcribens: Non recipiendum quod quidam falſo opinantur Patricios honorarium Conſulatum geſſiſſe, ut ſcripſit Chriſtophorus Beſoldus *lib.* 1. *politic. cap.* 11. *num.* 64.. Conferunt etiam quæ ſupra cap. 5. notavimus circa utriuſque dignitatis amplitudinem in exponenda ſatis vulgatam apud Scriptores quæſtionem, an & quando Conſules Patriciis vel Patricii Conſules anteirent.

VIII. At non abs re puto fore, ſi nonnulla de hujuſmodi Patriciatus conditione in medium afferam, quæ magis magiſque Pagii errorem detegant, qui recitatis locis ea, quæ ſunt Conſulatus, minus recte confundit cum iis, quæ ad Patriciatum pertinent, quem Græci Imperatores Regibus, Magniſque Principibus deferebant. Enim vero unam eamdemque fuiſſe dignitatem, Patriciatum honorarium, quo Occidentales in Europa Principes fungebantur, & qui ab Græcis Imperatoribus cuique tribuebatur, luculenter nobis oſtendit Athalaricus Gothorum Rex *in epiſt.* 9. *lib.* 8. *apud Caſſiodorum*, in qua eximium honorem recolens, Avo ſuo a Cæſaribus Græcis collatum, ejuſdemque meritis ab ſe geſtum, ita loquitur: *Hic eſt honor*, (Patriciatus) *qui & armis convenit, & in pace reſplendet. Hunc illa dives Græcia, quæ multo glorioſiſſimo Domino Avo noſtro habuit, gratificata perſolvit: velavit fortes humeros Chlamydum veſtis, pinxit ſuta ſetis calceus iſte Romanus: & dignitatem viſus eſt accipere, quod ſe cognoſcebat aſſumere per honorem.* Illud tamen hic eſt animadvertendum: quod per eam dignitatem ad præſtanda obſequia Imperatori alliciebantur. Quum autem eſſent ab ipſius aula remoti, nullo obeundo muneri addicebantur: ſed Imperatorio gaudebant, ac ſub-

ſuberant patrocinio. Quod recte illuſtrat Angelus de Nuce *in lib.* 1. *cap.* 52. ubi de Ducibus Neapolis, & Cajetæ ejuſmodi Patriciatu ornatis ediſſerit: *Exteri quoque*, inquit, *ut prædixi, hoc honore ab Imperatoribus Orientis decorati non ſemel fuerunt, & ad præſtanda obſequia illecti, qui ab aula ſepoſiti nullo obeundo muneri diſtinabantur, ſed ſub patrocinio Imperatoris manere in maximum ſuæ dignitatis augmentum, nec omnino ſine fructu, & emolumento aliquo referebant: Abunde ſatis hæc probantur ex iis, quæ tradit Oſtienſis hoc loco de honore Patriciatus delato Ducibus Neapolitano, & Cajetano, ut ii in officio manerent, & Saracenorum amicitiam renunciarent.*

IX. Quoniam vero non defuerunt auctores, qui Clerum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ a Magno Conſtantino Patriciatus dignitate auctum prodiderint, e re ducimus hoc in loco, rem altius ac diligenter inveſtigare, ut quid veritati tribuendum ſit, Lectori pateat. Ejuſmodi opinioni fundamentum ſubſtruxiſſe videtur *Canon Conſtantinus*, relatus apud Gratianum *diſtin. XCVI. num. xiv.* ubi vulgata lectione proditur: *Viris autem Reverendiſſimis Clericis in diverſis ordinibus eidem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſervientibus illud culmen ſingularitate, potentia, & præcellentia habere ſancimus, cujus ampliſſimus noſter Senatus videtur gloria adjuvari: ideſt Patricios atque Conſules effici; nec non & ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari*: Eadem lego in actis S. Silveſtri Papæ, quæ S. Gelaſius Romanus item Pontifex in Concilio Romano LXX. Epiſcoporum non videtur improbare, vetereſque multos Scriptores, ſummoſque Pontifices, cum ipſo, unde hæc deſcripta ſunt, Conſtantini Imperatoris privilegio jam pridem recitaſſe obſervarunt Viri docti, qui ſuas huic Canoni notationes addidere, in editione decreti Gratiani procurata juſſu Gregorii Papæ XIII. anno Chriſti MDLXXXIV. in ædibus Populi Romani

mani *pag.* 445. *& ſequenti*. Quoniam vero acta ipſa, & Conſtantini privilegium complures viros criticos non ineptis fultos argumentis habent adverſos, id in opere noſtro hiſtoricæ fidei pondus habere volumus, quod ab æquis rerum æſtimatoribus jure ſibi vindicant, & merentur. Quod propius tamen rem noſtram attingit, diſſimulare non poſſumus longe aliter Græcos Codices habere quam vulgata apud Gratianum Latina ſignificet verſio. In iis ſiquidem non de ipſa Patriciatus, Conſulatus &c. conlata Romanæ Eccleſiæ Clericis dignitate, ſed de honoris dumtaxat ſublimitate, & amplitudine tantarum dignitatum Sacro Clericorum Ordini Eccleſiæ Principis communicata ſermo eſt. Quod perinde omnino valet, ac ſi pronunciatum eſſet; idem prorſus honoris genus deferri debere venerandis Romanæ Eccleſiæ Clericis, quod deferebatur Viris Patriciis, Conſulibus, ceteriſque primoribus Imperatoris Adminiſtris: Græci privilegii hæc verba ſunt. Καὶ ἔχειν ἐκείνην τὴν ὑψηλότητα καὶ μεγαλοσύνην ἣν κεκόσμηται ἡ μεγάλη, σύγκλητος ἡμῶν ἤτοι οἱ πατρίκιοι καὶ οἱ κόνσυλοι ἤτοι οἱ ὕπατοι, καὶ λοιπὰ ἀξιώματα, ideſt: *Et illam habere celſitudinem, atque amplitudinem, qua ornatus eſt magnus noſter Senatus, ſive Patricii, & Conſules, ſive Hypati, & reliquæ dignitates*. Revera Patriciatus dignitatem tributam ab Græcis Imperatoribus fuiſſe Patriarchæ Conſtantinopolitano, narrat Simon Schud *in Lexico* verbo *Patriciatus*. Ex ipſa Patriciatus formula conſtat, eadem ampliſſima dignitate ornatos olim fuiſſe, & alios Epiſcopos: ut videre licet apud Caſſiodorum *lib. 6. Epiſtolarum*. Minime vero aſſentior interpretationi Joannis Jacobi Draconis, qui loco recitato *num.* 3. verba formulæ deſignatæ in alium ſenſum detorquet: exiſtimans illis Epiſcopis Patriciatus dignitatem impartitam, qui Eccleſiæ C. P. præerant. Profecto formula ipſa a Caſſiodoro relata uti conſueverant Gothorum Reges, quo tempore in Italia, aliiſque Occidentis Provinciis, ubi re-

rum

rum potiebantur, Patriciatum conferebant: Quapropter ad Byzantium, Græcumque Imperium tantummodo id factum velle trahere, videtur contra fidem hiſtoriæ & rationem velle differere.

De Patriciatu Fœminarum.

CAPUT XI.

SYNOPSIS.

I. *Fœminæ Patriciatum conſecutæ*. II. *Earumdem in Auguſtæ Imperatricis aula munus, & officium*. III. *Fœminæ ornatrices, & Puellæ comatæ quæ fuerint.* IV. *Patriciæ* Matres Imperatoris *appellatæ, & maximæ auctoritatis.* V. *Gonzalez aſſerentis Patricias ita nuncupatas, quod Patriciorum uxores, filiæ, aut neptes eſſent, errores caſtigati. Circa decimum, & undecimum ſæculum Patriciorum uxores Patriciſſæ dictæ:* VI. Sebaſtocratiſſa, Cæſariſſa, *&* Deſpina *quæ fuerint*.

I. HActenus de Viris Patriciis, qui Patres erant Imperatorum, vel Conſiliarii Principum differuimus; de Fœminis Patriciis, quæ in aula Auguſtarum eodem ornatæ munere verſabantur, inſtituendus eſt ſermo. Eas ob id prætuliſſe Patriciæ dignitatis amplitudinem, conjicimus, quia Imperantium uxorum addictæ famulatui, par erat, ut quam ſimillimam Aulæ Maritorum, imaginem referrent, ac Dominarum ea ſpecie nobiliſſimæ dignitatis, majeſtatem augerent, familiæque præſtantiam. Multæ ſane in antiquis monumentis occurrunt Patriciæ: Anonymus *de antiquitat. C.P. apud Bandurum parte* 3. habet: *Templum Archangelorum Stiri dictum a muliere quadam ſterili, quæ erat Patricia, cognomen obtinuit*. Apud eumdem *lib.6. de ædificiis C.P.* illud quoque legi-

legitur. *Ædificium, nuncupatum hodie Prætorium olim domus erat Viduæ Patriciæ, nomine Marciæ*: Ducangius de familiis Byzantinis *cap.*7. de familia Anaſtaſii Auguſti ſermonem inſtituens, ſcribit: *Ejuſdem nominis* (Anaſtaſiæ) *fæminæ nobiliſſimæ, & Patriciæ mentionem faciunt Græcorum menea.* Apud eumdem *cap.*10. *de familia Mauricii Imperatoris* duæ aliæ occurrunt Patriciæ: *Meminit*, inquit, *Gregorius Magnus Gurdiæ Patriciæ, & illius filiæ Theoctiſtæ ſub annum DLIX.*, *ſed quod ſubdit Gurdiam Marino, Theoctiſtam vero Chriſtophoro nuptas diverſam fuiſſe Gurdiam a ſorore Mauricii evincitur, etiamſi locis aliis Theoctiſtam Patriciam proxima Mauricium attigiſſe cognatione innuat.* Inter Summorum Pontificum Decretales epiſtolas ſub titulo *de præſumptionibus* exſtant literæ Gregorii Papæ miſſæ *Italicæ Patriciæ*, & Domno Venantio Cancellario Italiæ, ubi narrat, ſe undecimo inde ab menſe in lecto defixum podagra laboraſſe; multa præterea Cleri Romani recenſet infortunia. Tandem apud Sirmundum *oper.variar.tom.*5.*lib.*1. exſtat epiſtola Theodori Studitæ *num.*55. miſſa Irenæ Patriciæ: ad quam data eſt etiam ejuſdem libri epiſtola octava, & ſexageſima.

II. Ipſarum Patriciarum munus erat veſtire Imperatrices auguſtas, ſuccingere, ornare, & comitari. Id recte, paucisque omnino verbis explicat Anſelmus Bandurus *in Commentariis ad Antiquitates Conſtantinopolitanas libro* 2. *tom.*2. *num.*8. *pagina* 619. *Dignitas*, inquit, *Fœminarum in Palatio, cujus munus erat Auguſtam ſuccingere, vel veſtire*. Et in libro 2. menſis Auguſti *fol.*649. *num.*102. diſſerens de Antonina Patricia: *Antonina Theodoræ Imperatricis ornatrix ſive a veſte, dignitate, Patricia*: de qua nobili Fœmina Nicolaus Alemannus in notis ad hiſtoriam arcanam Procopii *cap.*1. *folio* 90. ait: *Fuit Imperatricis Theodoræ* ζωσὴ, *a veſte dignitate, Patricia*, & paullo poſt: *Antonina Beliſarii Patricii uxor a veſte Theodoræ uxoris Juſtiniani Magni jam vidua una cum Vigilan-*

gilantia habitavit, *cujus ſuaſione refecit templum S. Procopii de Vigilantiæ nomine dictum.* Atque hinc, cum Religionis cauſſa Imperatrix in templum Sanctæ Sophiæ procederet, eam Patriciæ comitabantur, quæ ubi ad certum perveniſſent locum, antequam Auguſta templum ingrederetur, porrigere eidem mutatoria debebant: eo ferme modo, quo Impetator ſtipatus Patriciis accedere conſuevit ad eamdem Eccleſiam, cui in ipſa domo Viri Patricii mutatoria miniſtrabant. Locum ipſum, collatumque ibidem ab utriuſque ſexus Patriciis obſequium, & miniſterium Auguſto Principi, & Uxori deſignat, & illuſtrat recitatus paulo ante Bandurus *in Imperio Orientali lib.* 2. *de templo Sanctæ Deiparæ* his verbis: *In Eccleſiam Sanctæ Deiparæ cognomine Patriciæ*, *quæ eſt penes Sanctæ Sophiæ Eccleſiam*, *Imperatores*, *& Auguſtæ ibant proceſſionis cauſa*, *quum ad Sanctam Sophiam eſſent ituri*: *Etenim domus ibi erat*, *quam Conſtantinus Magnus extruxerat*: *Huc accedebant Patriciæ Zoſtæ*, *& Patricii una cum Præpoſitis*, *ac Imperatori*, *& Auguſtæ mutatoria porrigebant*.

III. Patricias haſce Mulieres non alias quidam intelligunt, quam *Ornatrices*, ac puellas *Comatas*, quam agnominationem illæ ſunt adeptæ a cultu corporis ornatuque comarum, curato ipſarum opera: *Ornamenta muliebria*, inquit Pandulphus Pratejus *lib.* 14. Theſauri juris Civilis, & Canonici *pag.* 280. editionis primæ; *a veſtimentis differunt*. Ornamenta ſunt, quibus illæ ornantur *leg*. 26. §. *ornamenta*, *& leg*. 3. *ff. de auro*, *& argento legato*. Itaque Tertullianus Ornatum in curacomandi capitis poliendæque, & exornandæ cutis ponit. Sic enim ille in libro de habitu muliebri ſcribit: *Habitus*, ait, *fœminæ duplicem ſpeciem circumfert*, *cultum*, *& ornatum*. Cultum dicimus, quem Mundum muliebrem vocant. Ornatum, quem in Mundum muliebrem convenit. Illum in auro, & argento, gemmis, & veſtibus depu-

Digitized by Google

deputamus, iſtum in cura capillorum, & cutis, earumque partium corporis, quæ oculos trahunt. Huic obſequio deſervientes ancillas, olim divites nobileſque Mulieres alebant, quam ornatrices vocabant; alioque nomine puellæ comatæ dictæ ab uſu, & cultu comæ criſpatæ, de quibus *leg. 63. §. ornatricibus ff. de legat. 3.* fit mentio. Hujuſmodi profecto ornatrices fere humili famularum ordine cenſebantur, nec nobilem attigebant gradum: de quibus erudite ſuo more differit Pignorius in libro de Servis, & eorum apud veteres miniſteriis *cap. 20.* cui de famulitio Dominarum titulus eſt. *Coſmetas* illas appellant Juvenalis *Satira 6. verſ. 476.*, & Ulpianus *leg. 47. ff. de legatis 3.* *Coſmetria* dicitur in vetuſto lapide recitato ab Reineſio *num. 89.* Revardus vero *lib. 2. Conjectaneorum* antiquam inſcriptionem exhibet Hamillæ Alpionæ quintæ ornatricis. Ego vero longe nobiliorem gradum in Patriciis arguo dignitate eo nomine auctis quam præcipua. Quibus ſi qua cura erat, Imperatricis foras prodeuntis amiciendæ mutatoriis; id munus ſpectabat non quotidianum Principis nitorem, ſed publicum ſolemnemque ornâtum, quo certo extra palatium loco, præſtantiſſimo, dumtaxat natæ genere fœminæ fungi conſueverunt. Enim vero inferioris conditionis puellæ comam criſpandi, curandæque cutis, veſteſque ornandi non ſine arte in Scholis per magiſtras accepta famulitium exercebant, ac intra domeſticos ſecretoſque parietes, mercede, ac pretio nobilibus fœminis ſuam locabant operam, ut pulchriores nitidioreſque illæ prodirent in publicum; illarumque inter famulas atque pediſſequas comitatum augebant. Hujus generis ſtudium in ornatricibus ſimul, atque exornatis Mulieribus veteres Eccleſiæ Patres paſſim reprehendunt, præſertim Tertullianus *in libro de Virginibus velandis*, S. Cyprianus *libro de habitu Virginum*, & S. Hieronymus in Epiſtolis *ad Lætam*, *&* *Demetriadem*. Dignum vituperatione

morem dolemus, hodieque vigere, augerique in dies pernicioſis exemplis, & turpibus. Leviſſimo autem fœminarum generi merito illud Tertulliani in libro de cultu fœminarum objicere poſſumus: *Fruſtra laboratis ornatæ videri, fruſtra peritiſſimos quoſque ſtructores capillaturæ adhiberi*: At vero extra hanc culpam, turpemque labem fuiſſe ornamenti genus, quod in Auguſtis Imperatricibus Patricias curaſſe diximus, latet neminem. Quum enim dignitatem, & amplitudinem ſpectaret Dominarum, & Imperantium, laudem potius quam notam merebat. Inſtituta a Deo Regia dignitas congruentia ampliſſimæ præſtantiæ ſuæ ornamenta cum ſplendidiſſimo apparatu jure ſibi vindicat: Cujus rei Sacri Libri non obſcura nobis argumenta, & exempla ſuppeditant.

IV. Neque deſunt aliunde petita momenta, quæ ſententiam noſtram teſtatiorem reddant, & veram oſtendant. Conſtat ſiquidem in aula Imperatoria, & apud Auguſtas Principes non ſolum dignitate, verum etiam poteſtate, & auctoritate floruiſſe Patricias: Et quemadmodum Viri Patricii *Imperatorum Patres* dicebantur: ita Patriciæ *Matres Imperatorum* appellabantur. Zonaras lib.3. *Mater*, inquit, *Imperatoris* ζωῆ *Zoſte*, *&* τετίμητο *Patricia creata eſt*: Bulengerius *lib.* 1. *cap.* 1. *Patricii*, ait, *& Patriciæ honor in majus ductus*: Hinc factum eſt, ut quum Ghildebertus Rex fœdus amicitiæ cum Mauritio Imperatore inire percuperet, opera potiſſimum Italicæ Patriciæ uſus eſt, cujus magna apud ipſum erat auctoritas, quam ob id peculiaribus etiam literis exoravit teſte Ducangio *lib.* 2., ubi de familia Mauricii Auguſti verba faciens, hæc habet: *Italicam Patriciam eadem perinde tempeſtate in aula Mauricii Imperatoris magna auctoritate fuiſſe, evincit epiſtola Childeberti Regis ad eam ſcripta, cum Mauricii amicitiam expetiit*: Apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Silverio illud quoque legitur: Antoninam Patriciam. Sanctum Silverium Papam ad ſe jacentem

tem in lecto accerſitum, temere alloquutam fuiſſe, dediſſeque operam, ut Roma, ſuaque e ſede pelleretur: Quod negocium Beliſario Patricio ſuoque conjugi iniquiſſime ab Auguſta datum eſt. Neque id mirum, quum enim fere uxores, natæ, ſorores, vel conſanguineæ eſſent Patriciorum: ſanguiniſque propinquitate Auguſtos Principes attingerent, facile multa poterant, & quæ cupiebant jure, vel injuria perfici curabant. Italicam ſane illam, cujus nos paullo ante meminimus, Mauricium Imperatorem proxima ſanguinis affinitate contigiſſe recitato loco prodit Ducangius. Hujuſmodi expendenti cauſſas facile eſt conjicere, quam ob rem maximo in honore haberentur Fœminæ Patriciæ: Apud Sirmundum *oper. variar. lib.* 2. legitur *epiſt.* 68. Theodori Studitæ ad Irenem Patriciam miſſa: quam, quum Reverentiæ titulo exornaſſet, memorat ipſam juſſiſſe: valere *Regiam Civitatem illuſtrem proſapiam, præſtantes amicos, Familiam ſplendidam, eximiam dignitatem, terreſtrium domeſticorum ingentem numerum, omnigenas facultates, alia denique, quæ commemorare vix poſſe ſe dicit*. Idem *in epiſt.* 14. *ejuſdem libri* 2.. Baſilium Patricium conſolans in morte filii, de uxore item Patricia ita loquitur: *Dominam, mihique venerandam Patriciam cum nobiliſſima tua ſobole adduxeris*.

V. Ex hactenus dictis, ſatis, ni fallor, perſpicue patet Gonzalez haud leviter erraſſe, quum *lib.* 2. *Decretalium tit.* 23. *de præſumption. cap.* 1. cenſeat: Italicam illam Patriciam, cui Gregorius ſcribebat uxorem fuiſſe Patricii Italiæ, ita dictam a Patricia dignitate Viri, ac Ranticianam Patriciam, ad quem idem Gregorius dedit epiſtolam 38. *lib.* 9. fuiſſe alicujus Patricii filiam, vel neptem: *Italicam Patriciam*, inquit, *cui reſcribit Gregorius in præſenti accipio pro uxore Patricii Italiæ ut lib.* 9. *epiſt.* 38. *& aliis, ubi ſcribit Ranticianæ Patriciæ, aut pro filia, vel nepte Patricii*: Ejus quoad

Ita-

Italicam Patriciam attinet, errorem evincunt, quæ paullo ante de illa notavimus. Sed idem Decretalium commentator non agnoverat fœminas quoque Patriciatum conſequutas; adeo ut a propria ſuſcepta dignitate ipſæ Patriciæ appellatæ fuerint, non vero, quia uxores eſſent Patricii alicujus, aut alterius Viri Patricii filiæ, vel neptes. Hinc ſcite Bollandus de Sancta Anaſtaſia Patricia, verba faciens ad *diem* 10. *Maji tom.* 2. *act. Sanct. Ut autem Patricii plures*, inquit, *ſic*, *&* *Patriciæ*, *non tamen ratione natalium*, *quoniam ad hanc appellationem alicui tribuendam nulla in hiſtoriis Græcis ratio invenitur*, *ſed ex ſpeciali prærogativa dignitatis*, *qua noſtram quoque Anaſtaſiam circa hoc ipſum tempus ornaſſe Juſtinianus videtur moribus ejus & forma captus*: Ceterum non eo inficias, pleraque facta fuiſſe connubia inter Patricias, Patricioſque. Multas certe Patricias fœminas Patriciorum exſtitiſſe conjuges exploratum eſt. Antonina Patricia uxor erat Beliſarii Patricii, ut indicat Nicolaus Alemannus in notis hiſtoricis ad hiſtoriam arcanam Procopii *cap.* 1. *fol.* 9. Irenæ Patriciæ Vir, ex *epiſtola* 175. Theodori Studitæ *lib.* 2. apud Sirmundum *oper. variar.* Patricius fuit. Illud quoque notatu dignum eſt: fœminam dignitate Patriciam nupſiſſe nobiliſſimo Viro Pancratio Prætori Taronis, qui Byzantium profectus exoptabat imperatorio natam genere uxorem accipere, ut narrat Conſtantinus Porphyrogenitus de adminiſtrat. Imper. e Græco ſermone in Latinum converſus ab Anſelmo Banduro, edituſque *in tom.* 1. *Imperii Orientalis*. Is etenim *cap.* 43. hæc ait: *Urbem regiam petiit ab Imperatore dari ſibi ſuburbanum Gregoræ*, *ut in eo Patricia ejus uxor commoraretur*: Sed hæc exempla utriuſque conjugis Patricii minime excuſant Gonzalez erratum; quum clare pateat fœminas quoque Patricias fuiſſe appellatas a Patriciatus dignitate, quam gerebant; itaut Patricii conjux, quæ Patricia non eſſet, eo vocabulo minime occurrat

rat ornata. Hujus rei teſtem habemus memoratum Studitam *in epiſt.* 144. *lib.* 2. in qua Theodorum Patricium conſolans ob uxoris obitum: illam nuſquam Patriciam nominat, ſed de ipſa ſermonem habens: *Dereliquit nos*, ſcribit *deſiderabilis Domina*, *avulſus es ab egregia conjuge*, *abruptus a laudata carne*: At quamvis apud Græcos uti indicavimus a Patriciatu, quo auctæ erant fœminæ, Patriciæ dictæ fuerint; circa decimum tamen, & undecimum Chriſti ſeculum Patriciorum uxores a Patriciatu Viri non Patriciæ, ſed Patriciſſæ nuncupatæ aliquando reperiuntur. Cujus rei perſpicuum exemplum eſt in Chronico Civitatis Amalphitanæ apud Ughellium *in Italia Sac. de Metropolitis Amalphitanis tom.* 7. in quo legitur *Anno* MXXXV: *Manſo Sergii filius cum Maria Matre*, *quam Duciſſam*, *&* *Patriciſſam in diplomatibus dictam reperio*, *regnavit annos quatuor*.

VI. Ceterum, mirum eſſe non debet: nobiles quoque fœminas ob amplitudinem, & ſplendidius ornamentum Imperatoriæ majeſtatis apud Auguſtas id genus ampliſſimam dignitatem fuiſſe conſequutas: quum dignitates illæ, quæ potiſsimum ad imperatoriæ ſublimitatis cultum, atque ſplendorem erant inſtitutæ, in aula quoque Auguſtarum Conjugum ſpectarentur. Inde factum eſt, ut quemadmodum inter primarias dignitates Aulæ Imperatoris locum obtinerent Cæſar, Sebaſtocrator, & Deſpota, de quibus fuſe agit Jacobus Gretſerus *lib.* 2. *obſervation. ad Georgium Codinum Curopalatam cap.* 2. qui omnes in argumentum eminentiſsimæ dignitatis corona, ſella, & auratis calceis utebantur; affines erant Imperatoris, & licet nullo præcipuo inter familiares fungerentur officio, poſt cœnam tamen Imperatorem ſeſe in cubiculum recipientem, fauſtam multorum annorum ſeriem adprecantes, proſequebantur; ut ex memorato conſtat Codino: ita Cæſariſſa, & Sebaſtocratiſſa, & Deſpina in aula merebant Auguſtæ. Quarum munus erat, quum

quum Imperator futuræ ſponſæ obviam iret una cum aulæ ſuæ nobilioribus proceribus, primæ futuram Imperatricem peregre venientem excipere, ornare, calceiſque rubris, & ornamentis imperatoriis induere quæ inde ea pompa, quæ Imperatricem decebat, ab ipſis nobiliſſimis fœminis exornata, equo inſidens, proficiſcebatur in palatium; ut fuſe narrat *Codinus de Officiis C. P. cap.* 22.

De his, qui hodie in aula Principum Patriciis ſuffecti ſunt.

CAPUT XII.

SYNOPSIS.

I. *Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in aula Romani Pontificis, Patriciis ſuffecti*. II. *Eorumdem Præſtantia*. III. *In aula Imperatoris Electores, & Principes Imperii*. IV. *In Galliis Pares Franciæ Patriciis ſucceſſiſſe, opinio adverſus Seldenum, alioſque defenſa*. V. *Parium Franciæ origo, & præſtantia*. VI. *In Hiſpaniis Equites aurei velleris, & S. Michaelis Patriciis comparati. In aula aliorum Principum qui Patriciorum locum obtineant?* VII. *Apud quemlibet ſupremum Principem Conſiliarii Patriciis ſubrogati*.

I. Abſolutis diſſertationibus, quibus Patriciorum munus, atque præſtantiam domi, foriſque late, pro viribus expoſuimus: antequam variam Patriciatus fortunam, poſt translatum Romani Pontificis auctoritate ab Græcis ad Galliæ Reges Romanum Imperium ſequenti libro enarremus; ne dignitas ipſa in Summis Principibus ſupremum majeſtatis faſtigium adeptis deſiiſſe, nec uſquam deinceps in aula Imperatoria apud Gallos & alibi viguiſſe putetur. Quod plurium aliarum dignitatum, & munerum ampliſsimorum fatum fuiſſe certum eſt: oſtendemus

demus quambreviſsime Patriciatum in omnium fere ſupremorum Principum aula felicibus ominibus, atque ſucceſsibus ſi non nomine, munere ſaltem & officio adhuc hodie vigere. Quamvis enim Patriciatus nomen inter tot rerum ſucceſſus, ac tanta temporum vetuſtate obſoleverit, ut animadvertit Zipeus in *notitia juris bellici lib.* 12. *pag.*339. id tamen non ſtatim, ſed paullatim factum, manente apud Principes, Nationeſque re integra, vel paullulum immutata dignitas ipſa Principatuum mutationem ſequuta, & mores Gentium. Sane temporibus Carolinis rariſsimi occurrunt Patricii, ut obſervavit Hieronymus Bignonius in notis ad Marculphum Monachum *lib. antiquar. formularum epiſtola ad Lectorem præfixa*. Satis autem conſtat, ea, quæ Græcis olim Patriciis ratione dignitatis, ac præſtantiſſimi muneris congruebant, congruere fere & iis hoc tempore, qui apud Summos Principes primum inter ceteras dignitates locum obtinent; ac veluti Conſiliarii, Patres, & Adjutores in rebus publicis adminiſtrandis habentur: ut propterea non immerito illis ſuffecti cenſeantur, qui in aula antiquorum Principum onus non diſpar ferentes merebant. Id ut clarius, & ſingillatim aperiamus ab Urbe Gentium domina ducentes initium, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales apud Pontificem Maximum ſupremumque Catholici Orbis Hierarcham Patriciis fuiſſe ſuffectos, oſtendunt Draco de origine &c. *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 23., & Martinus Laudenſis de Cardinalibus de præſtant. Cardinal. differens 1. *quæſt. Baſilica primæ partis num.* 34., *&* 39. inter tractatus magnos volum. 2. rectius profecto, quam Bulengerus de Imperat. & Imper. Romano *lib.* 3. *cap.* 1. qui ſentit Pontificem Optimum Maximum Auguſtis, & Cæſaribus comparari, Patriarchas autem Patriciis. Cardinales enimvero Summo Pontifici aſſiſtunt, & in magnis negociis, quæ ad Orthodoxam Eccleſiam, & Religionem pertinent, opera ſua illum juvant, atque conſilio; quod jampridem

Digitized by Google

obſervavit, & Pancirolus *in Commentar. ad notit. dignitatum Imperii Orientalis capite altero*. Huc ſpectans Cardinalis Fuſchus *concluſione xcv. num.* 2. cum Barbatia ſentit verba illa vulgati privilegii Conſtantiniani relati a Gratiano *diſtint. 69. in Can. Conſtantinus*, quo *Reverendiſſimis Clericis Romanæ Eccleſiæ ſervientibus*: Patriciatus honor collatus fertur, Cardinales indicare: quos propterea concluſione centeſima *littera* C. Patriciorum titulo, ac dignitate exornat.

II. Licet autem Cardinales in pervetuſtis Romanæ Eccleſiæ monimentis quam ſæpiſſime memorentur, eam tamen de qua agimus ſplendoris amplitudinem nonniſi, poſtquam in dignitatem nomen evaſit, aſſequuti ſunt. Quod non ante annum milleſimum Chriſti accidiſſe Viri Critici ſentiunt cum Gothifrido Henſchennio *tom. 2. de actis Sanctorum menſis Maji in notis* ad vitam S. Serenici Diaconi Deo in Vaticana Principis Apoſtolorum Baſilica famulantis *cap. 1. num. 4. pag. 169. litt. A*. Exinde in Hierarchia Eccleſiaſtica Cardinales paſſim *uno minores capite* Principes audiri cœperunt, ac honorificentiſsimis inſigniri titulis. S. Petrus Damianus xi. Chriſtiani ſæculi Scriptor *lib. 2. epiſt. 2.*: *Spirituales univerſalis Eccleſiæ Senatores illos appellat*. S. Bernardus *lib. 4. de conſideratione ad Eugenium*: *Seniores Populi, & Judices Orbis*: Concilium Baſilienſe *Seſſ.* 23. *Summi Pontificis in dirigenda Republica collaterales*; Concilium Lateranenſe V. *ſeſſione* 12. *Præcipuas Catholicæ Eccleſiæ columnas*; denique Tridentinum Concilium *ſeſſ. 25. in decreto de reformatione cap.* 1. non dubitavit aſſerere: *Cardinalium S. R. E. conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem Univerſalis Eccleſiæ adminiſtrationem niti*: Quæ omnia, quam exactæ veterum Patriciorum muneri, & auctoritati reſpondeant, facile quiſque intelligit. De Cardinalium origine, poteſtate, & amplitudine plura jampridem notarunt Honuphrius Panvinus, Hieronymus Cardinalis Al-

Albanus, Ciacconius, Platus, Rubertus Juriſconſultus Pariſienſis in hiſtoria Cardinalium Gallico ſermone ſcripta, & Bartholomæus Piazza in libro cui titulus *Gerarchia Cardinalizia*. Ne actum hic agamus; eos Lector conſulat. Tantæ dignitatis, & muneris amplitudine factum eſt, *ut in cap. Excomunicationis de offic. legati Cardinales Fratres Laterales, & Coadjutores Pontificis appellentur.* Et cap. officio eodem titulo *pars corporis ejus*. Quamobrem leſæ majeſtatis rei habentur *cap. felicis de pœnis in 6.*, qui conviciis illos læderent. Jure proinde, ac merito, quod ad externum ſplendorem attinet, Innocentius Papa IV. in Concilio Lugdunenſi anno Domini MCCXLIV. Cardinalibus Rubrum galerum tribuit. Bonifacius vero VIII. in regii decoris inditium purpureas veſtes conceſſit. Leo X. in Concilio Lateranenſi ipſos dignitate, & honore reliquos omnes antecellere aſſeruit: Qua tamen de re non leves antea querelæ motæ. Quoniam in Curia Romana Regi Hungariæ, cui quartus inter Reges locus eſt, intra ultimos Cardinales Sedes fuit attributa: ipſique Principes Sacrique Electores Imperii nequaquam inter Cardinales ſunt recepti, ut videre licet apud Raynaldum *in annalibus Eccleſiaſticis ad annum Chriſti MCDXXVI. pag. 426.*. Quumque jamdiu titulo *Illuſtriſſimi* inſignirentur, Urbanus VIII. Pontifex Maximus anno Chriſti MDCXXX. *Eminentiſſimi* appellari voluit, præcipua, & luculenta ea de re conſtitutione edita.

III. Septem Romani Imperii Electores apud Cæſaream Imperatoris Majeſtatem Patriciis fuiſſe ſuffectos contendit Draco citato *lib. 2. cap. 6. nu. 29.* Is ſublimem Patriciatus dignitatem cum excelſo illorum munere confert, oſtenditque primum utroſque apud Cæſarem occupaſſe locum; ipſoſque Electores Summos Patres, ac Senatores Imperii jure haberi: Quales ſeſe iidem appellant apud Fridericum Hortleder *lib. 1. cap. 37. num. 551. Primaria*

maria ſane, *& propinquiora ſibi Romano-Germanici membra* eos vocat Carolus IV. in aurea bulla *cap.* 28. Ibidem *cap.* 12. *Solidas Imperii baſes*, dixit, *& columnas immobiles*: Cap. autem 24. uti *partem corporis Imperatoris extulit*. Quamobrem hoc excelſo in Romano Imperio potiti gradu, pari cum antiquis Patriciis gaudent præſtantia ordinis: Et quemadmodum illi Supremorum Conſultorum fungentes munere, Principi, ac Reipublicæ tanquam Patres ſuis proſpiciebant filiis, *ita illi celſiſſimi Septemviri*, *decor*, *& gloria Sacri Romani Imperii*, ut loquitur memoratus Imperator in dictæ bullæ *cap.* 3; ſolerti pietate, ac prudentia Imperium ipſum ſuſtentent, ex eorum præſidio dextera Imperatoriæ potentiæ plurimum roboretur, & tandem quanto mutui favoris ampliori benignitate ſtringuntur, tanto uberius pacis, & tranquillitatis commoda feliciter profluunt in populo Chriſtiano. Ipſi poſtremo plurimorum neceſſitatibus relevandis Cæſareæ aſſiſtunt ſublimitati in partem ſollicitudinis conſtituti. Hæc autem una cum ampliſſimo jure novum eligendi Imperatorem ſpectans laudatus Draco, *Certe*, inquit, *non fallere me*, *nec falli videor*, *quando arctiorem illam Septemvirorum*, *& Patriciorum convenientiam*, *vel inde confirmem*, *vel adſeram*, *quod apud C. P. olim inſtar hodiernorum Imperii Electorum Patricii ſimilem Provinciam in electione Imperatorum tenuerint*. Ab aliis vero Interpretibus latius extenditur Patriciatus dignitas, & Principibus quoque Imperii Germanici competere nonnulli autumant; E quibus ſunt Hubertus Giphanius *in* §. *filius familias Inſtitut. quibus modis jus patriæ poteſt. ſolvitur* & Corradus *Bittersbus in* §. *conſtat autem Inſtitut. de jure naturali Gent. & civili*.

IV. Franciæ Paribus eamdem a Patriciis originem tribuunt; ipſorumque ſubrogatos loco amplisſimis in aula Chriſtiani ac potentiſſimi Regis fungi muneribus, illos cenſent Soacius *De Roman. & Venet. Magiſtrat. inter*

ter ſe comparat : *num.* 28. & Gregorius Tholoſanus *Syntagm. juris cap.* 4. *lib.* 3. *num.* 2. ubi aperte pronunciat : Patricios in Gallia dictos eſſe Pares : In hanc ſententiam recte etiam Zipeus *in notitia juris Belgici lib.* 12. *pag.* 339. *Patriciatus*, inquit, *magna fuit dignitas*, *ceteris omnibus anteponenda*, *& veluti Patres Patriæ cenſebantur*, *ut hodie ſunt Pares Franciæ* : Unde vir graviſsimus Julius Cæſar Bulengerus de Officiis Regni Galliæ, quum de Patriciis, ſeu Paribus titulum capitulo præfixiſſet, hæc ſcribit : *Duodecim Pares*, *ſeu Patricii a Carolo Magno inſtituti ſunt* . *His ſolis ſacrandi Regis jus eſt*, *& in Regni poſſeſſionem mittendi*. Pares propterea nomen a Patriciis ſumſiſſe ex eo conjicitur, quod Patricii olim in Gallia Pares invicem appellabantur, ut legitur apud Jacobum Meyerum Baliolanum in Commentar. *Sive annalibus rerum Flandricarum lib.* 13. *num.* 13. *ſeq.* Ibi deſcribens author ſolemnem ritum coronationis Caroli V. ita loquitur : *Peractæ cæremoniæ ab duodecim Regni Patriciis ſua quoque munia magna celebritate obeunte* : Idem Scriptor memorans eorumdem jura a Carolo Rege uſurpata *lib.* 16. *num.* 1459. *eo tempore*, inquit, *quo Reges ſibi aſſeruiſſent quoſdam ex Patriciatibus*, *ut Normanniam*, *Aquitaniam*, *Campaniam*, *Tholoſam*, *eos ſuo arbitrio*, *omnia gubernare*, *ſolique eam*, *quæ ad Patricios pertineret*, *adminiſtrationem arrogare. Quamvis eſſet lege cautum*, *ut Patriciis ſua eſſet Curia privata ex Rege*, *& delectis proceribus*, *permiſſumque a Rege conventu quodam Pariſiaco*, *ut duodecim crearentur Viri*, *ad quorum conſilium Dux*, *ut duplex Patricius vocaretur*, *ſed nunquam fuiſſe vocatum*, *ſe exploratum habere*, *ab Judicibus Parlamenti ſolum judicari pro Rege*, *authoritatem*, *dignitatemque Parium Patriciorum ab illis confundi*, *corrumpi*, *& deleri* : Huic tamen aſſerto minime adhæret Seldenus libro, cui titulus : *Tituli honor. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. ubi ſatis invalido ſuffultus momento id refellit : *Patricii appel-*

Digitized by Google

appellatio, inquit, *non aliter*, *quam officii titulus fuit*, *data æque*, *ac Comitis*, *& Ducis*: *Attamen nullum extat exemplum*, *quod ſciam*, *titulum hunc feudalem fuiſſe factum*, *idcirco aſſentiri non poſſum originationi* (*Parium*) *ex Patricii vocabulo*: Adverſatur, & Everardus Otto *diſſert 7. part.* 1. §. 8. ſcribens: *omnes ratione hominii*, *& tenuitæ ſibi æquales*, *unde a paritate conditionis non a Patriciatu eos nomen tuliſſe*: Sed is paullo poſt ſuæ oblitus ſententiæ referens Parium contentionem, enatam in ſacris Rhemenſibus de prærogativa honoris: *Ordo ſeſſionis*, inquit, *ex die inſtituti ſeu erecti Patriciatus conſtitutus eſt*: Seldenus vero aliter fortaſſe ſenſiſſet, ſi apud Marculphum Monachum pervetuſtum Scriptorem Gallum *lib.* 1. *antiquar. formul.* legiſſet in formula octava chartam Patriciatus. In ea ſiquidem animadvertiſſet, non diſſimili fere ratione, quam illa communi feudorum Patriciatum quoque fuiſſe collatum: eoque ferme modo, quo Comitatum, Ducatum, & etiam Patriciatum in aliqua Civitate, vel pago inſtitutum; de quo fuſe ſuo loco egimus.

V. Atque hic nonnulla de eorumdem Parium origine, & inſtitutione opportune lubet afferre: de qua licet Scriptores rerum Gallicarum inter ſe minime conveniant, ipſorum nihilominus opiniones, qualeſcumque ſint, non pigebit referre; ut ex iis, quæ meliora, ac ſolidiora videbuntur, Lector æquus prudenſque ſeligat. Sunt, qui aſſerunt Carolum Magnum Imperatorem, atque Francorum Regem Catholicæ Fidei ſtudio, ac Religione ductum, florentem in Hiſpaniam traduxiſſe exercitum. Antequam tamen eam expeditionem ſuſciperet, ex præcipua Francorum nobilitate XII. Viros legiſſe, quos ſecum perduceret, eoſque Pares, ſive Patricios appellaſſe. Ita ſentiunt Caſſaneus *Catalog. gloriæ Mundi part.* 5. *conſid.* 43. Guido Piſo Soacius *de Roman. & Venet. Magiſtrat. inter ſe comparat.* Lupan. *in Commentar. de Magiſtrat. & Præ-*

Præfect. Franc. lib. 1. tit. Pares Franciæ, Pancirol. in *Theſaur. variar. lectio. utriuſq. juris lib. 1. cap. 88.* Eodem ſenſu Martinus Curſius *Annal. Suevic. lib. 1. cap. 1. pag. 3.* Carolo Magno Pares adſcribit, & tanquam regni adminiſtrandi adjutores in locum majorum domus, tunc deſinentium prodit fuiſſe ſuffectos. Guilelmus Buda ſcribit videri ſibi ab iis fortaſſe Regibus inſtitutos, qui ipſi Imperatores quoque fuerint. Quem proinde reprehendit Franciſcus Hotomannus in *Francogallic. cap. 17.* Ganguinus, & Paulus Æmilius Pipino, aut Carolo tribuunt, quos itidem rejicit Hotmannus eodem loco, apud quem alii tempore Hugonis Capeti conſtitutos autumant. Alii apud Joannem Jacobum Draconem loco recitato *num. 31.* Juniorem Ludovicum auctorem extitiſſe memorant. Nicolaus vero Gillius turpi commento ſcribere auſus eſt, ipſo Trojani incendii tempore Parium hoc exſtitiſſe ſodalitium. In tanta opinantium ſcriptorum varietate eodem teſte Dracone *n. 37.* in rem noſtram conſtat. *Patricios, ſive Pares Franciæ, cum noſtris in eo convenire, quod ex edicto Caroli V. Francorum Regis, quo Matricenſem Comitem Franciæ Parem eſſe juſſit anno Chriſti MCCCLIX. apparet, quod ob eam cauſam fuerint creati, ut cum Regibus pro Republica conſilium caperent, ut de rebus omnibus ad Rempublicam pertinentium ad eos referretur. Si qua controverſia inter Proceres eſſet, horum arbitrio componeretur, ſi quod crimen admiſſum ad exemplum pertineret, horum diſquiſitionis ſententiis judicaretur; denique, ut penes eos eſſet rerum ſumma; fœdera inirent, bella juberent inſtitui; quos latine ea de cauſa, ut ſuperius dixi, appellandos eſſe Patricios putavit Guilelmus Buda, quaſi Patres communis Reipublicæ.*

VI. In Hiſpaniis Equites aurei velleris, & Sancti Michaelis apud Regem Catholicum eorumdem Patriciorum locum obtinere; prodit Zipeus in notitia juris Belgici *lib. 12.*. Haud aliter in Anglia nobiles illos Viros, quos

quos *Periſcelidos* vocant, Patricium exhibere ordinem ſentiunt Veſſembecius *in* §. *filius familias num.* 4. Inſtitut. *Quibus modis jus patriæ poteſt. ſolvitur*; Neque id ratione caret; quemadmodum enim Patricii Supremi Principis Patres, ſic iſti fratres Regii appellari ſolent, ut obſervat citatus Bodinus *lib.* 5. *cap.* 4. De ceteris denique aliorum Principum aulæ Proceribus, qui antiquis Patriciis ſuffecti putantur, hæc habet Draco loco paullo ante indicato *num.* 38.: *Quibus omnibus, ſi addere quis vellet, & Patriciis comparare Palatinos in Polonia, duodecim Conſiliarios Supremos Moſcoviæ, nec non Optimates, ſive Ephoros Angliæ, Sueviæ, Daniæ, Hungariæ, & aliorum Regnorum, non adeo iniquam collationis rationem meo quidem judicio iniret.*

VII. Enim vero, eos qui in Conſiliarios Supremi Principis adſciſcuntur non inepte Patriciis comparari opinor. Par ſiquidem utriſque videtur munus, non alia auctoritas, quam ſimillima autem dignitatis præſtantia. Eo proinde factum cenſerem, ut ſicuti Patricii ſoluti erant patria poteſtate: ita & ii, qui ab Imperatore, aliove Supremo Principe ſummæ rei pronunciantur a conſiliis eodem jure gaudeant: ex Joanne Schneidew *ad* § *filiuſfamilias nu.* 2. *Inſtit. quibus modis jus patriæ poteſtat. ſolvitur*, & Melchiore Goldaſto *lib.* 1. *de Major. cap.* 6. *in fine*. Quod itidem de cujuſvis Principis, Comitis, Ducis liberæ Civitatis, vel ſtatus Imperii Conſiliariis dici poſſe opinatur Guido Pancirolus *in Theſauro variar. lectionum juris utriuſque lib.* 2. *cap.* 8., & idem ſentit Joannes Jacobus Draco eodem paullo ante citato loco *num.* 21. Propterea quod quilibet Status Imperii, ut vocant in ſuo territorio, eamdem vim, poteſtatemque obtinet, quem Imperator in univerſo habet Imperio, ſecundum communem Doctorum ſententiam: de qua omnium latiſſime diſſerit *Theodorus Reinſing. de regimine Seculi, & Eccleſiæ Claſſ.* 1. *cap.* 6.

OCTA-

OCTAVIANI GENTILII

De Dignitate Patriciatus poſt occupatum a Barbaris Italiæ Regnum.

LIBER TERTIUS.

De Origine Patriciatus Romanorum.

CAPUT I.

I. *A Carolo Martello adverſus vim Longobardorum Gregorius III. opem poſtulat.* II. *Duplicem pro re ipſa legationem deſtinat.* III. *Carolus Martellus Eccleſiæ Romanæ defenſionem ſuſcipit.* IV. *Gregorius III. eidem offert Patriciatum. Ducangius aſſerens Pipinum Regem Francorum omnium Primum Patricium Romanorum fuiſſe, rejicitur.* V. *Stephanus III. adverſus Aiſtulſum Regem Longobardorum a Pipino auxilium flagitat.* VI. *In duobus Galliæ Conventibus inter Stephanum III., & Pipinum fœdus initur, quo Eccleſiæ Romanæ protectio firmatur.* VII. *Conventus eo fœdere Patriciatus a Stephano III. Pipino, Carolo, & Carolomanno tribuitur.* VIII. *Pipinus eodem fœdere pollicetur ſe donaturum eas Urbes, quas a Longobardis recuperaret.*

QUæ rerum omnium humanarum conditio eſt: Non durare eas ſemper, nec manere veſtigio eodem, duobus ſuperioribus libris Patriciatus dignitati vidimus contigiſſe: Ipſa ſiquidem varium fatum paſſa eſt tum in Romana Republica tum in occidentali Imperio; in quo ſenſim ita ma-

Digitized by Google

magnum eſt adepta incrementum, ut alia dignitas, nulla eadem major, atque ſublimior a Græco Imperatore Viris præſtantiſſimis, Regibus, Magniſque Principibus conferri quiverit. Par proinde nunc eſt, ut diſſertationibus noſtris ultimam ejus fortunam illuſtremus, quam Viri Principes longe conſpicui, ipſam geſſerunt, vel ab his alii ornati fuerunt. Ut itaque perſpecta habeantur Patriciatus, de quo nunc diſſerimus, jura prærogativa, munera, & officia, erit operæ pretium, rem a primordiis repetere. Occupata Longobardorum armis Italia propemodum univerſa, quum Luitprandus, & Hilprandus earumdem Reges in Exarchatus Provinciis adverſus Imperii Orientalis copias gererent bellum, multos per annos Eccleſia Romana, & ipſa Italia propter ipſorum dominandi libidinem graviſſimas paſſa eſt ærumnas, atque diſpendia: Luitprandus enim eam non ſolum Italiæ partem Græco ereptam Imperio, jure belli adeptus fuit, ſed captis etiam finitimis Urbibus Romanos fines ingreſſus, vaſtato agro, caſtriſque in campo Neronis locatis, multos Romanos Viros nobiles Longobardorum more attonſos in ſuam poteſtatem redegit. Patrimonium inde Eccleſiæ Romanæ diripuit, multiſque editis cædibus, & illatis cladibus, parum abſuit, quin Urbs ipſa in ferociſſimi Regis ſervitutem redigeretur; ut oſtendunt Sigonius *De Regn. Italiæ lib.* 3. Martin. Mager. *de advocat. armat. cap.* 5. *num.* 280. Petrus de Marca *de concordia &c. lib.* 1. *cap.* 12. His preſſus anguſtiis Gregorius III. Pontifex Maximus omni Orientis Imperatoris deſtitutus ope aliunde auxilium quærere, & defenſionem ſibi parare coactus fuit. Summum gerebat ea tempeſtate Magiſtratum in Gallia, Carolus cognomento Martellus, qui *major Regiæ Domus* vulgo appellabatur, omnique jure domi, foriſque Regni adminiſtrandi potiebatur. Ad hunc Pontifex maritimo itinere legatos mittit Anaſtaſium Epiſcopum, & Sergium Presbyterum: Honoriſque cauſſa cla-

claves Sepulcri Apoſtolorum Principis, & quædam ejus vinculorum fragmenta, eo conſilio: *Ut a tanta oppreſſione Longobardorum Italiam liberaret*: Teſte Anaſtaſio Bibliothec. *in Gregor. III.*, & patet ex Gothofridi Chronico, Sigonio de Regno Italiæ, & Martino Mageri de Advoc. armata *citato cap. 5. num.* 281.. Quare idem Pontifex ſe, ſuamque Eccleſiam tuitioni, & protectioni Caroli commiſit additis literis, quibus non ſine magno animi ſenſu: *Ad te*, inquit, *poſt Deum confugium facimus; conjuro te per Deum vivum, & verum, ut non præponas amicitiam Regum Longobardorum amori Principis Apoſtolorum, ſed velocius ſub nimia feſtinatione ſentiamus poſt Deum, tuam conſolationem ad noſtram defenſionem*: Ex Petro de Marca *de concordiis lib.* 1. *cap.* 12.

II. Meminit Anaſtaſius Bibliothecarius unius tantum Legationis ad Carolum Martellum a Gregorio III. deſtinatæ; ſed nova inde legatione opem ejus poſtulaſſe non modo adverſus Longobardos, verum etiam adverſus Orientis Imperatorem, qui Longobardorum concitaverat Regem contra Romanam Eccleſiam, obſervat Vir Clariſſimus Antonius Pagius in Gregorio III. *num.* 13., qui pro re nata ex continuatore Fredegarii *cap.* 110. hæc verba deſcribit: *Eo tempore bis a Roma Beatus Papa Gregorius claves venerandi Sepulcri cum vinculis S. Petri, & muneribus magnis, & infinitis legationem (quod antea nullis auditis, aut viſis temporibus fuit) memorato Principi Carolo deſtinavit*: Idipſum expreſſe legere licet in Annalibus Metenſibus, qui in collectione Hiſtoricorum Francorum Ducheſnii exſtant: *Anno* DCCXLI. *Carolus Princeps domitis circumquaque poſitis Gentibus, dum ea, quæ pacis erant infra ſui regiminis terminos diſponeret, bis eodem anno legationem Beatiſſimi Gregorii Papæ ab Apoſtolica Sede directam, ſuſcepit; qui ſibi claves venerandi Sepulcri Principis Apoſtolorum Petri, ejuſdemque pretioſa vincula cum muneribus magnis delatis obtulerunt*,

quod antea nulli Francorum Principi a quolibet Præſule Romanæ Urbis directum fuit: Ex hujuſmodi Gregorii III. ad Carolum Martellum legatione invectus mos fuit Nunciorum Apoſtolicorum in Gallia. Tum enim primum Apocriſarii Romanæ Sedis in Francia viſi ſunt, qui bis cum Carolo Martello egerunt; ut auxilium opemque Romanis præſtaret. Qui Romanum Pontificatum poſt Gregorium III. geſſerunt, affirmat Cointius *in Annalib. Eccleſiaſt. Franc.* ad annum DCCXL. *num.* 7. eos frequentius Nuncios direxiſſe in Franciam, reſque eo deveniſſe, ut præter Legatos, qui novis emergentibus cauſſis Roma mittebantur, Apocriſarius Apoſtolicæ Sedis in Comitatu Regis aſſidue maneret, nec raro id munus a Romano Pontifice ei collatum eſt, quem Rex Archicapellanum palatii ſui conſtituerat.

III. Res itaque nova, & valde honorifica eo tempore ſpectata eſt; atque inde Carolo Martello non parum honoris acceſſit, ex legatione duplici ſibi miſſa a Pontifice Maximo, ut adverſus Longobardorum vim cum ipſo fœdus iniret. Quid vero legationibus, literiſque Gregorii III. ille reſponderet, veterum Scriptorum nemo hactenus prodidit, ſed eas Carolo gratiſſimas fuiſſe non obſcure indicat recitati paullo ante Fredegarii continuator, qui in appendice ſui operis hæc ſcribit: *Ipſe mirifico, ac magnifico honore, ipſam legationem recepit, munera pretioſa contulit, atque cum magnis præmiis cum ſuis ſodalibus miſſis Crimonem Abbatem Corbejenſis Monaſterii, & Sigobertum Recluſum Baſilicæ S. Dionyſii Martyris ad limina S. Petri, & S. Pauli deſtinavit*. Nec dubium eſt, ipſum per ſuos Legatos auxilium, opemque promiſiſſe Summo Pontifici: Quin imo nulla mora interpoſita, ut ille celeriter adeſſet, & auxiliaretur, Luitprando Regi legationem miſit, bellum denuncians, niſi ditione Romana quamprimum excederet, ut refert recitato loco Pagius *num.* 15. Hinc ipſum Luitprandum deterritum, ſive, ut

ut Sigonius *de Regno Italiæ lib.* 3. narrat, gratiſſima ſibi recepta legatione, ejus obtemperaſſe Imperio, Papiamque, unde venerat, rediiſſe, retentis interea quatuor oppidis quæ occupaverat, & quæ deinde ſub Zacharia Gregorii Succeſſore reſtituta fuiſſe prodit Anaſtaſius.

IV. Impenſum adeo ſollicite Romanæ Eccleſiæ a Carolo Martello defenſionis officium ita Pontificis obſtrinxit animum, ut æquum judicaverit bene de ſe, & Romana Eccleſia meritum Principem ampliſſima Patricii Romanorum dignitate ornare; quæ tunc in Occidente, & Oriente habebatur præſtantiſſima: Eaque decorabantur, qui Eccleſias juvabant defenſione, & patrocinio. Porro conſtat ex continuatore Fredegarii, & auctore annalium Metenſium Carolo Martello a Gregorio PP. III. Romanorum Patriciatum fuiſſe delatum: quod prodit etiam Franciſcus Pagius in critica ad annales Cardin. Baronii ad annum DCCXCVI. *nu.* 5. *to.* 3., & Junior Pagius *in Breviario geſtor. Romanor. Pontific. in Gregorio III.* Patriciatum Carolum proinde geſſiſſe memorat Melchior Goldaſtus *tom.* 1. *conſtit. Imperial. ad ann. DCCXLI.* Ducangius autem in Gloſſario verbo Patricius. Aliique ante ipſum Scriptorem perperam prodidere: Romanos, poſtquam ſeſe a jugo Græci Imperii ſubduxerunt, Longobardis devictis, & ſuperatis, primum Pipino, deinde Carolo Magno, & Carolomanno Francorum Regibus detuliſſe Patriciatum; Non enim Romanis jus erat tantæ conferendæ dignitatis; ſed illa pendebat a poteſtate Summi Pontificis; ut ſuo loco oſtendemus; nec omnium primus Pipinus, eo fuit dignitatis titulo auctus. Quæ enim de Carolo Martello diximus perſpicuum faciunt, hunc ante Pipinum Romanorum appellatum fuiſſe Patricium. Quare Franciſcus Pagius quamvis a Romanis Pipino, ejuſque filiis Patriciatum conceſſum putet, Ducangium, tamen, & alios refellit his verbis: *Illis difficillimis temporibus Carolus Martellus Patricius Romanorum, ac defenſor*

Digitized by Google

ſenſor Eccleſiæ dictus eſt; ut jam ex continuatore Fredegarii oſtendimus &c. non minus igitur Carolus Martellus Romanorum Patricius fuit, quam Pipinus, & Carolus Magnus; cum eorum omnium auctoritas in ſolo Patriciatu, illis collato, inniteretur.

V. Spes erat Eccleſiæ, ac Italis Populis ſeſe ſub tanto Defenſore, ac Patricio a barbarica Longobardorum ſervitute vindicare; Sed immatura Caroli Martelli mors, quæ ipſo anno DCCXLI. accidit, impedimento fuit, ne opportuna Romanæ Eccleſiæ præſtarentur auxilia: nobiſque pauca relicta ſunt hiſtorica monumenta, quibus illius Patriciatus fieret clarior. Longobardis hinc novus aditus datus, Romanæ Eccleſiæ occupandi regiones, Italoſque vexandi Populos impreſſionibus aſſiduis, rapinis, cædibus, bello. Aiſtulphus ſiquidem Longobardorum Rex anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo, quinquageſimo tertio, rupto fœdere, quod cum Romana Eccleſia pepigerat, infeſto exercitu Romam irrupit, eoque Urbi admoto extremum Pontifici, & Romanis minabatur excidium, ac ſervitutem, niſi ipſius ſe poteſtati traderent; quapropter Stephanus II., alias III. Zachariæ Succeſſor opem ab Orientis Imperatore per ſuos petit Legatos: *Ut juxta quod ei ſæpius ſcripſerat, cum exercitu ad tuendas has Italiæ partes, modis omnibus adveniret, & de iniquitatis filii morſibus Romanam hanc Urbem, vel cunctam Italicam Provinciam liberaret*. Ita Anaſtaſius Bibliothecarius in *Stephano II.* ſed fruſtra auxilium eſt imploratum; moræque opportunitatem nactus Aiſtulfus Romam interea obſidere pergit, ut eam ditioni ſuæ addat, ſubjugatque, porro Urbes alias, quæ Romanæ Eccleſiæ obtemperabant, & ſummo Pontifici. His gravibus Stephanus preſſus malis, & anguſtiis, convocato populo, publicas pro Urbis liberatione ſupplicationes indicit: Deceſſorumque ſuorum inſiſtens exemplis unicum in Gallorum Regibus præſidium conſtituit. Ad

Pi-

Digitized by Google

Pipinum proinde Caroli Martelli filium literas mittit, hortaturque ut cauſſam B. Petri, Eccleſiæque Romanæ adverſus Longobardos ſuſcipiat. *Cernens*, inquit Anaſtaſius, *ab Imperiali potentia nullum eſſe ſubveniendi auxilium: tunc quemadmodum prædeceſſores ejus beatæ memoriæ Dominus Gregorius, & Gregorius alius, & Domnus Zacharias Beatiſſimi Pontifices Carolo Excellentiſſimæ Memoriæ Principi Francorum direxerunt, petentes tibi ſubveniri propter oppreſſiones, & invaſiones, quas & ipſi in hac Romana Provincia a nefanda Longobardorum gente perpeſſi ſunt; ita, & modo ipſe Venerabilis Pater Divina gratia inſpirante clam per quemdam Peregrinum ſuas miſit literas Pipino Regi Francorum*: His mox literis Pipinus acceptis, reſpondet daturum ſe operam, ut ipſe Pontifex, & cuncta Italia a barbara hoſtium tyrannide vindicetur. Quod Princeps Religioſiſſimus mature præſtitit. Duplici ſiquidem bello Aiſtulphum petens, ac reprimens, univerſas Romanæ Eccleſiæ Urbes, & oppida illi reſtituit: pacatamque reliquit Italiam; ut veterum teſtimoniis refert Martinus Mageri *de advoc. armata cap. 5. num. 285. & ſeq.*

VI. Interea vero, cum adhuc infeſta Aiſtulphi arma, Romam, & circumpoſitas Regiones premerent, Stephanus Pontifex ingenti Romanorum ſtipatus agmine, Gallias petit, ut fœdus cum Pipino ineat de ſuſcipienda defenſione Romanæ Eccleſiæ, ut referunt Petrus de Marca *de Concordia &c. lib.* 1. *cap.* 12. & Antonius Pagius in breviar. *geſt. Summorum Pontificum in Stephano III. num.* 4 Factum id eſt duobus totius fere Galliæ conventibus apud Brennacum, & Cariſiacum: conſtitutumque eſt, ut primum Pipinus opem, auxiliumque Romanæ impenderet Eccleſiæ, inde ipſe, ejuſque filii Carolus, & Carolomannus Patricii eſſent Romanorum. Hujus fœderis mentionem faciunt Annales Metenſes, Bertiniani, & Fuldenſes, & Fredegarii continuator; nec clarius oſtendi

di poteſt, quam ipſius Stephani verbis, qui cum ab Aiſtulpho fœderibus fractis Roma iterum obſidione premeretur, pacta Pipino memorat, tertia ad ipſum data Epiſtola: *Dum veſtris*, inquit, *mellifluis obtutibus præſentati ſumus, omnes cauſſas Principis Apoſtolorum in veſtris manibus commendavimus, quoniam quidem inſpirati a Deo aurem petitionibus noſtris accommodare dignati eſtis, & vos B. Petro polliciti eſtis ejus juſtitiam exigere, & defenſionem S. Dei Eccleſiæ procurare*: Et Epiſtola 4. ad eumdem: *Quoniam, nulli alio niſi tantumodo tuæ amantiſſimæ Excellentiæ, vel dilectiſſimis filiis, & cunctæ Genti Francorum per Dei perceptionem, & B. Petri, & S. Dei Eccleſiam, & noſtram, & Romanorum Reipublicæ populum commiſimus protegendum*: De hoc item fœdere Jacobus Hofmannus in lexico univerſali verbo *Patricius* verba faciens ſcribit: *Stephanum Papam veniſſe ad Regem Pipinum, & poſtulaſſe patrocinium ejus contra Aiſtulphum Regem Longobardorum, ac ipſius patrocinii gratia, decreviſſe: Quemlibet deinde Regem Francorum eſſe Patricium Romanorum*: Idipſum refert Petrus de Marca *de Concordia l.1.c.12. Hic enim* (Stephanus) *dum Aiſtulphi Longobardorum Regis armis undique premeretur, ad Gallias magno Procerum Romanorum comitatu ſtipatus acceſſit, ubi fœdus cum Pipino Rege pepigit iis conditionibus, ut Rex, ejuſque filii Patricii Romanorum dicerentur*: Ac verba Valthrami Epiſcopi Nambulgenſis in Apologia Henrici IV. deſcribens, idem affirmat Gutherus *de offic. Domus Auguſtæ lib. 2. cap. 19.*

VII. Eam porro dignitatem Sacris inde Cæremoniis in Baſilica S.Dionyſii Stephanus contulit Pipino Regi, ejuſque filiis Carolo, & Carolomanno, ut refert Joannes Mabillonius *de re diplomatica lib.2.cap.3.num.9.* & in ſupplemento ejuſdem tractatus *cap. 9.*. Honorifico poſthac tum Pipinus, tum Carolus, tum Carolomannus Patricii Romanorum titulo inſigniti uti tales ſe geſſere,

& ab

& ab aliis habiti ſunt, ut notant citato loco Petrus de Marca *num.* 4. Nicolaus Alemannus *in diſſert. de Lateranſ. parietinis cap.* 11., & Le Blanc *in tract. hiſtorico de Galliæ nummis & diſſert. gallico ſermone adjecta*, & Natalis ab Alexandro *Hiſtor. Eccleſiaſt. ſæculo viij. cap.* 1. *tom.* 5.. Quum itaque ad ſuppetias urbi ferendas idem Pontifex Maximus Pipinum patrem, amboſque ejus filios interpellaret, omnes Patricii Romanorum titulo exornavit, literiſque hanc præfixit epigraphem, apud Baronium ad annum DCCLXXV. *DD. Excellentiſſimis Pipino, Carolo, & Carolomanno item Regibus, & utriſque Patriciis Romanorum*: Idem notant de Marca, & Alemannus. Hinc Anaſtaſius Bibliothecarius in Adriano I. anno Chriſti DCCLXXII. mentionem faciens de urbibus Ditionis Romanæ Eccleſiæ a Deſiderio altero Longobardorum Rege ſubactis: *Quas*, inquit, *Sanctæ Memoriæ Pipinus Rex, & ejus filii Carolus, & Carolomannus Excellentiſſimi Reges Francorum, & Patricii Romanorum B. Petro concedentes obtulerunt*.

VIII. Sed nec prætereundum eſt, conventum quoque eo fœdere apud Cariſiacum fuiſſe inter Stephanum III., Pipinum, ejuſque filios, & totam Francorum Gentem, ut illa potiſſima Italiæ pars, quæ tunc a Longobardis occupabatur, ab iis vindicata in perpetuum B. Petro donaretur: ideſt: *A Lunis cum inſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in Monte Bardone, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio, & exinde in Mantua, atque Monte Silicis, ſimulque & univerſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, atque Provincias Venetiarum, & Hiſtriam; nec non, & cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum*: Ut inquit Anaſtaſius *in Adriano* I.. Hujuſmodi pactum poſt Patriciatus conceſſionem initum fuit, quo ſicuti a Summo Pontifice ob ſuſceptam defenſionem Eccleſiæ Romanæ Pipinus ejuſque filii Patriciatu inſigniti fuerunt, ita

Rr non

Digitized by Google

non diſpari erga D. Petrum munificentia ſe tales re ipſa oſtenderent; quod perſpicuum fuit ſuſcepti patrocinii argumentum: Solemni autem interpoſito ſacramento promiſerunt ſe in perpetuum donaturos Romanæ Eccleſiæ totam illam Italiæ partem, quæ a deſignatis confinibus ad fretum uſque Siculum protendebatur. Quare Pipinus xx. Exarchatus & Pentapoleos Urbes Aiſtulfo Longobardorum Regi ademtas Eccleſiæ Romanæ largitus eſt, novo, atque præcipuo de re ipſa edito diplomate, quo magis magiſque perpetuo Romanæ Eccleſiæ, & Summorum Pontificum juri conſultum fuit. Carolus M. deinde non modo in poſſeſsionem reliquæ partis earumdem Provinciarum Romanos Pontifices miſit, ſed & Sabinæ Provinciæ ad Spoletanum Ducatum pertinentis, Caſtelli felicitatis, Urbis-veteris, Balneo-regii, Viterbii, Marthæ, Tuſcanæ, Popolonii, Suanæ, ac Refellarum Tuſciæ Longobardorum Urbium poſſeſsionem diverſis temporibus Romanis Pontificibus tribuit: Addidit etiam Soram, Arcem, Arpinum, Aquinum, Theanum, & Capuam in Campania ſitas Urbes: necnon Corſicam, atque Sardiniam; ut conſtat, ex Anaſtaſio Bibliothecario *in Stephano III. & in Adriano I.* quod & antiqui Annalium Francorum Scriptores comprobant.

De Patrocinio Eccleſiæ Romanæ a Galliæ Regibus per Patriciatum ſuſcepto.

CAPUT II.

SYNOPSIS.

I. *Variæ de Romanorum Patriciatu Scriptorum ſententiæ; is nihil aliud erat, quam Advocatio, & Patrocinium Eccleſiæ Romanæ.* II. *Paulus I., & Stephanus III. Pipino, & ejus filiis Romanorum Patriciis, uti Advoca-*

vocatis Eccleſiæ Romanæ ſcribunt. III. *Adrianus I. Carolum M. eadem de re adverſus Longobardorum Regem provocat; item, & Leo Tertius.* IV. *Pipinus, & Carolus M. defenſores Eccleſiæ Romanæ dicti. Carolus M. defenſoris titulum ſibi adſciſcit.* V. *Idem a Leone* III. *Patriciatus confirmationem poſtulat, ut tueri Eccleſiam poſſet.* VI. *Galliæ Regibus uti Romanorum Patriciis miſſum vexillum Eccleſiæ Romanæ, quod ejus Defenſores, & Advocati eſſent.* VII. *Vexillum hujuſmodi iis quoque mitti ſolitum, qui pro Eccleſia Romana adverſus Schiſmaticos bellum ſuſcipiebant.*

I. EX his, quæ hactenus expoſuimus, non obſcure, ut reor, patet Patriciatum Carolo Martello a Gregorio III. Pipino autem Carolo, & Carolomanno Francorum Regibus a Stephano III. Summis Pontificibus conceſſum fuiſſe, ut ope, auxilio, & auctoritate Romanam tuerentur Eccleſiam. Quæ ſane cauſſa apertiſſime oſtendit Patriciatum hujuſmodi nil aliud eſſe, quam advocationem, Patrocinium, & defenſionem Eccleſiæ Principis, itemque Romani Pontificis, populique Romani. Idque tum neceſſitati temporum, curæque Pontificum, tum etiam ipſius quoque Patriciatus muneri quam potiſſime congruebat. Hoc, ut fiat clarius, peculiari duximus diſſertatione tractandum, ut ita patefacta genuina ejuſmodi Patriciatus qualitas inſtar lucis mendacia detegat, atque præſtigias, quas fraudulenti auſu, nonnulli commenti ſunt, quibus deinde a pleriſque Scriptoribus Gallis, atque Germanis Regum ſuorum, & Imperatorum juriſdictio in Romanæ Eccleſiæ Urbes, atque Provincias excogitata eſt. Ut autem ab eo, quod totius rei caput eſt, ſumamus exordium; non una de Patriciatu Romanorum exſtitit Scriptorum ſententia: Nonnulli nimis abjecte de ejus majeſtate ſentiunt, qui nudum nobilitatis, aut officii

Digitized by Google

Conſtantinopolitani inditium fuiſſe arbitrantur: Alii plus æquo extollunt, Patricioſque Romanorum fuiſſe ajunt, quos nunc Romanorum Reges dicimus. Quidam Imperium, alii Præfecturam Urbis, & adjacentium Regionum: alii jus eligendi Romanum Pontificem Patricios habuiſſe putarunt. Nobis autem omnium optime ſenſiſſe videtur Nicolaus Alemannus *diſſert. de Lateranen. parietinis cap.* 11., qui cauſſam, nomen, & munus collati Franciæ Regibus Patriciatus expendens: *Inde eſt*, inquit, *quod cum Defenſorem, ac Patronum ſuarum Provinciarum, & Urbis, Pipinum Stephanus II., & Adrianus I. Carolum Magnum cooptarent, promto illo, paratoque Patricii nomine, quod tum in Italia ex Imperii conſuetudine uſurpabatur, eos appellaverunt*. Hinc ſcite, ac erudite Vir Clariſſimus Joannes Franciſcus Baldinus in notis ad Anaſtaſium Bibliothec. *in Stephano III. tom.*4. *Duo conventa ſunt*, inquit, *inter Stephanum, & Pipinum, alterum quod Stephanus conferret Pipino ſingularem, inſignem, & nemini antea collatum honorem Patriciatus Romanorum, vi cujus Pipinus ſuſciperet tutelam, defenſionem, & advocationem Romanæ Eccleſiæ Patrimoniorum D. Petri, omniumque jurium, & plenariarum juſtitiarum Apoſtolicæ Sedis. Et alterum quod Pipinus in vim talis protectionis omnibus viribus niteretur, ut ſua jura redderentur Eccleſiæ &c.* Unde Petrus de Marca *lib.6. cap.*11. *num.*8., licet parum ſibi conſtans: *Patriciatus*, inquit, *Romanorum Pipino a Stephano, & Romanis per electionem collatus eſt, quo defenſio, & patrocinium Eccleſiæ Romanæ præcipue continebatur*: quod docet, & Martinus Magerus *de Advoc. arm. cap.5. a num.*161. *uſq. ad num.*164. Ipſi quoque Imperialis juriſdictionis ardentiores patroni diffiteri non audent patrocinium, & defenſionem Romanæ Eccleſiæ, & populi Romani a Galliæ Regibus per Patriciatum ſuſceptam fuiſſe; Quamvis multa abſurde comminiſcantur, & aſſerant, pro partium ſtudio, & ingenio. Ita enim ſen-

ſentiunt Lupoldus de Baben. *de jure Regni, & Imper. Romani cap.*4. Andreas Knichen. *in recentis polit. perveſtig. ad Rom. Imper. auctocrat. ad cap.*1. *de jur. territ. nu.*257. Joannes Jacobus Draco *de origine, & jure Patric. lib.* 2. *cap.6.* qui: *Patricius*, ſcribit, *Romæ circa, & poſt hæc tempora, nil aliud erat, quam Sedis Romanæ defenſor, & Advocatus*: Petrus de Marca *de Concordia lib.*1. *cap.* 12. *num.*4. *Patricii*, inquit, *nomen duo quædam complectebatur, & juriſdictionem, qua Reges in Urbe ex conſenſu Pontificis, & populi Romani potiebantur, & protectionem, ſeu defenſionem, quam Romanæ Eccleſiæ polliciti erant*: & paulo poſt: *Patriciatus itaque*, ſubdit, *præter imperium in Urbem, & Ducatum Romanum, defenſionem illam complectebatur, quæ pactis cum Romanis Pontificibus initis, conſueta erat*: & noviſſime Everardus Orto *diſſert. jur. publici, & privati diſſert.*1. *cap.* 2. §. 9.

II. Sed hæc, quæ memorati Scriptores protectioni, & advocationi Romanæ Eccleſiæ perperam addunt, hic interea miſſa conſulta facimus, quum non invalidis hiſtoriæ, ac rationum momentis accuratius opportuniori loco nobis ſint refellenda. Sed age, quæ ad Patriciatum hujuſmodi ratione advocationis, & protectionis pertinent, referamus. Profecto Summorum Pontificum Pauli I. Stephani III., alias IV., Adriani I., & Leonis III. Literæ, aut preces memoratis Galliæ Regibus pro temporum varietate, & iniquitate miſſæ, vel expoſitæ non aliud oſtendunt, quam patrocinium impartiendum, vel impertitum Romano Pontifici adverſus Longobardos, qui Urbes Eccleſiæ Romanæ, ac S. Petro donatas ferro vaſtabant, ipſorumque Patriciorum fuiſſe partes advocationis, & defenſionis agere, Romanæque Eccleſiæ Urbes, & jura defendere, vindicare, tutaſque præſtare, ac tectas. Quum itaque Longobardi Italiam armis invaderent; & Deſiderius eorumdem Rex Provincia Pentapoleos cum Ducatibus Spoletino, & Beneventano igne, ferroque vaſtatis,

Al-

Albinum Ducem Spoletanum, nonnulloſque Proceres, qui ſe B. Petro addixerant, in vincula conjeciſſet, aliaque nefanda patraſſet: Paulus Papa ſemel, ac iterum Pipino Regi ſcripſit, verituſque, ne literæ in Longobardorum manus inciderent, tertias literas miſit per Georgium Epiſcopum, & Stephanum Presbyterum, quos in Francia Legatos deſtinaverat, ut Pipini auxilium, opemque poſcerent ad recuperandas Urbes, quas Rex Longobardorum Apoſtolicæ Sedi abſtulit, & nondum reſtituerat, ut conſtat *ex epiſt.* 2. ad Pipinum, quæ in Codice Carolino eſt in ordine 15., eamque refert Pagius in *breviario geſtor. Summ. Pontific. in Paulo I. num.*3. Ob id autem auxilium a Pipino petitum fuit, quia uti Romanorum Patricius, & Eccleſiæ defenſor opem impendere debebat, pro eadem defendenda Eccleſia. Quare Nicolaus Alemannus *eodem cap.*11. vere prodit: *Pipinus itidem defenſor Romanus a Paulo I., ut dixi, vocatus eſt, qui Romanorum æque fuit Patricius.* Nec alia de cauſſa Stephanus III, alias IV. ad Pipinum, ejuſque filios ſub exordium ſui Pontificatus deſtinavit Legatum Sergium Secundicerium, quam uti ad Romanorum Patricios, a quibus petebat; ut ipſi aliquot ex Regno ſuo eruditos Epiſcopos, & ſacrorum Canonum peritos Romam mitterent, ad Synodum illic agendam pro inſtauratione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quam Conſtantinus pſeudo-papa perverterat, ut obſervat recitato loco Pagius in *Stephano III.*

III. Ad eamdem defenſionis, & protectionis cauſſam ſpectant, & aliorum Summorum Pontificum preces ad Carolum Magnum, Romanorum Patricium; nimirum Adriani I. adverſus Deſiderium, qui multis Romanæ Eccleſiæ occupatis oppidis, ipſi quoque Urbi Romæ extremum minabatur excidium, ut notavit Martinus Mageri *eodem cap.*5. *num.*290. Quare apud Anaſtaſium Bibliothecarium *in Adriano* legitur: *Et dum in magna anguſtia, & tribulatione conſiſteret, neceſſitate compulſus, direxit ſuos miſſos*

Digitized by Google

miſſos marino itinere, cum apoſtolicis literis ad Excellentiſſimum Carolum a Deo protectum Regem Francorum, & Patricium Romanorum, deprecans ejus excellentiam, ut ſicut ſuus Pater ſ. m. Pipinus, & ipſe ſuccurreret, atque ſubveniret S. Dei Eccleſiæ, & afflictæ Romanorum, ſeu Exarchatus Ravennatium Provinciæ, atque plenarias Beati Petri juſtitias, & ablatas Civitates ab eodem Deſiderio Rege exigeret. Leo III. proinde Carolum Magnum in epiſtola a Sigonio recitata, & relata itidem a Pignatello *conſultat. Eccleſiaſt.* 200. *num.*111. *tom.*10. his verbis alloquitur: *Et quidem diffiteri non poſſum, debuiſſe me, his calamitatibus obrutum ad Imperatoris, hoc eſt Conſtantinopolitani, fidem, auxilium, confugere, quem Tutorem, & Patronum ſibi Eccleſia jampridem habebat conſtitutum. Verum præterquamquod Imperatores jamdudum ita ſe adverſus Eccleſiam gerunt, ut plus ab iis detrimenti metuendum, quam auxilii expectandum eſſe videatur; nota etiam ejus, qui nunc rerum potitur, ut in muliebri ſpiritu, animoque, infirmitas ab hujuſmodi me conſilio capiendo deterruit. Gratias autem Deo ingentes ago, primum, quod nefariis me Latronum e manibus præter opinionem omnium incolumem conſervavit, deinde, quod Imperatore Eccleſiæ patrocinium deſerente, tu extitiſti, qui ad ejus ſalutem, dignitatemque tuendam, non ſolum opes, ac virtutem incredibilem, ſed & ſtudium etiam, ac fidem adhibes ſingularem. Hæc igitur, ne me opinio fallat, te per omnia ſacra, perque avitam, patriamque in protegenda Eccleſia gloriam oro.*

IV. Hanc præterea Eccleſiæ Romanæ defenſionem Galliæ Reges per Patriciatum ſuſcepiſſe, colligere quoque licet ex verbis Ludovici Pii, qui in diviſione Regni ſui inter filios facta eiſdem commendans: Ut ſimul ſuſciperent: *ſicut, quondam*, inquit, *a proavo noſtro Carolo, & avo noſtro Pipino, & beatæ memoriæ Carolo genitore noſtro Imperatore, & a nobis ſuſcepta eſt.* Quum itaque omnes

Digitized by Google

omnes hi fuerint Romanorum Patricii Pagius in Critica ad annales *Cardinalis Baronii* ad annum DCCXCVI. *num.* 9. quamvis minus recte Patriciatum cum Conſulatu confundat, eadem tamen diviſione omnium Galliæ Regum a Carolo Martello uſque ad Lodovicum Pium Patriciatum explicat: *Utraque*, inquit, *dignitas in ea ſignificatione ſumenda, in qua defenſionem Eccleſiæ Romanæ annexam habet, quod de Patriciatu nunc inter omnes convenit*. Porro Carolus, ut hujus a ſe ſuſceptæ defenſionis munus oſtenderet ſibi titulum *Eccleſiæ Defenſoris*, quandoque una cum altero Patricii Romanorum præfixit; ut videre licet apud Melchiorrem Goldaſtum *tom.* 1. *Conſtit. Imperial. ad annum DCCXCIV.*, in quo Caroli Magni conſtitutio adverſus hæreſes in Eliprandum, & Felicianum edita hoc præfert exordium: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, filius, & defenſor S. Dei Eccleſiæ*. Quandoque Patricii titulo omiſſo ſolum illo Eccleſiæ defenſoris eſt uſus; ut videre licet apud Alcuinum *epiſt.* 84. & 85. & alibi, in quibus legitur: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, & defenſor S. Dei Eccleſiæ*. In libello Capitulorum ſe profitetur defenſorem devotum Eccleſiæ his verbis: *Ego Carolus gratia Dei, ejuſque miſericordia donante Rex, & Rector Regni Francorum, & devotus S. Dei Eccleſiæ defenſor, humiliſque adjutor*. Scite propterea eoſdem expendens titulos Nicolaus Alemannus in citatæ diſſertationis de Lateranenſ. parietinis *cap.* 11. obſervat hujuſmodi defenſionis officium, & advocationis Eccleſiæ Romanæ non alias, quam per Patriciatum, ſuſceptum: *Carolus ipſe*, ait, *titulorum ſui Patriciatus forma declaravit, quem in Regiis literis poſt Longobardorum Regis nomen, prænotare hunc in modum ſolebat. Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, Defenſor S. Dei Eccleſiæ*: & paulo poſt addit: *Nec dubium, cum in eiſdem literarum epigraphis Patricii nomen*

nomen ita plerumque diſſimulat, ut id in uno illo Deſenſoris titulo comprehendat, atque concludat. Idem docet Martinus Magerus *cap. 5. num. 156.*

V. Jam vero quum idem Carolus Patriciatus confirmationem a Leone III. Pontifice Max. per Angilbertum Legatum ſuum poſtulaſſet, id eo tantum conſilio feciſſe conſtat, ut Eccleſiam a Paganorum incurſu, armis tueri poſſet, & Chriſtianos in Catholicæ Fidei communione continere: Hoc ipſo oſtendi nequit validius advocationis, & defenſionis Eccleſiæ per Patriciatum importatæ argumentum. Quod, ut fiat clarius, lubet hic referre ejuſdem Caroli verba, *ex epiſtola* 84. apud Alcuinum, quæ hæc ſunt: *Modo lætiores de veſtræ Sanctitatis ſucceſſione facti, quod deſideravimus de illo pio Patre agere, in vobis proficere ſtudemus; illique omnia injunximus, quæ vel vobis voluntaria, vel nobis neceſſaria eſſe videbantur, ut ex conlatione mutua conferatis, quidquid ad exaltationem S. Dei Eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris veſtri, vel PATRICIATUS NOSTRI firmitatem, neceſſarium intelligeretis. Sicut enim cum beatiſſimo prædeceſſore Veſtræ S. Paternitatis pactum inii, ita cum Beatitudine veſtra ejuſdem fidei, & charitatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero; quatenus Apoſtolicæ Sanctitatis Veſtræ divina donante gratia Sanctorum advocatis precibus me ubique Apoſtolica benedictio conſequatur; & Sanctiſſima Romanæ Eccleſiæ Sedes Deo donante, noſtra ſemper devotione defendatur: noſtrum eſt ſecundum auxilium divinæ pietatis ſanctam ubique Chriſti Eccleſiam ab incurſu Paganorum, & ab infidelium devaſtatione armis defendere, foris, & intus Catholicæ fidei agnitione munire.* Ex hac porro epiſtola liquido patet, quid, & quale fuerit hujuſmodi Patriciatus; nimirum Eccleſiæ Romanæ advocatio, & Patrocinium. Unde Nicolaus Alemannus hic optime animadvertit: *Ut ſibi redintegraretur Romanus Patriciatus, qui Adriano mox vita functo, inanis etiam jam erat, ac plane nullus; duas*

Digitized by Google

ejuſdem, olim ſibi conceſſi proponit LEONI conditiones: fidei alteram, alteram defenſionis. Recte quoque Natalis ab Alexandro *hiſt. Eccleſ. ſæculo* 8. *cap.*1. *tom.* 5. poſt eam relatam epiſtolam: *In hoc*, inquit, *poſitus erat Patriciatus Romanus*. Idem, & Pagius ſentit adverſus Petrum de Marca in Critica *ad annal. Cardin. Baronii ad annum DCCXCVI. num.*4. *tom.*3. ſcribens: *Carolum a Leone III. per Angilbertum Legatum ſuum poſtulaſſe, ut Patriciatum ſuum confirmaret, quo Eccleſiam ab incurſu Paganorum armis defendere poſſet, & Chriſtianos in Catholicæ fidei communione continere*. Et alter Pagius *in breviario geſtor. Summ. Pontific. in Leone III.* memoratam expendens Epiſtolam: *In his porro*, inquit, *conſiſtebat Patriciatus Carolo, & anteceſſoribus ejus collatus*.

VI. Nec alia certe de cauſſa S. Petri vexillum Pontifices Maximi ad Galliarum Reges miſerunt. Niſi, quia uti Romanorum Patricii erant Eccleſiæ Romanæ advocati, & defenſores. *Quod vexillum*, inquit Pagius eodem loco: *ab illis tantum mittebatur ad Patricios Romanorum, qui adverſus infideles, ſchiſmaticos, & hæreticos pugnaturi erant*. Idem affirmavit alter Pagius *in Leone III.* Sic primum Carolo Martello miſſum fuiſſe vexillum a Gregorio III. una cum clavibus confeſſionis S. Petri, quo tempore illum Patricium delegit, prodit idem Pagius: Carolo item Magno ab Adriano Primo miſſum Pagius ipſe ad annum DCCLXXIV. refert. Ipſique pariter a Leone III., ut ſupra notavimus, poſtquam ſui Patriciatus confirmationem petiit, iterum miſſum fuiſſe vexillum ſcribunt annales Bertiniani, Metenſes, & Regino in Chronicis: Monachus item Engoliſmenſis in vita Caroli. Erat autem vexillum defenſionis, & patrocinii ita proprium, ac præcipuum inſigne, ut nec Carolo Magno, quando renunciatus eſt Imperator, miſſum conſtet, nec aliis Imperatoribus, quorum majeſtati conjuncta, ac individua erat Eccleſiæ Romanæ protectio, ut citato paullo ante

loco

loco ſcribit Pagius. Figuram ejuſdem vexilli exhibet pictura illa, qua Leo III. Triclinii Cameram in Lateranenſi palatio exornavit, ipſamque idem Pagius ære inciſam refert ibidem, quam jampridem delineatam exhibuit laudatus Alemannus *diſſert. de Lateran. pariet. cap.* 10. idque *S. Petri vexillum* fuiſſe indicat. Apoſtolus enim ſolio inſidens dextera Stolam Leoni, Carolo vexillum ſiniſtra porrigit; ut ita defenſor Eccleſiæ factus poſteris indicaretur, ut explicat Everardus Otto *diſſert. jur. publ. & priv. diſſert.* 1. *cap.* 2. §. 4. En vero figuram ipſam ex laudatis Scriptoribus hic diligenter exſcriptam.



VII. So-

VII. Solebant autem Pontifices Maximi ad excitandum Principum animos vexillum S. Petri illis mittere, ut adverſus infideles, atque Paganos expeditionem ſuſciperent. Victor III. illud Roberto Guiſcardo in Græcos Schiſmaticos bellum moventi tradidit deferendum teſte Guillelmo Apulienſi *lib.4.de geſtis Northmannor*. Quum viginti ferme abhinc annis S. Matthæi Apoſtoli vetus Baſilica ab ipſo Roberto magnificentiſſime olim exſtructa Salerni, ex pia munificentia Poerii Archiepiſcopi inſtauraretur, multi ærei, & argentei inter rudera inventi ſunt nummi: quorum pars altera effigiem S. Matthæi, altera Roberti equo inſidentis, gerentiſque vexillum cruce inſignitum exhibebat. Urbanus II. Hugoni Magno Comiti in prima expeditione ſacra, ut habent Scriptores rerum Hieroſolymitanarum, & Alexander II. Northo Duci Northmanniæ, ut legitur apud Ingulphum *pag.* 90. illud tradiderunt. Varia ad Reges, Duces, & Comites miſſi vexilli exempla collegere Ducangius *in gloſſario* verbo *Vexillum*, Mazerius in vita S. Petri Thomaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani, *c.* 3. apud Bollandum 29. *Ianuarii*, & Nicolaus Alemannus *c.* 15. *&* 19. Vetus quoque mos erat, ut memorati Pontifices Maximi S. Petri vexillum geminis inſignitum clavibus ad Principes mitterent, qui in Paganos, ſchiſmaticos, alioſque Eccleſiæ Romanæ hoſtes expeditionem erant ſuſcepturi. Formula traditionis, & benedictionis ejus exſtat in Cæremoniali Romano *lib.* 1. *ſect.* 7. Cum Vexillis claves quoque, inſtar illarum, quibus ſepulchrum S. Petri claudebatur, *Limaturam*, ut vocant Catenarum ejuſdem S. Apoſtoli, aliiſque ſacris muneribus mitti conſueviſſe Freſnius verbo *Clavis*, commemorat.

De

De Patriciatu Caroli Magni.

CAPUT III.

SYNOPSIS.

I. *Patriciatus Carolo M. a Stephano III. non ab Adriano I. collatus. Jacobus Gutherus, Joannes Mabillonius, notati.* II. *Carolo M. Romam advenienti, ceu Patricio, Adrianus I. Pontifex Max. Clerus univerſus, & populus cum Crucibus obviam egreditur.* III. *Joannis Mabillonii opinio affirmantis poſt mortem Pipini Carolum M. Patricii Romanorum titulum ſumſiſſe, illuſtratur.* IV. *Caroli Magni cum titulo Patricii Romanorum Inſcriptiones variæ.* V. *Titulo Regis Longobardorum nomenclaturam Patricii Romanorum Carolus M. poſtpoſuit, & quare?* VI. *Annus Patriciatus ejuſdem, quando in diplomatibus notari cœptus.* VII. *In Miſſa, & Litaniis pro Carolo M. Romanorum Patricio preces factæ. Epiſtola Orientis Imperatoris ad Carolum M. Patricium ab Anonymo Salernitano relata, commentitia.* VIII. *Alter Caroli M. in Urbem adventus tempore Leonis III., ejuſque cauſſa.* IX. *Trina populi acclamatione Imperator dictus.* X. *Carolus M. Imperator renunciatus Patricii titulum reliquit.*

I. Collato a Pontificibus Maximis Galliarum Regibus Romanorum Patriciatu, ac per ipſum, ut vidimus, ſuſcepto Romanæ Eccleſiæ patrocinio, omnium celeberrimus poſt mortem Pipini Regis, tempore Adriani I. Summi Pontificis, fuit Patriciatus Caroli Magni apud Hiſtoricos commendatiſſimus; ad quem omnia Patriciatus munera, jura prærogativa, & officia Scriptores referunt. Digna idcirco nobis particulari examine viſa res eſt. At primum ii quidem Scriptores ſunt refellendi,

qui

qui ab eodem Adriano I. Carolum M. Patriciatu donatum cenſet: quos inter Jacobus Gutherus *de offic. Domus Auguſt. lib.2. cap.19.* ſcribit: *Carolum M. diviſo Imperio, primum Romanis imperaſſe, & a Græcis Francorum Reges Imperialem dignitatem fuiſſe translatam, atque Carolo, ejuſque ſucceſſoribus Adrianum Patriciatum conceſſiſſe*: ac ut alios inferioris ordinis prætermittam, idem cenſuit Jo:Mabillonius oblitus quæ libro de re diplomatica dixerat, quum in Muſeo Italico *tom. 1. part. 2. in vita Adriani*: *Cujus*, inquit, (Adriani) *morte, Carolus Francorum Rex audita nimium condoluit, diuque ſe in lamentis dedit, nam ab ipſo Romanorum Patricius conſtitutus fuerat, Regnumque Italiæ ipſo favente ſuſceperat*. Hiſtorica Monumenta ſuperius a nobis ex eodem Mabillonio prolata demonſtrant, jampridem Stephanum III. in Baſilica Sancti Dionyſii, Carolum M. Romanorum dixiſſe Patricium, una cum Pipino patre, & Carolomanno fratre. Hæc quoque ſecutus Natalis ab Alexandro *hiſtor. Eccleſ. ſæculo VIII. cap. 1. tom. 5.* idem prodit; pronunciatque adverſus eos, qui hanc dignitatem Carolo ab Adriano aſſerunt collatam fuiſſe: *Nec Patriciatum ullum Adrianus Carolo conceſſit, nec ipſi dignitatem Patriciatus contulit in commentitia illa Synodo. Siquidem Stephanus II. ipſum cum Pipino patre, & Carolomanno fratre Patricium Romanorum appellaverat*. Le Blanc in diſſertatione edita poſt tractatum hiſtoricum Galliæ Numiſmatum hæc vernaculo gentis ſuæ ſermone habet: *Le Pape Adrien I. ſon ſucceſſeur le fait connoitre auſſi, lorſque il prie Charlemagne de ſecovrir l'Egliſe, e les Romains contre les Longbards, come etant leur legitime defenſeur, puiſque le Pape Etienne ſon predeceſſeur l'avoit fait Patrice des Romains*. Idipſum cenſuit, & Vir Cl. Vignolius in libro, cui titulus: *Antiquiores Romanor. Pontif. denarii in Leone III.*, quem eruditiſſimis notis, & additionibus nuper illuſtravit Vir Cl. Benedictus Floravantes.

II. Qui

II. Qui Romanorum Patriciatum Carolo M. ab Adriano Papa collatum memorant, primo ejuſdem Regis in Urbem adventu id factum cenſent: quando, Adriano ſedente, univerſus populus Romanus unanimi acclamatione in Baſilica Principis Apoſtolorum Patricium Romanorum illum dixit. At eodem tempore dignitatem ipſam Carolo non primum collatam; ſed confirmatam potius licet conjicere. Qua ſane in re illud potiſſimum eſt animadvertendum: Regem Carolum ab Adriano exceptum fuiſſe iiſdem prorſus honoribus, quibus Patricius excipi conſuevit; Quamobrem fateri neceſſe eſt; eum, antequam Urbem Romam ingrederetur, Romanorum Patriciatu fuiſſe auctum. Enimvero Deſiderio Longobardorum Rege ad Papiam devicto, ipſoque cum uxore, & liberis in fugam acto, inſigni potitus victoria, ac triumphalibus ornatus inſigniis anno poſt occupatam Italiam CCVI. Chriſti vero DCCLXXIV. ad Urbem acceſſit; ut notat Martinus Magerus *de Advoc. armat. cap.5. nu.290.* Dum vero Urbi proximus mille fere paſſibus eſſet, idem Summus Pontifex univerſas militiæ ſcholas, eum excepturas direxit, una cum patronis; ſimulque pueris, qui ad diſcendas literas pergebant; Quos manibus in ſignum ejus pacifici adventus olivarum ramos portantes per urbem ire, ac ejus canere laudes ſolemni acclamatione juſſit. Ipſe demum Pontifex præcedentibus venerandæ Crucis ſignis obviam procedens, celebritate ſumma, ac ingenti cum honore illum ſuſcepit: qua de re Anaſtaſius Bibliothecarius in Adriano ita ſcribit: *Obviam illi ejus Sanctitas dirigens venerandas cruces, ideſt ſigna, ſicut mos eſt ad Exarchum, aut PATRICIUM ſuſcipiendum, eum cum ingenti honore ſuſcipi fecit: Ipſe vero a Deo inſtitutus benigniſſimus Carolus Francorum Rex, et PATRICIUS ROMANORUM, qua hora eaſdem ſacratiſſimas Cruces, ac ſigna ſibi obviam adveniſſe conſpexit, deſcendens de equo, quo ſedebat, ita cum ſuis judicibus ad B.Petrum pedeſtris properare ſtuduit.*

Feria

Feria ſexta ante Paſcha ſolemnis Caroli in Urbem adventus contigit. Sabato autem Sancto mane diluculo ſurgens Adrianus cum Clero, & Populo ad Carolum ſuſcipiendum properavit in Templum Principis Apoſtolorum, ut eodem loco proſequitur Anaſtaſius. In ipſa Eccleſia ſequenti die feſto Paſchate celebrato inter Miſſarum ſolemnia ejuſdem Caroli filii Pipinus Italiæ, & Ludovicus Aquitaniæ Reges oleo ſacro inunguntur: Carolus autem univerſo acclamante populo, PATRICIUS ROMANORUM appellatur; ut refert Otto Friſingenſis *in Chron. l.5. c.8.* & Martinus Magerus *de advoc.arm.citato loco n.296*. Hæc autem populi ſolemnis acclamatio non ad honorem tunc primum collati Patriciatus eſt referenda, ſed ad pompam, & laudem, qua Populus Romanus Patricium ſuum eſt proſequtus. Ejuſmodi ſiquidem honorem prælatæ Crucis tantaque celebritate inſtitutam progreſſionem totius Cleri, & populi, qua Pontifex Maximus Carolum excipi voluit, tanquam jam Romanorum Patricio, atque Eccleſiæ Defenſori debitam agnovit Petrus de Marca *de Concordia &c. lib.*1. *cap.*12. *num.6.* Ab eo tempore Patriciatus Caroli M. frequens apud hiſtoricos mentio eſt; indeque fortaſſe nonnulli putarunt id genus dignitatis tunc primum eidem Principi ab Adriano Papa fuiſſe collatum.

III. Placet autem Viri Clariſſimi Joannis Mabillonii opinio, qua *lib.2. de re diplomat. cap.3. num.*8.cenſet: Carolum M. quamvis a Stephano III. renuntiatum Patricium, vivente nihilominus Pipino patre, nunquam Patriciatus uſurpaſſe titulum; neque eo mortuo ante aditum Longobardorum Regnum: ſed eo jure belli anno DCCLXXIV. menſe Majo ſibi aſſerto: ab ipſo tempore, ſe non modo Francorum Regem, ſed & Longobardorum, & Patricium Romanorum dixiſſe: Antea enim nulla Patriciatus mentione facta, ejuſdem literæ hanc præferunt Inſcriptionem: *Carolus gratia Dei Rex Francorum Vir inluſtris*: *Nec ſtatim Carolus* (ait Mabillonius) *ab exordio Francici Re-*

Regni ſui, ſed ab initio Longobardorum principatu Patricium ſe dixit in ſuis literis, quæ omnes ante id tempus hanc præferunt inſcriptionem. Carolus &c. Hoc iiſdem fere verbis repetit in ſupplemento recitati tractatus *cap. 9.*, comprobatque Pagius in Critica ad annales Cardinalis Baronii ad annum DCCXL. *num. 4. & ſeq.* atque Euerardus Otto *diſſert. jur. public. & privati diſſert. 1. cap. 2. §. 8.* Porro non ſolum ipſe Carolus ante acquiſitum Longobardorum Regnum Patricii Romanorum titulum omiſit; ſed nec Carolus Martellus, neque Pipinus, neque Carolomannus eo uſi fuerunt. Hinc illorum Patriciatum honorarium dumtaxat fuiſſe affirmat idem Mabillonius. In hunc itidem ſenſum deſcendit Petrus Delalande *in ſupplementis Concilior. antiq. Galliæ* a Jacobo Sirmundo editorum in notis ad epiſtolam Adriani Papæ ad Bertherium Viennenſem Antiſtitem ad annum Chriſti DCCLXXV., quum ſcribit: *Notandum eſt diſcrimen inter Patriciatum Caroli Martelli, Pipini Regis, ejuſque filiorum vivente Patre, & Patriciatum Caroli M. poſt mortem quoque fratris, in eo, quod Pontifices Romani merum, nudumque Patricii nomen, & honoris cauſa tantum abſque ulla juriſdictione in Senatum, Populumque Romanum conceſſerint:* Idipſum affirmat, & Euerardus Otto loco paullo ante deſignato: Quare, ut idem Delalande eodem loco notat: *Unde illi* (Pipinus, & Carolomannus) *nuſquam hoc Patriciorum titulo in ſuis Epiſtolis uſi ſunt, contra vero Carolus M. Rex hunc Patriciatus titulum numquam omiſit in quibuſcumque dictis, & factis:* Rem autem, quam Carolus ab eo tempore uti Romanorum Patricius ſuſcepit gerendam, nimium extollunt memorati Scriptores. Illa tamen, quoniam peculiarem diſquiſitionem poſtulat, opportuniori loco in examen vocabitur.

IV. Ab memorato anno DCCLXXIV. Patricii Romanorum titulo uſus eſt Carolus frequentiſſime ut liquet ex innumeris diplomatibus apud Dublettum, Ughel-

 lium,

lium, Purricellium, Balutium, Mabillonium, & alios: In iis vero illud hic opportune eſt obſervandum: non ſemper eamdem nomenclationis formulam adhibuiſſe: Et primo quidem exemplum Patris ſecutus additamento *Gratia Dei* perpetuo uſus eſt, deinde ea formula: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum*: Sæpe quoque addit: *Vir Illuſtris*: Sic videre licet in Bullario Caſſinenſi apud Cornelium Margarinum *tom.* 2. *conſtit.* 22. ad annum DCCLXXXI. ubi Caroli M. privilegium recenſet, quo Monaſterium S. Salvatoris, & Juliæ Brixienſis a juriſdictione cujuſcumque Judicis, & quovis temporali onere immune pronunciat; in eo ſiquidem ſequens legitur titulus: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum*: In novo theſauro Anecdotorum Urſini Durandi, & Ædmundi Martenæ extat præceptum Caroli M. pro Monachis S. Martini Turonenſis editum ſub annum Chriſti DCCXCV., in quo ſcribitur: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum*: In quodam diplomate donationis ejuſdem Caroli M. factæ Caſſinenſi Cœnobio, ubi illius Abbatiæ fines deſcribuntur, vulgato per Vir. Clariſs. Eraſmum Gattola *in hiſt. Abbat. Caſſinenſ. part.* 1. *ſeculo* 3. legitur: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum*. In appendice autem tom. 2. Balutiani col. 1400. hanc diploma formulam præfert: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Karolus Sereniſſimus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum*: At Joannes Mabillonius *de re diplomat. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. inſolitam eſſe hujuſmodi invocationem, & vocabulum *Sereniſſimus*, eamque fortaſſe ſcribam de ſuo addidiſſe exiſtimat, quemadmodum in multis aliis accidit, ſive ex imitatione aliorum, ſive ex vana interpretatione quorumdam calami ductuum, qui initio veterum Diplomatum ſolebant apponi. Sed tamen

men certiora ſunt, quæ hanc formulam habent: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum*, addito ſæpiſſime *Vir Inluſtris*, ut videre licet apud Dublettum, Ughellium in Italia Sacra, & alibi paſſim, quod etiam notavit Eraſmus Gattola recitato paullo ante loco. Eadem formula occurrit in tribus epiſtolis; quas idem Carolus ſcripſit ad Leonem III. ad Offam Marciorum Regem, & Bagulphum Abbatem. Cenſet autem idem Mabillonius interpolata, ac falſa eſſe tria ad Carolum M. ſpectantia diplomata apud Dublettum; quorum primum legitur *pag.* 722. ubi mentio fit de Duce Lotharingiæ, alia duo exhibentur *pag.* 725. & 727., idque ex inſolita invocatione, quæ in Exordio apponitur, & ex ſubſcriptionibus, quæ in calce leguntur. Vitioſiſſimum item putat alterum pro Taurinenſi Eccleſia editum apud Ughellium in Italia Sac. *tom.* 4. *col.* 142., cujus initium eſt: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis ego Carolus Magnus divina illuſtrante clementia honore Regni, & Romanorum Patricius prædignus.*

V. Illud profecto notatione dignum videtur: ex hujuſmodi inſcriptionibus, & titulis Patricii Romanorum adhibitis a Carolo M. perſpicue colligi poſſe, non tantum eximium ejuſdem Patriciatus honorem, ſed & munus. Duplici, eodemque præſtantiſſimo in Italia Carolus M. potiebatur titulo, Regis nempe Longobardorum, & Romanorum Patricii. In ea enim terrarum parte, quam imperio, & ditioni ſuæ jure belli adjunxit, appellari voluit Rex Longobardorum; in altera autem, quam Eccleſiæ Romanæ reſtituit dici voluit Patricius, atque defenſor. Atque eam ob cauſſam Patricii Romanorum titulum Regis Longobardorum nomenclaturæ ibi poſtpoſuit: Idque factum putamus, ut ex iis conſtaret, nec Regem Romanorum fuiſſe, ut alii voluerunt, neque ullam juriſdictionem in Urbem, uti alii opinantur, per Patriciatûm acquiſiviſſe; ſed eam dumtaxat ſuſcepiſſe

præſidiariam tutelam, quam pro Eccleſiæ Populique Romani felicitate, & tranquillitate impendere debebat uti Patricius, Defenſor, & Advocatus. Rem ipſam appoſite expendit Nicolaus Alemannus *In diſſert. de Lateran. parietin. cap.* 11. *Quandoquidem*, inquit, *Carolus in Italia duobus claris nominibus fuit Regis, & Patricii. Ejus enim ditionis univerſæ, ex qua Longobardos expulit, alteram partem Pontificibus olim poſſeſſoribus ceſſiſſe, reſtituiſſeque illam novimus; alteram belli jure ſuo adjunxiſſe imperio. In hac quidem Longobardorum Rex dici voluit, in illa Patricius, atque Defenſor: Potuit quidem, Rex autem eſſe, vel dici, nec potuit, nec voluit, atque eam ob rem Patricii Romanorum titulum Regis Longobardorum titulo, ubique poſtpoſuit*: Ejus denique magis fixos, (ut ita loquar) ac regulares dignitatum, munerumque titulos in diplomatibus, quam in epiſtolis, & capitularibus fuiſſe notat Mabillonius citato loco *num.* 10. Horum ſiquidem varia eſt inſcriptio. Capitula ſelecta anno DCCC. apud Sirmundum *to.* 2. *Conciliorum Galliæ pag.* 230. hanc præferunt dignitatum formulam; *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum*: Et infra ibidem: *pag.* 235. *Karolus gratia Dei Rex, Regnique Francorum Rector, & devotus S. Eccleſiæ defenſor, atque adjutor in omnibus*: Apud Balutium *tom.* 1. *Capitular. col.* 329. legitur: *Karolus gratia Dei Francorum, & Longobardorum Rex, ac Patricius Romanorum*.

VI. Ab eo itaque anno DCCLXXIV. poſt Longobardos nempe devictos & ſuperatos non ſolum, ut vidimus, dici, & nuncupari cœpit Carolus M. Romanorum Patricius; ſed ab eo tempore uſurpata quoque eſt præcipua ejuſdem Patriciatus epocha, quæ proinde in cauſſa fuit, ut Scriptores nonnulli paullo ante a nobis deſignati Patriciatus dignitatem ab Adriano PP. Carolo tunc primum conlatam exiſtimaverint. Præterea Petrus Delalande

Digitized by Google

lande in notis ad epiſtolam Adriani Papæ ad Bertherium Viennenſem Epiſcopum: *Obſervanda eſt*, inquit, *Æra Patriciatus Caroli M.; cui hanc revera dignitatem, atque tunc utilem conceſſerunt anno DCCLXXIV.* Jacobus Hofmannus in lexico univerſali verbo Patricius: *Carolus poſtea Patricius Romanorum, ideſt Pater totius Reipublicæ, a populo Romano creatus eſt, hoc eſt anno DCCLXXIV.* Neque ſolum a Carolo, ſed ab ipſomet Adriano P. M. ab eodem anno notari, ac ſubſignari cœpit in Apoſtolicis litteris Æra Patriciatus Caroli M., ut conſtat ex memorata epiſtola ad Bertherium, quam deſignato loco refert Delalande, & Labbeus in *tom.* 1. *pag.* 109. in qua legitur: *Datum Kalendis Januar. imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino, annuente Deo, coronato, piiſſimo Rege Carolo anno primo Patriciatus ejus.* Hujus epiſtolæ fidem, rerumque in ea deſcriptarum vindicat idem auctor epiſtolis Zoſimi, Bonifacii, Leonis, Hilarii, & Symmachi Romanorum Pontificum pro Metropolitis Provinciarum Viennenſium. At fictitium, ac falſum eſſe prodit Natalis ab Alexandro *hiſtor. Eccleſiaſt. ſæculo VIII. cap.* 1. *tom.* 5. Adriani I. privilegium conceſſum Eccleſiæ Turonenſi, quod edidit Radulphus Monſtiers in libro, cui titulus: *Celeberrimæ S. Martini Turonenſis Eccleſiæ jura propugnata*, in quo, temporis epocha hac formula obſignata legitur: *Indictione nona Carolo Romanorum Patricio.* Indictio nona, idem Scriptor obſervat, quod cum Patriciatu Caroli Magni non concurrit; ea enim in annum DCCLXXXVI. incidit; Patriciatus vero Caroli Magni anno DCCLXXIV. Verum hujus diplomatis, ſi qua dici poſſet, falſitatem, ex inſolita potius formula ſignandi Æram, quam ex indictione cum anno Carolini Patriciatus minime conveniente, arguerem. Nam annus DCCLXXIV. fuit primus Patriciatus; ipſumque anno Chriſti DCCC. Imperator renunciatus, reliquit Leone III. Pontifice Max. ſedente. Annos Caroli Pa-

Patriciatus ſignatos etiam legimus in duobus ejus diplomatibus pro Pariſiacenſi S. Germani Cœnobio, quorum primum in Aimoino M. S., & in Guillelmi Parvi editione *l.5. c.1.* ſic deſinit: *Roborare data VI. Kal. Aprilis anno XI. Regni noſtri & V. Patriciatus actum Ariſtalio in Palatio redintegratum vero Parrhiſiis*: Sed hunc locum ex ipſo Authographo Jacobus Brolius ita reſtituit: *Roborare ſigillum, lege ſignum Caroli glorioſiſſimi Regis. Optatus ad vicem Radonis recognovit. Data VI. Kalendas Aprilis anno XI. Regni noſtri & quinto*. Hic autem Brolius, qui duas duplicis Caroli Regni epochas ignorabat ſupplendam cenſet vocem Patriciatus, quæ in Aimoino M. S. & in Guillelmi Parvi editione exſtat. Sed hæc eadem jampridem adnotans Joannes Mabillonius de re diplomatica *lib.2. cap.3. nu.9. Lapſus eſt*, inquit, *opinione vir doctus, ſed religioſior fuit Guillelmo nihil addendo in autographo, cui re vera nil addendum erat, neque enim in eo mentio eſt Patriciatus*: Eadem ſuſpicione laborat diploma alterum; in cujus authographo verbum Patriciatus abeſt; quamobrem idem Scriptor opportune monet: *Hæc attendant, qui vel inſtrumenta vetera edunt, caveantque ne actis ſomnia ſua ingerant, vel qui de illis monumentis judicium ferunt, ne propter unam voculam, quæ forſan a librariis perperam adjecta fuerit, de illorum falſitate pronuncient. Ab illis religionem, ab his æquitatem poſco. Nil ergo ex iſto loco confici poteſt pro epocha Patriciatus, cum conſtet vocem hanc in authographis noſtris deſiderari*.

VII. Ampliſſimus, ac tot nominibus clarus tanti Principis Patriciatus, illum quoque honorem ab memorato Adriano Pontifice Maximo promeruit, nemini antea conceſſum, ut in Sabbato Quadrageſimæ inter Miſſarum ſolemnia flecteretur pro Carolo Rege, & Romanorum Patricio, ut legitur in Cærimoniale Romano, quod Joannes Mabillonius *tom. 2. Muſei Italici* vulgavit

ſub

ſub titulo *De Miſſa*, *quam initio Quadrageſimæ Romanus Pontifex celebrat*. *Sabbato*, inquit, *tempore Adriani inſtitutum eſt*, *ut flecteretur pro Carolo Rege*; *antea non fuit conſuetudo*: Quin imo, quod etiam longe præſtantius eſſe videtur, in Litaniis, ut vocant Carolinis ex veteribus Codicibus ab eodem Mabillonio evulgatis *tom.* 2. *analectorum editionis Lutetiæ Pariſiorum*, *fol.* 171., invocante Clero Sanctorum patrocinium pro Adriano Pontifice, & Carolo Magno adhuc Romanorum Patricio, ac Pipino, & Carolo ejus filiis populus reſpondebat (jam tum ſenſim latina lingua in italicam, qua nunc utimur, abeunte.) *Tu lo juva*: hoc eſt: tu illum adjuva. In iis quippe legitur: *Carolo excellentiſſimo*, *& a Deo coronato Magno*, *ac Pacifico Rege Francorum*, *& Longobardorum*, *ac Patricio Romanorum vita*, *& ſalus*, *Salvator Mundi Tu lo juva*: Idipſum refert Natalis ab Alexandro *tom. 6. hiſtor. Eccleſ. ſæculo IX. & X. cap.* 7. Ubi cum P. Le Cointe antiquiſſimis hiſce Litaniis poſt Faſtardæ cum Carolo nuptias, ſcriptis, eos refellit, qui Caroli nuptias cum Hilmitruda minus legitime initas prodiderunt. Non mirum proinde, ſi tot honoribus auctum Patriciatum, adeo Carolus exiſtimaverit, ut mortuo Adriano, confirmationem ejus a Leone III. Adriani ſucceſſore poſtulaverit, ut conſtat ex epiſtola LXXXIV. Alcuini, quam ſupra recitavimus. Hic autem prætereunda non eſt epiſtola Orientis Imperatoris, qui tunc temporis præerat ad Carolum Magnum Patricium data, his verbis: *Imperator Auguſtus Patricio Carolo ſalutem*; quæ exſtat apud Anonymum Salernitanum *in Chronico cap.* 26. In ea enim poſtquam ipſum certiorem facit de eximiis muneribus, quæ ad ipſum miſerat, aliaque recenſet, quæ miſſurum pollicetur ſi ſe ad Auguſtum conferret, ſubdit: *Quin etiam ſuper omnes Patricios meos te collocabo*: Plurimam certe hujuſmodi epiſtola ſibi animadverſionem promereret, niſi commentitiam, ac fere ridiculam Viri

docti

ROMA

Digitized by Google

docti agnoviſſent, quemadmodum cenſet Vir Clariſs. Ludovicus Antonius Muratorius in notis ad memoratum Anonymum, *part. 2. tom. 2. collectionis Scriptorum rerum italicarum*.

VIII. Poſtquam Carolus Roma diſceſſit, nefario ſcelere in Leonem III. P.M. anno ejuſdem ſæculi XCIX. conjuratum eſt: Iniquiſſimi facinoris auctoribus Paſchale Primicerio, & Campulo. Enim vero univerſo ſpectante Clero, & Populo, quum ex veteri Eccleſiæ Ritu ab Æde S. Laurentii ad S. Georgii templum publica fieret proceſſio, idem Pontifex Max. ex inſidiis adortus ac miſere tractatus ab Urbe diſcedere coactus eſt. Hiſtoriam narrat Conradus Uſpergenſis in Chronico ad annum DCCCI. Spondanus in Epitome Annalium Baronii ad annum DCCXCVI. Martinus Magerus *De Advoc. arm. cap. 5. num.* 312. *& ſeq.* Ille ad Carolum in Germania tunc agentem confugit, narratoque Romanorum ſcelere opem poſcit, & auxilium; quo ſedi ſuæ, unde pulſus per ſcelus fuerat, reſtitueretur: decere quammaxime, ut Romanorum Patricius, Eccleſiæ Defenſor, & Advocatus, Pontificem Max. extorrem tueretur, ſuæque Eccleſiæ redderet. Hæc moverunt Carolum, ut iterum Romam proficiſceretur, vindicatumque a calumnia, & injuriis Leonem Pontificem, ſuæ ſedi, unde per ſummum nefas fuerat expulſus, mature reſtituit. Nimis abjecte de veteri Eccleſiæ Romanæ diſciplina ſenſit Euerardus Otto diſſert. *Juris publ. & privat. diſſert.* 1. *cap.* 2. §.8. atque ex male concepta animi ſui ſententia, pluſquam par eſt, Carolo Magno, hac arrepta occaſione, tribuit, ſcribens: *Romanæ Urbis, & Apoſtolici, totiuſque Italiæ non tantum publicas, ſed etiam Eccleſiaſticas, & privatas res ordinavit, qui adhuc Patricius Romam venerat, propter reparandum, qui nimis conturbatus erat Eccleſiæ ſtatum.*

IX. Tanto per Carolum Leoni III. impenſo beneficio,

cio, ut condignam gratiam non ingratus Pontifex referret, primum teſte Spondano, in epitom. Annalium Cardin. Baronii ad annum DCCXCVI. dono vexilli honoraverat; deinde adveniente die Natali Domini noſtri Jeſu Chriſti omnes Romanos in Baſilica Apoſtolorum Principis convocavit, & cum Carolus inter Miſſarum ſolemnia ante confeſſionem B. Petri ab oratione ſurgeret, eum Pontifex auguſta Chlamyde exornavit; capiti coronam impoſuit, ac Romanorum Imperatorem pronunciavit. Poſthac trina univerſi populi acclamatione Imperator eſt ſalutatus his verbis: *Carolo Auguſto, a Deo coronato Magno & Pacifico Imperatori, vita, & victoria*: ut prodit Anaſtaſius Bibliothecarius in eodem Leone III. cujus hæc verba ſunt: *Adveniente die Natali Sanctiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti in jam dicta Baſilica B. Petri Apoſtoli, omnes iterum congregati ſunt, & tunc Venerabilis Almificus Pontifex manibus ſuis propriis pretioſiſſima corona coronavit eum; tunc univerſi fideles Romani videntes tantam defenſionem, & dilectionem, quam erga S. Romanam Eccleſiam, & ejus Vicarium habuit unanimiter altiſona voce, Dei nutu, atque D. Petri Clavigeri Cælorum exclamaverunt Carolo piiſſimo Auguſto, a Deo coronato Magno Pacifico, Imperatori vita, & victoria*. Salutatus his verbis Carolus Auguſtus unctus eſt ab ipſo Pontifice, atque ab omnibus more antiquorum Principum Imperator eſt adoratus, quemadmodum refert Anaſtaſius; ſcribuntque Abbas Uſpergenſis *in Chronico ad annum Chriſti* DCCLXXXI. & Natalis ab Alexandro *hiſtor. Eccleſiaſt. tom. 6. ſecul. IX. & X. diſſert.* 1. *fol.* 214. Collata eidem Principi eſt Imperatoria dignitas, ut Romanæ Eccleſiæ patrocinium, quod Orientis Imperator, jampridem impertiri neglexit, ab ipſo tribueretur; ſicque Eccleſia Tutorem, & Advocatum haberet potentiorem, ut exponit Monachus Sangallenſis *lib.* 1. *de Carolo M. cap.* 28. traduntque Sigonius *lib.* 4. *ad annum DCCCI.* & Natalis ab Alexandro:

ſubinde velut Imperator, Romanæque Eccleſiæ Protector, Defenſor, Advocatus, & vindex Carolus ſolemne Sacramentum fideliter præſtandæ defenſionis Pontifici exhibuit, ut memorati Scriptores teſtantur; cujus Sacramenti formulam nobis ſervavit Martinus Magerus *cap. 5. num.* 28. eamque rurſus hic deſcribimus:

> *In nomine Chriſti ſpondeo atque polliceor Ego Carolus Imperator coram Deo, & Sancto Petro Apoſtolo, me protectorem, & defenſorem fore hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus adjutorio, prout ſciero poteroque.*

X. Romanum Carolus aſſequtus Imperium, ac Imperatorem agens Patricii titulo, & nomenclatione abſtinuit, eaque dignitate ab anno DCCLXXIV. per annos XXV. potitus fuerat. Quare Adelmus in Annalibus Francicis de rebus Caroli M. *Leo Papa*, inquit, *coronam capiti ejus impoſuit populo acclamante, poſt quas laudes ab Pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt, & deinde omiſſo Patricii nomine Imperator, & Auguſtus appellatus*: Idem aſſerunt Francorum Annales, qui ſub Eginardi nomine vulgati ſunt ad annum DCCCI. Abbas Urſpergenſis *in Chronico ad dictum annum*; Natalis ab Alexandro *hiſt. Eccl. tom. 6. diſſert.* 1. Petrus de Marca *de Concordia lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 5. Monachus tamen Engoliſmenſis apud Pithæum *pag.* 262. memoriæ prodit, ea occaſione Patricii nomen a Pontifice Maximo ablatum fuiſſe Carolo. Duo nihilominus priſca monumenta Mabillonius affert *lib. 2. de re diplomatica cap.* 3. in quibus Carolus vel renunciatus Imperator Patricius dicitur.

Ea

Digitized by Google

Ea binæ chartæ ſunt Willelmi Comitis pro Cœnobio Gellonenſi, quæ ab ipſo in prima ſeculi Benedictini parte vulgatæ fuerunt. In quarum prima legitur: *Facta eſt hæc Donatio XIX. Kalen. Januarii Fr. 1. anno XXXIV. regnante Domno noſtro Carolo Rege Francorum, & Longobardorum, ac Patricio Romanorum, & anno IV. Chriſto propitio Imperii ejus*: In alia vero: *Facta Donatio XVIII. Kal. Jan. anno XXXIV. Regnante Domno noſtro Carolo Rege Francorum, & Longobardorum ac Patricio Romanorum, & anno IV. Chriſto propitio imperii ejus*. Sed hujuſmodi Patriciatus mentionem viri critici non immerito notariorum arbitrio acceptam referunt, qui Imperatoriæ Cancellariæ ſtilum non bene callentes; quod ſibi probe factum viſum eſt, expreſſerunt. Idem ſiquidem Mabillonius ibidem; *Carolus* inquit: *ipſe hunc Patriciatus titulum prætermiſit in ſuis diplomatibus Imperatoriis*.

De Patriciatu Romanorum ab Imperatoribus ſuſcepto.

CAPUT IV.

SYNOPSIS.

I. *Carolus M., ac multi ſequioris ævi Imperatores Patriciatum retinuerunt*; *ejus tamen titulo nunquam uſi*. II. *Epiſtola Paſchalis I., & Eugenii II. Summorum Pontificum cum annis Patriciatus Ludovici Pii examinatur*. III. *Lotharius Imperator, qua ſolemnitate coronam circuli Patricialis ſumſerit*? IV. *Adrianus II. Carolo Calvo Patriciatum promittit, & imperium*. V. *Otto I. Imperator Patricius Romanorum tempore Gregorii V. Melchior Goldaſtus, & Euerardus Otto confutati*. VI. *Henricus II. cur Romam profectus. Patricius acclamante populo dicitur*. VII. *Henricus III., & IV. Patricii*. VIII. *Henricus V. vi,*

vi, & armis promiſſionem Patriciatus ab Paſchale II. obtinuit: ea deinde revocata. IX. *Ceteri Imperatores uti Advocati, & Eccleſiæ Romanæ Defenſores retinuerunt, & adhuc retinent Patriciatum.*

I. TAmetſi, ut in capite proximo late vidimus, Carolus Magnus aſſequtus Romanum Imperium Patricii nomine abſtinuerit; jus tamen ac dignitatem Patriciatus retinuit inſigniori dumtaxat commutatam titulo. Quum eam defenſionem, ac patrocinium, quod ex munere, & officio Patriciatus Romanæ Eccleſiæ impendebat, titulus ipſe Imperatorius contineat. Id jampridem animadvertit Euerardus Otto *diſſert. juris publ. & priv. diſſert.* 1. *cap.* 2. §.8. ubi ſcribit: *non mirum igitur, ſi Carolus imperium aſſequtus a Patricii titulo abſtinuit, vel ut Monachus Engoliſmenſis apud Pithæum pag.* 262. *ait Patricii nomen ei ablatum eſt. Licet enim Patriciatus dignitas, & vis non eſſet exſtincta inſigniore tamen titulo commutata eſt, & quamvis ejus poteſtas haud ſubdita fuerat imperatoriæ Majeſtati, minor tamen erat, & defenſionem Eccleſiæ titulus Imperialis continebat.* Mirum tamen eſt ſequioris Ævi Imperatores, vel a Pontificibus Maximis Patriciatum poſtulaſſe, vel vi, & armis fuiſſe aſſequutos; ac cum Imperatoriæ majeſtatis inſigniis capiti impoſuiſſe circulum Patriciale. Nonnulla ejus rei expendens exempla, quæ pro re nata nos quoque infra recenſebimus, Joannes Jacobus Draco *De origin. & jur. Patric. lib. altero cap.* 6. *num.* 12. *atque iſtam*, ait, *Patriciorum dignitatem etiam ſequentes Carolum Imperatores retinuerunt*: Nunquam tamen ejus titulo uſi ſunt, vel in epiſtolis, vel in diplomatibus, aut in capitularibus, ejuſque inſcriptionis nullum apud Scriptores vetus occurrit, certum, aut ſincerum monumentum: unde recitato paullo ante loco perperam Draco memoriæ prodit: *Coronatos Imperatores vocari Patricios conſueviſſe.* Nobis enim longe

Digitized by Google

longe melius ſenſiſſe viſus eſt Joannes Mabillonius rei diplomaticæ teſtis omni exceptione major, qui nullum Imperatorum poſt Carolum M. diploma, aut epiſtolam affert, in cujus exordio videatur inſcriptus titulus Patricii Romanorum; quin imo hanc uſu receptam omiſſionem appoſite expendens *lib. 2. de re diplom. cap. 3. num. 9.* Certe inquit, *Carolus ipſe hunc titulum prætermiſit in ſuis diplomatibus, uti & Ludovicus Pius.*

II. Verum enim vero ſingularis videtur epiſtola Paſchalis I. Papæ quæ proſtat apud Labbeum *tom. 7. Concilior. in appendice pag.* 1869., illamque recenſent idem Mabillonius *tom. 8. Vitarum Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag. 567.* & Ducangius in Gloſſario *verbo Patricius.* Ipſa data eſt anno DCCCXXIII. Bernardo Viennenſi Archiepiſcopo, cujus epocha ſignatur cum annis Imperii, & Patriciatus Ludovici Pii; nimirum: *Data eſt, per manum Georgii Bibliothecarii S. Sedis Apoſtolicæ Nonis Decembris Imperante Domno Piiſſimo Auguſto Ludovico a Deo coronato Magno Pacifico Imperatore ejus Imperii anno IV., et Patriciatus ejus anno III.* Altera itidem ad eumdem Bernardum epiſtola Eugenii II. legitur apud citatum Mabillonium *ſec. IV. Benedictino part. 2. pag. 567.*, in qua annus IV. ejuſdem Ludovici Pii memoratur. Vererer autem verbum illud *Patriciatus* fuiſſe potius ab interprete, & exſcriptore ſuppletum, nec in ſuo autographo fortaſſe reperiri, niſi ejus ſeculi nota uſurpari ſolita, nimirum P.C. qua veteres Pontifices Maximi ſignare ſolebant epocham monumentorum publicorum poſt annos Imperatoris, hoc eſt poſt Conſulatum ejus. Hujus Siglæ exempla exſtant plurima apud laudatum Mabillonium *cap. 25. n. 3. lib. 2.* Qui propterea eodem loco tum Paſchalis I., tum Eugenii II. memoratas epiſtolas Patriciatus Ludovici Pii obſignatas annis ad examen revocans, monet num. 3. *Ad hæc corrigenda etiam videtur clauſula Bullæ Paſchalis I. ad Bernardum Viennenſem Archiepiſcopum, quæ*

data

data eſt Imperante Domno noſtro &c. nam pro Principe ſcribendum. Perpetuo, & pro Patriciatus anno III. P. C. ejus anno IV. & num. 9. addit: *Cujus tamen Patriciatus Cludovici annus Quartus memoratur in litteris Eugenii II. pro Bernardo Archiepiſcopo Viennenſi, ſed forſan legendum, poſt Conſulatum ejus.*

III. At quidquid ſit de re ipſa, quam libens in medium relinquo: Imperatores Patriciatus uſos titulis minime fuiſſe; dignitatem vero, ac inſignia illius pompa certe quam ſolemni, celebrique ſumſiſſe apparatu conſtat, quod celebrioribus anni feſtis diebus facere conſueverunt coram S. Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque præſtantiſſimorum hominum cœtu. Hujus rei inſigne nobis præbet exemplum Lotharius Imperator, qui magna ſacrorum, ac nobiliumVirorum ſtipatus frequentia profecturus ad Caſſinenſe Monaſterium die exaltationis S. Crucis ſacro, in Urbe S. Germani coronam circuli Patricialis accepit, ut habetur in Chronico Monaſter. Caſsinenſ. *lib.* 4. *cap.* 29. apud Virum Clariſs. Ludovicum Antonium Muratorium in tom. 4. collectionis ſcriptorum rerum Italicarum vulgato. In eo quippe legitur: *Alia vero die* (Lotharius) *direxit Annonem Abbatem Cœnobii Luneburgenſis, & Petrum Caſſinenſem Diaconum ad Monaſterium, per eos fratribus ordinans, ne quid incompoſitum, vel indiſciplinatum in habitu, locutione, vel inceſſu proferrent; ipſe autem venturus eſſet ad Monaſterium cum Cardinalibus, Archiepiſcopis, Abbatibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, ac Religioſioribus, & prudentioribus Romani Imperii, & ſi quid inveniſſent, Raynaldum tantæ Abbatiæ indignum, confeſtim eum removerent, & in S. Benedicti Cathedra perſonam idoneam conſtituerent. Ipſe vero in Civitate* (S. Germani) *coronam circuli Patricialis accepturus remanſit, nam tunc Exaltationis Sanctæ Crucis agebatur celebritas*: Eadem itidem ſolemnitate,

tate, & coronam, & dignitatem Patriciatus Henricum IV. ſumpſiſſe in eximio Epiſcoporum conventu, quem ipſe Baſileam ad Concilium accerſiverat, paullo infra notabimus.

IV. Merito itaque dubitari nequit, Imperatores una cum Imperialis Majeſtatis inſigniis coronam, & circulum Patriciatus tanta ſumentes celebritate, eam dignitatem plurimi exiſtimaſſe. Qua in re, & illud ſingulare videtur: Carolum Calvum nondum Imperium aſſequutum, quum vereretur, ne poſt obitum patris alteri Imperium deferretur, Adriani II. Summi Pontificis patrocinio, & fidei demiſsis precibus enixe ſe commendaſſe, ut Patricius, ac Imperator ab ipſo renunciaretur, quod ejuſdem Pontificis oſtendit epiſtola recitata a Natali ab Alexandro *tom. 6. hiſtor. Eccleſ. ſeculo IX. & X. diſſert. 1. fol. 216.*, cujus hæc verba ſunt: *Vobis confitemur devovendo, & noteſcimus affirmando ſalva fidelitate Imperatoris noſtri, quia ſi ſuperſtes ei fuerit veſtra nobilitas, vita nobis comite, ſi dederit nobis quislibet multorum modiorum auri cumulum, nunquam acquieſceremus, alium in Regnum, & Imperium Romanum, niſi teipſum. Si contingerit te Imperatorem noſtrum vivendo ſupergredi. Te optamus, omnis Clerus, & Plebs, & Nobilitas totius Orbis, & Urbis non ſolum Ducem, & Regem; PATRICIUM, & Imperatorem; ſed & in præſenti Eccleſiæ Defenſorem*. Sed poſtrema recenſitæ epiſtolæ verba præſtat expendere: quibus Summus Pontifex præſentem Eccleſiæ Defenſorem exoptat Carolum Calvum, deinde Ducem, & Regem, Patricium, & Imperatorem. Hoc certe illa de cauſſa factum credimus, quia ſicut in præmium Eccleſiæ defenſæ, vel in argumentum illius patrocinii ſuſcepti hujuſmodi præſtantiſsimis, ac nobiliſsimis viris ea concedebatur dignitas, ita, & Adrianus voluit Carolum Calvum prius Eccleſiæ Defenſorem, & inde Patricium,

ut

ut merito impenſæ defenſionis Protector, & Advocatus Eccleſiæ per Patriciatus dignitatem indicaretur.

V. Idipſum non obſcure comprobat Ottonis I. Patriciatus, quem anno cmxcvi. tempore Gregorii V. ſuſceperat, ut tradit Vignolius in libro, cui titulus: *Antiquiores Pontificum Romanor. Denarii in Joanne XII.* Quum enim adverſus Berengarii tyrannidem a Summo Pontifice invitatus Sedi Apoſtolicæ tunc oppreſſæ ſuppetias tulerit, hujuſmodi Patriciatus promeruit præmium. Cauſſam ipſam agnovit, & Euerardus Otto *Diſſert. 1. jur. publ. & privat. cap. 2. §. 12.*, ubi ſcribit: *Et quemadmodum Carolus contra Deſiderii oppoſitionem, ſic Otto contra Berengarii tyrannidem invitatus ſuppetias tulerat Sedi. Idem ergo operæ, & viæ præmium merito ab ea accepit, quod jam ſolo Patricii titulo ipſi competebat*: Sed more ſuo falſo deinde pronunciat ex Senatuſconſulto de lege Regia a Papa, Senatu, Populoque Romano, omne jus ac poteſtatem eligendi Pontificis, ac Patriciatus dignitatem ei collatam fuiſſe in commentitia illa Synodo de re ipſa Laterani habita; quam hauſit ex lutulentis lacunis Melchiorris Goldaſti *tom. 1. conſtit. Imperial.* Cujus falſitatem, ac impoſturam paullo poſt aperiemus. Apud Freherum *in Chronico Laurishem. pag. 69.* Et Meibonium ad Wirtichindum *pag.* 123. recitatur quoddam privilegium conceſſum ab eodem Ottone I. anno CMLXIII. Monaſterio Laurishemenſi, in quo inſcriptus legitur: *Otto Dei gratia Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum*: quod prodit idem quoque Euerardus. At dubito an germanum, ſincerumque idem ſit. Non enim in commentitia illa Synodo Patriciatum ſuſcepit, ſed tempore Gregorii V., ut ſuo loco notavimus. Suſpicionem item ingerit ipſemet Imperator, qui omiſſo in eo privilegio Imperatoris titulo, illo dumtaxat Romanorum Patricii utitur, quod nec a Carolo M. poſt aſſequutum Imperium, nec ab alio Imperatore uſurpatum conſtat.

VI. Ut

VI. Ut autem eo redeamus, unde ſumus digreſſi, non minus certum eſt Eccleſiæ Romanæ advocationem, & patrocinium Patriciatum importaſſe, quum illum & Galliarum Reges cum Regali Majeſtate ſumſerunt, & Carolus M. Imperator electus, ceterique Imperatores una cum Auguſta dignitate retinuerint. Quidquid autem alii muneri huic præcipuo, & ſingulari plus æquo addunt juris, & poteſtatis, patrocinium certe, & advocationem denegare non audent. Collatum propterea Patriciatum ob auxilium Romanæ impertitum Eccleſiæ adverſus Berengarii tyrannidem non diſſimulat recitato loco Euerardus. Sed, & propter opem non imparem ipſi Eccleſiæ, Populoque Romano collatum ab Henrico II., eodem honoris præmio auctum fuiſſe conſtat. Vigebat Romæ, Romanos inter, & Benedictum Pontificem Maximum adeo ingens diſſidium, ut ipſum Romani a Cathedra ſua, quam per annos XII. obtinuerat, vi, & armis expulerint, ac Joannem quemdam, cui Silveſtri nomen inditum fuit, in Eccleſiæ univerſalis regimen ſubrogaverint. Coactus eſt proinde Benedictus ſupplex finitimas adire Urbes, atque orare maxime Tuſculanos proceres, ut ſe a ſede ſua ejectum, ac vi Romanorum patria, & Pontificatu privatum, juvarent, priſtinæque ſedi reſtituerent. Horum auxilio, Silveſtro expulſo, in Romana Cathedra Benedictus iterum ſedit; ſed adhuc inviſum ſe populo Romano agnoſcens ſponte Pontificatu abdicavit, & cuidam Joanni Archipresbytero Romanæ Eccleſiæ regimen tradidit, qui Gregorii nomen aſſumpſit. Elata proinde fuit Populi Romani arrogantia in Romanum Pontificem; graviſque orta ſuſpicio de Gregorii electione, quam plerique uti ſimoniacam incuſabant. Hæc moverunt Henricum Italiam, ac Romam petere, ut præſto eſſet Eccleſiæ, propulſaretque Schiſmatis, & Hæreſis peſtem. Sutrii propterea ſubſtitit, ubi de tanto negotio deliberaturus, Concilium præcipuum convocari

curavit, ad quod plures Epiſcopi, Abbates, ac Religioſi Viri coacti fuerunt. Hic Gregorium ſponte ceſſiſſe Pontificatui ad conciliandam Eccleſiæ unionem, & pacem exemplo S. Gregorii Nazianzeni, prodit Baronius ad annum MXLVI. eoſque falſo opinari docet, qui ſimoniæ crimine Gregorium accuſatum aſſerunt. Romam poſthac Henricus venit, hiſque ſicut in eo Concilio, acta erant, nunciatis Clero, & Populo in Eccleſia S. Petri Apoſtolorum Principis coacto, actum inibi fuit de ordinatione ipſius Eccleſiæ, & electione Pontificis, qui rite, ac omnium ſuffragiis renunciatus fuit Epiſcopus Bambergenſis e Saxonum gente, cui Clemens nomen eſt impoſitum. Rebus itaque Henrici ope proſpere, ac rite geſtis, omnium animi judicum incitati fuerunt, ut ille Patricius totius populi ore appellaretur, de quo auctor Chronici Monaſterii Caſſinenſis *lib.2. cap.79.* hæc habet: *Demum electione cunctorum Epiſcopus Bambergenſis de gente Saxonum Papa Romanus levatur, eique Clemens nomen imponitur. Tunc tempore ob hujuſmodi res tam proſpere, tamque Canonice geſtas eidem Henrico Patriciatus honorem Romani contribuunt, eumque præter Imperialem coronam, aureo circulo uti decernunt.* Mihi autem illud potius veriſimile fit, per publicam acclamationem univerſi populi ob res feliciter geſtas, lætitia geſtientis Henricum fuiſſe appellatum Patricium: idque indicare auctorem Chronici, quum prodit, fuiſſe Henricum Imperatorem a populo Romano Patriciatu auctum. Non diſparem certe populi acclamationem Carolo item Magno fuiſſe factam, alibi vidimus, aliiſque clarioribus petitis ab hiſtoria momentis paullo poſt oſtenſuri ſumus.

VII. Goldaſtus, quem ſequuti ſunt Draco de origin. & jure Patricior. *lib. 2. cap. 6. nu.* 12. & Euerardus Otto *diſſert. jur. publ. & privat.* 1. *cap.* 2. §. 13. falſo aſſerit in collectione conſtitut. Imperial. ex Senatuſconſulto Romanorum de lege Regia a Papa, Senatu, Populoque Ro-

Romano decretum fuiſſe Patriciatum Henrico III. Imperatori. In Bullario autem Caſſinenſi tom. altero ſe Patricium, & Imperatorem appellari memoratur. Apud Fhrenium quoque in *Patricius* hæc leguntur verba, quæ Draco, etiam, & Euerardus in Concilio Osborienſi a Regio Advocato prolata fuiſſe docent: *Hoc negare non potes quod Pater Domini mei Regis piæ memoriæ Henricus* (III.) *Imperator factus eſt, & Patricius Romanorum*: quæ recitat etiam S. Petrus Damiani in congreſſione dicti Regii Advocati cum Defenſore Eccleſiæ Romanæ. Jure autem Patriciatus jus Romanum deligendi Pontificem Henricum Imperatorem prætendiſſe conſtat ex ejus epiſtola ad Honorium Pſeudo-Pontificem ſcripta. Porro Henricum ipſum Imperatorem Patriciatum ſumſiſſe, ac circulum aureum Patriciale in generali conventu Baſileæ habito, capiti ſuo impoſuiſſe, conſtat ex Bertholdo Conſtantienſi ad annum MLXI. cujus hæc verba ſunt: *Romæ Nicolao Papa defuncto Romani coronam, & alia munera Henrico Regi tranſmiſerunt, eumque pro eligendo Summo Pontifice interpellaverunt; qui ad ſe convocatis omnibus Italiæ Epiſcopis generalique conventu Baſileæ habito eidem impoſita corona, Patricius Romanorum appellatur*: Ejuſdem hiſtorici teſtimonio, & auctoritate fulti memorati Draco, & Euerardus id Henrico V. tribuunt, qui longe poſt, nimirum, anno a Virginis partu MCV. ad Imperium eſt evectus, ut ex Othone Friſingenſi, & Conrhado Uſpergenſi oſtendit Petavius *part.* 1. *rationarii temporum lib.* 8. *c.* 17. Notandum præterea eſt Henricum ipſum a Romanis ſeditioſis fuiſſe Patriciatum, & aureum circulum conſecutum; quum ipſi S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus jam hoſtes, & infenſi, ut eos ab eligendo Pontifice arcerent, Henricum interpellaverint, eique Patriciatum detulerint, quod longe clarius demonſtrabimus, ubi de ejuſmodi dignitatis conferendæ jure a Romanis nullo merito ſibi arrogato agemus. Henricum

autem IV., & ipſum Patricium fuiſſe conſtat, eo enim nomine jus eligendi Pontificem ſibi competere autumabat. Hinc apud Mabillonium in Muſeo Italico *tom.* 1. *part.* 2. *pag.* 63. ex vetuſto monimento legitur: *Imperante Domno Henrico IV. Romanorum Patricio, & Imperatore ab Incarnatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti anno M. XC. II. indictione XI. XIII. Kalen. Maji.*

VIII. Quæ hactenus produximus hiſtoriæ exempla rite, recteque geſtum Romanorum Patriciatum ab Imperatoribus oſtendunt. Illum ſiquidem a Pontificibus Max. petitum ultro tributum; vel ob ſingularia in Romanam Eccleſiam, merita decretum Imperatores geſſerunt. Ab hoc numero Quintum Henricum excipio, cui auſu indigno, ac tumultuaria infidi populi acclamatione id honoris, ac dignitatis genus a Romanis delatum eſt. Henricus ipſe apertus hoſtis Romani Pontificis infeſto exercitu Romam venit, multiſque in ſacram ejus perſonam & majeſtatem patratis Cardinalibus item, & Epiſcopis in vincula conjectis a Paſchale II. una cum Imperio Patriciatum petiit; itemque jus Epiſcopos, & Abbates inveſtiendi, ut legitur *in Chronic. Monaſterii Caſſinenſ. lib.* 4. *cap.* 4. *Quos idem Imperator anulo, & virga inveſtiat, & Epiſcopus inveſtitus libere Conſecrationem accipiat ab Archiepiſcopo, ad quem pertinuerit; Si quis vero a populo, & Clero eligatur, niſi ab Imperatore inveſtiatur, a nemine conſacretur, & Archiepiſcopi, & Epiſcopi libertatem habeant conſecrandi inveſtitos ab Imperatore. Et Regnum, et Imperium, & PATRICIATUM officii ſui auxilio teneri adjuvabit*: Cardinalibus ut narrat Platina in Paſchale II. qui in vinculis erant, inſtantibus, Populoque Romano, qui bello ab Henrico vexabatur ſupplicante, ut quavis conditione idem Pontifex pacem cum iniquo Principe conſtabiliret; Coactus, hujuſmodi privilegium conceſſit, quod deinde abrogavit in Lateranenſi Concilio. Quamobrem Angelus de Nuce Roſſanenſis Archiepiſcopus

pus in notis ad citatum caput Chronici Caſſinen. *Privilegium*, inquit, *quod a Romano Pontifice minis extorſit, poſtmodum Synodo congregata, Epiſcoporum auctoritas, tanquam pravilegium reprobavit*. Ceterum Henricus, alter hujus Henrici Filius ſe ab inveſtituris continuit; eaſque in manibus Lamperti Romani Pontificis Legati reſignavit Vormatiæ. Quamobrem anathemate ſolutus eſt a Caliſto II., ut produnt Uſpergen. in Henrico V., & Friſingenſ. *lib. 7. cap. 1.*

IX. Mirum profecto fuit, quod, quum nil aliud Patriciatus juris haberet, quam Eccleſiæ Romanæ patrocinium, ac defenſionem impendere, Imperatores ipſi, vel precibus, aut vi, & armis eam dignitatem petierint a Pontificibus Maximis. At hoc ob id fortaſſe accidit, quum ipſa per ſe Patriciatus dignitas honorificentiſſima, & ſplendidiſſima jampridem habita, adulantium ſubinde aucta fabulis amplior videbatur. Hinc non aliud Principes quidam eo nomine præſetulerunt, quam Urbis Imperium, & juriſdictionem in populum Romanum: electionem præterea Romanorum Pontificum, aliique eorumdem jura ſibi arrogare. Sed figmentis, & larvis hic prætermiſſis, Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis patrocinium ipſi Imperatoriæ majeſtati,& ampliſſimæ dignitati adeo conjunctum, ac ut ita dicam, individuum eſt, ut ceteri deinceps Imperatores retinuerint, & adhuc hodie eo nomine Patriciatum retineant. Duo pro re nata Joannes Jacobus Draco *lib. altero cap. 6. num.* 12. animadvertit, quorum alteri facile aſſentior, in altero autem ipſum deceptum, & hallucinatum arbitror. *Omnes*, inquit, *in hunc uſque diem Imperatores Patriciatum geſſerunt, hodieque gerunt. Nam ut modo dictum ſub Patriciatus titulo non tantum politica, ſed ſuper ordinando quoque Pontifices & Clericorum ſtatu poteſtas, defenſio item, ſive advocatio Eccleſiæ concedebatur*: Hanc autem advocationem Romanæ Eccleſiæ dubium non eſt hodieque

que Imperatores habere veluti, (ut idem Scriptor proſequitur *num.* 13.) a Pipini, & Caroli temporibus manu traditam. Ea ut probe, ac recte fungantur, Sacramento adiguntur; cujus formulam idem *num.* 17. recitat, quam nos quoque iterum hic exhibemus: *Ego N. Romanorum Rex annuente Domino Imperator, promitto, ſpondeo, polliceor, atque juro coram Deo & B. Petro me de cetero Protectorem, Procuratorem, & Defenſorem fore Summi Pontificis, & hujus Sanctæ Eccleſiæ Romanæ:* Lubet etiam hic deſcribere aurea verba Alberti I. Rodulphi Imperatoris filii, quæ in ſuo diplomate relato a Baronio *tom.* 10. *annal. ad annum Chriſti CMXCVI. n.* 48. expreſſa leguntur: *Recognoſcentes igitur, quod Romanum Imperium per Sedem Apoſtolicam de Græcis translatum eſt in perſona magnifici Caroli in Germanos, & jus eligendi Romanorum Regem, & Imperatorem, poſtmodum certis Principibus Eccleſiaſticis, ac Sæcularibus eſt ab eadem ſede conceſſum, a qua Reges, & Imperatores, qui fuerunt, & erunt recipiunt gladii temporalis poteſtatem ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum pia devotione, & ſincero corde profiteor Romanorum Reges in Imperatores poſtmodum promovendi per ſedem eamdem, ad hoc potiſſimum, & ſpecialiter aſſumantur, ut ſint S. Eccleſiæ Advocati, Catholicæ Fidei, ac ejuſdem Eccleſiæ præcipui Defenſores:* Idem expreſſit, & Federicus Primus in epiſtola anno Chriſti MCLIX. data ad Antipapam, & Cardinales illos, quos ad Concilium Papienſe convocavit: *In hoc itaque*, inquit, *ſacratiſſimo propoſito conſtituti cum omnibus Eccleſiis in Imperio noſtro conſtitutis debeamus patrocinari; Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tanto propenſius debemus providere, quanto ipſius cura, & defenſio a divina providentia creditur nobis eſſe commiſſa ſpecialiter:* Ut demum alia, quæ afferri poſſent, omittam, accedat laudatorum Imperatorum teſtimoniis invictiſsimi Caroli V. auctoritas, qui peculiarem ſatiſ-

que

Digitized by Google

que elegantem ad S. Purpuratorum PP. collegium XX. Novembris anno MDLIX. poſt Julii III. Pontificis obitum ſcribens epiſtolam, eaque illos ad novi, atque idonei Antiſtitis electionem adhortans, hæc habet: *Ut in mentem venit, nos Advocati Eccleſiæ munus, & Provinciam ſubſtinere, eoque nomine ex veteri majorum inſtituto in partem hujus ſolicitudinis vocatos eſſe, non potuimus, neque certe debuimus officio noſtro deeſſe, quin huic rei omnium maximæ graviſſimæque partes noſtras interponeremus*: Plura id genus, ſi quæras, exempla, conſule Martinum Magerum de Advoc. armata cap. 5. cui deſcriptum ex Caroli V. epiſtola locum, acceptum ferimus.

De Ritu, & Forma conferendi Regibus, & Imperatoribus Romanorum Patriciatum.

CAPUT V.

SYNOPSIS.

I. *Melchiorris Goldaſti aſſerentis, a Romanis Patriciatum Regibus, & Imperatoribus collatum, opinio rejecta.* II. *Pontifex Max. illum conferebat, & Populus Romanus acclamationibus dumtaxat, & laudibus proſequebatur & rite efferebat electum.* III. *Quo Ritu Patricii fuerint creati, variæ Scriptorum ſententiæ.* IV. *Sacra unctione Galliarum Reges a Stephano III. in Patricios liniti ſunt.* V. *Galliarum Reges oleo cœleſti in ſolemni Regni inauguratione ab Remenſi Archiepiſcopo unguntur. Remenſis ampullæ cœleſtis origo.* VI. *Pro illa, & adverſus ipſam argumenta referuntur.* VII. *Imperatores benedictione Pontificis, vel ſuſcepta Patriciatus corona Patricii renunciati.* VIII. *Corona, & circulus præcipuum Patriciatus inſigne.* IX. *Alia Patricii Romanorum indumenta.* X. *Carolus Magnus cum Patriciatus inſigniis in-*

La-

Lateranenſi palatio pictus. Petrus de Marca, Goldaſtus, & Alemannus notati.

I. Poſtquam vidimus cum Galliæ Regibus, tum Imperatoribus Patriciatum Romanorum conceſſum, ad ea nunc progredimur, quæ ad ritum ſolemnem ejus inaugurationis pertinent. Primum vero ipſius cauſſam a ſuprema Romani Pontificis auctoritate, & poteſtate licet agnoſcere. Enim vero, quemadmodum paullo ante notatum eſt, quum ſævientibus in Italiam Longobardorum incurſionibus Gallorum Reges eſſent in auxilium accerſiti a Romanis Pontificibus, ut libertatem, & jura tuerentur Eccleſiæ, ut aliquam beneficio gratiam referrent, Romanorum Patricii ſunt appellati. Quamobrem qui a Pontifice Max. id jus auferunt, ac pro Romani populi, ac Senatus arbitrio eam dignitatem collatam cenſent pro rebus ipſis larvas ſectantur. Ceteros hujus opinionis aſſeclas miſſos faciam, eroque contentus eorum potiſſimum Ducem in medium afferre; nimirum Melchiorrem Goldaſtum, qui *tom. 1. conſtit. Imperial. ad annum DCCLXXIV.* affert Senatuſconſultum de lege Regia, quo a Senatu, Populoque Romano, Carolo Magno una cum aliis inſuetis, atque ſanctiſſimis juribus, quæ ad Romani Pontificis electionem, & Epiſcoporum inveſtituras pertinent, Patriciatus dignitas conlata eſt. In rem ipſam alterum tempore Leonis dicti VIII. falſi Pontificis affert Senatuſconſultum pro Ottone I. Imperatore latum. Quum autem Melchior negare non audeat in collatione ejus dignitatis Romani quoque Pontificis auctoritatem fuiſſe interpoſitam, cenſet nihilominus primum ex memorato Populi Senatuſconſulto Patriciatum decretum, deinde a Summo Pontifice una cum Senatu, & Populo in commentitia Synodo Ritu ſolemni reipſa conlatum. Addit etiam renunciatum a Populo Romano Patricium Pontifices non Patricium, ſed Advocatum

vocatum appellari maluiſſe. Errorem hunc Joannes Jacobus Draco *lib. altero cap. 6. num. 6.* reprehendit, ſed & ipſe falſo juri, & auctoritati Populi, & Senatus Romani plus, quam par eſt, tribuens graviorem in errorem incidit, ſcribit autem: *Quibus magis accedendum arbitror, quam Goldaſto, qui autumat quem populus ſibi Patricium elegerat, eumdem maluiſſe Pontifices appellare Advocatum, cum qui filius ſit, quales jam tum a Pontificibus ſalutabantur, Principis Pater eſſe Patricius nequeat.*

II. At vero hujuſmodi Romani Senatuſconſulti nulla apud veteres Scriptores mentio occurrit, Anaſtaſii profecto, & Eginardi, qui res a Carolo Magno pace, belloque geſtas omnium primi, ac diligentiſſime publicis ſcriptis commendarunt, altum ſilentium eſt. Et certe ſi adfuiſſet tam illuſtre, ac ſolemne Populi Romani Senatuſconſultum, quod fortiſſimo, ac religioſiſſimo Imperatori commendationis, ac laudis plurimum addidiſſet ſuo ſilentio non prætermiſiſſent. Sed recenſenti ea, quæ ſupra protulimus, ubi de prima hujus Patriciatus collatione a Gregorio III. Carolo Martello facta egimus, ſuaderi facile poterit, quam alienum a vero ſit Goldaſti, & Draconis aſſertum. Illud ſiquidem certum eſt ceteris Galliarum Regibus Romanos Pontifices Patriciatum non ſolum contuliſſe nulla Senatus & Populi Romani interpoſita auctoritate; verum etiam Reges ipſos, ac reliquos Imperatores legitimos hujus dignitatis collatores, & auctores unos noviſſe Pontifices Maximos, quibus ſupplicarunt, vel ut Patriciatum ſibi confirmarent, ut petiit Carolus Magnus a Leone III., vel ex integro ipſis conferrent, ut diximus de Pipino, qui cum Stephano III. convenerat apud Cariſiacum de hujuſmodi dignitate; item de Carolo Calvo, cui fuit ab Adriano II. Patriciatus promiſſus, de Henrico V. qui a Paſchale II. vi, & armis dignitatem ipſam extorſit, quum obſides

 non-

nonnullos Cardinales, & Epiſcopos detineret: ſi Populo Romano fuiſſet conferendæ hujus dignitatis poteſtas, non a Pontificibus Max. memorati Reges, & Imperatores eam poſtulaſſent, ſed potius a Populo Romano quæſiiſſent. Ea ſolum res erat Populo Romano publicis nimirum acclamationibus per omnium ora ferre delectum: ſuumque appellare Patricium. Ita quidem Carolus M. Patricius a Populo Romano in S. Petri Baſilica acclamatus fuit: tametſi tum primum ab Adriano I. Patriciatum recepiſſe ejuſmodi acclamatione decepti plerique Scriptores referant. Ea namque non diſpar acclamatio fuit, qua Imperator a Romanis eſt appellatus, ita tamen ut non ab iis Imperium, ſed a Leone III. fuiſſe aſſequutum, nemo eſt, qui dubitet. Sed hæc ipſa multo magis perſpicua fiunt, repetenti ea, quæ ſupra retulimus *cap.* 3. ubi narravimus Carolum M. jam Stephano II. Patricium renunciatum ad Urbem accerſiſſe; aliiſque, vel abſentibus, Patriciatum fuiſſe conceſſum, vel ritu ſolemni collatum. Quæ itaque de Patriciatu Caroli M. & Ottonis I. Imperatoris per Regiæ legis auctoritatem ex Senatuſconſulto Populi Romani ferunt Goldaſtus, & ejus aſſeclæ ab hujuſmodi populi acclamationibus accepta fuiſſe, quam longe vero abeſſe exactus quiſque rerum inveſtigator facile conjiciet. Inde Senatuſconſulti nata fabula, eique Caroli Magni, & Ottonis I. Patriciatum affictum. Cui refellendo commento, etſi ſatis, ſuperque ſint hactenus dicta, alia nihilominus afferemus momenta in poſtremo hujus libri capite, ubi jus ipſum per ſummam injuriam Pontifici Max. a Populo Romano ereptum videbimus; eoſque, qui eripuerant propterea perduellionis damnatos.

III. Conferendi Romani Patriciatus auctori accedat Ritus ſolemnis, quo hujuſmodi dignitas præſtantibus Regia, & Imperatoria majeſtate Viris Principibus conferebatur. An aliqua certa fuerit adhibita cæremoniæ

niæ forma affirmare non audeo. Varias ea de re circumferri video Scriptorum ſententias, quæ varios item Ritus aperiunt. Joannes Mabillonius *in ſupplemento rei diplomat. cap. 9.* & Pagius *in Critica ad Annal. Cardinalis Baronii ad annum DCCXXVI.* Expendentes propriorem huic Patriciatui formulam a nobis quoque ſuperiori libro recitatam, dubii quærunt, an eodem ritu Galliarum Reges fuerint renunciati Patricii Romanorum. Pagius, quid primum in uſu eſſet oſtendit, quid ipſe ſentiat, omittit; ſed Mabillonius: *An eumdem Ritum*, inquit, *obſervaverit Stephanus, cum Patricios creavit Pipinum, ejuſque filios Carolum, & Carolomannum, incertum*: Ego vero primam ejus Patriciatus inaugurationem recolens, quum illam dignitatem Gregorius III. Carolo Martello in Galliis commoranti contulit; traditionem ſacrarum clavium confeſſionis S. Petri, & vexilli Eccleſiæ Romanæ, ſequutam eſſe lego. Quod idem narrat Pagius *num. 5. Gregorius III.*, ait, *Carolum Martellum Romanorum Patricium eligens, ipſi claves miſit, imo, & vexillum*: Is ſiquidem a Pontifice cum abſens eſſet, nulla profecto ſolemnitate Patriciatum conſequutus fuit, ut ego quidem cenſeo; ſed Vir Clariſſimus Joannes Vignolius libro, cui titulus, *Antiquiores Pontificum Romanorum denarii in Leone III.* memorati vexilli traditionem animadvertens, cum aliis Romani Patriciatus inſigniis, quibus pictus, ornatuſque viſitur Carolus in Camera Triclinii Lateranenſis, ſcribit: *Summi Pontifices Romanorum Patricios gladii, & vexilli traditione inveſtire ſoliti erant.*

IV. At illa certe omnium celeberrima, nec antea, nec inſequentibus viſa temporibus fuit inauguratio, quæ nimirum Pipinus, Carolus, & Carolomannus Francorum Reges a Stephano III. Patricii creati fuere in Baſilica SS. Martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii. Conſtat ſiquidem Reges ipſos a Summo Pontifice Sacra un-

ctione adhibita Patricios factos: cujus ritus memoriam acceptam referimus laudato Mabillonio *de re diplomat. in lib. 5. in tabella XXII. pag. 384. edition. Lutetiæ Pariſiorum*, qui ex antiqua Anonymi ſubſcriptione libro de Gloria Confeſſorum Sancti Gregorii Turonenſis, cujus exemplum habuiſſe teſtatur a Viris Clariſs. Henſchenio & Papebrochio, penes quos exſtabat autographum, hæc deſcribit: *Ipſe prædictus Domnus Florentiſſimus Pipinus Rex pius per auctoritatem, & Imperium ſanctæ recordationis Domni Zachariæ Papæ, & unctionem Sancti Chriſmatis per manus Beatorum Sacerdotum Galliarum tribus annis antea in Regni ſolio ſublimatus perhibetur; poſtea per manus ejuſdem Stephani Pontificis die uno in Beatorum Martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii Eccleſia (ubi & venerabilis Vir Folradus Archipresbyter, & Abbas eſſe cognoſcitur) in Regem, & PATRICIUM una cum prædictis filiis Carolo, & Carolomanno in nomine Sanctæ Trinitatis UNCTUS ET BENEDICTUS EST.* Idipſum, & Annales Metenſes ad annum DCCLIV. & Ducheſnius referunt *tom. 2. pag.* 280. *Illum* (Carolum) *prædeceſſor ſuus beatæ memoriæ Stephanus Papa unctione ſacra liniens in Regem, & PATRICIUM ROMANORUM ordinavit*: Le Blanc in diſſertatione adjecta tractatui antiquorum Galliarum Regum numiſmatum, & Pagius eoſdem ſequutus in Breviario hiſtor. geſtorum Summ. Pontific. in Stephano II. *num.* 11. idem prodidere *Stephanus Pipinum, Carolum, & Carolomannum Reges inungens eos PATRICIOS ROMANORUM dixit*: Sacra unctio propria erat, & quidem antiquiſſima inaugurandorum Regum a Judaicis petita Ritibus, & Cæremoniis ad exteros populos inde progreſſa: cujus veſtigium jam Saulis Hebræorum Regis ætate *lib.* 1. *Reg.c.*10.occurrit. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce unxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in Principem*,

pem, & liberabis Populum ſuum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in Principem. Regiam Pipini unctionem triennio ante a Bonifacio Archiepiſcopo factam deſcribunt ad annum DCCL. Annales Eginardi, Regino, Marianus, & Sigebertus. Locum etiam nempe Monaſterium Sancti Medardi in Urbe Sueſſiona, ubi ille Chriſmate delibutus fuit, memorant Annales Laurishemenſes ad ipſum annum: *Hoc anno Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus dignitatem honoris unctus ſacra unctione manu ſ. m. Bonifacii Archiepiſcopi, & Martyris, & more Francorum elevatus in Solio Regni in Civitate Sueſſiona*: Ex his facile evincitur longe aliam ab Regia fuiſſe unctionem, quam Stephanus Pontifex Max. adhibuit: propriamque ſuſpicari licet, qua Romani Patricii Ritu ſolemni inaugurati fuerunt memorati Gallorum Reges.

V. Ab hac prima Pipini unctione (non enim alios Galliarum Reges unctione ſacra linitos eſſe ante Pipinum conſtat, ut prodidere Gerardus du Bois *hiſt. Eccleſ. Pariſ. lib. 5. cap.* 1. §. 1. *& ſeq.* Tillettus Haillan. aliique Francicarum rerum Scriptores) mos in Galliis ortus, ut Reges in ſolemni Regni inauguratione Sacro Chriſmate ungerentur: quod certis adhibitis cæremoniis frequentiſſimo Procerum Francorum & populi fit concurſu. Hunc Ritum eleganter enarrat Nicolaus Thuanus Epiſcopus Carnutenſis in deſcriptione ſolemnis unctionis, & coronationis Henrici IV. eamque Theodorus Gothofredus in libro *le Ceremonial de France pag.* 601. cum aliis id genus edidit. Peragendæ hujuſmodi unctionis munus Rhemenſis Archiepiſcopus veteri more ſibi vindicat, ut conſtat ex vetuſtis actis coronationis Philippi, hujus nominis, Primi: quæ ex Rhemenſis Bibliothecæ archivo evulgavit Joannes Bodinus *de Republ. lib. 6. cap.* 5. Illa de Gervaſio Antiſtite, qui ſub annum Chriſti MLIX. vivebat,

vebat,

vebat, ita loquuntur: *Accipiens baculum S. Remigii diſſeruit quiete & pacifice, quomodo ad eum maxime pertineret electio Regis, & conſecratio, ex quo S. Remigius HLudovicum* (hodie Clodoveum appellamus) *Regem baptizavit & conſecravit; diſſeruit etiam, quomodo per illum baculum hanc conſecrandi poteſtatem, & totius Galliæ principatum Ormiſdas Papa ſancto dederit Remigio & quomodo Victor Papa, ſibi, & Eccleſiæ conceſſerit. Tunc annuente Patre ejus Henrico elegit Philippum in Regem*: At id quidem pervulgato Scriptorum teſtimonio præſtantiſſimum eſt: ipſos Reges minime inungi oleo communi, ſed Chriſmate ſacro, e cælo delato, quo Galliarum Rex inter univerſos terræ Principes ſolus linitur: quamobrem de ipſo pronunciant locum Pſalmi 45. 8. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: Idem oleum ad hæc uſque tempora in vitrea ampulla Rhemis religioſiſſime ſervatur, cujus formam ad indicandam unctionis memoriam die tantæ celebritatis in aureis nummis cudunt, ejuſque exemplum lectoribus exhibuit Chifſletius in ipſius ampullæ diſquiſitione *pag.* 74. Fertur autem exeunte ſeculo quinto, quum Sacerdos ad baptiſmum Clodovei Chriſma allaturus a multitudine interciperetur, ne ad fontem venire poſſet, ſubito columbam nive candidiorem vitreum illud attuliſſe vaſculum, ſacro repletum Chriſmate, quo Clodoveus poſt Baptiſmum delibutus fuit. Pro cæleſtis hujus ampullæ origine pugnavit Hubertus Morus facundiſſimus Rhemenſis Eccleſiaſtes in opere de ſacris unctionibus, Guillelmus Marlotus in tractatu de unctione Regum, Daniel etiam Priezacus & Jacobus Tenneurius vindicias pro ſimpulo Rhemenſi ediderunt, quibus pauca, quæ adderet noviſſime habuit Abbas Vertotus in diſſert. Gallico ſermone, de hoc argumento conſcripta, quæ reperitur *tom.* 11. *des memoires de litterature pag.* 381.

VI. Quum autem oleo cæleſti Pipini unctionem factam

ctam minime prodant annales rerum Francicarum, nec ipſum Clodoveum cæleſti Chriſmate, Regia, ſed Sacra baptiſmi unctione linitum eſſe profiteantur ipſimet illuſtriores cæleſtis ampullæ patroni, digna res viſa fuit multis, quæ rigidioribus conjecturis, & argumentis ad veritatis trutinam examinaretur. Unde locus, & invidiæ & contentioni datus. Ad me autem quod attinet, malo quid alii ſentiant, referre, quam alterutrorum argumentis & conjecturis adhærere. Horum namque pars magna per invidiam, ut reor, in læſionem Regii nominis, & inclytæ nationis vergit. Unum præ aliis oppugnatorem acerrimum nominaſſe ſufficiat Chiffletium, qui ſingularem diſquiſitionem de ampulla Rhemenſi edidit, quæ in omnium fere eruditorum virorum manibus verſatur. Teſtes fictionis, ipſos advocavit Gallos, qui exordia Religionis Chriſtianæ in Gallia accurate perſequuti ſunt, & Clodovei baptiſmum quam accuratiſſime deſcripſerunt: de ampullæ tamen miraculo, quod potiſſimum in tanta actione ipſorum diligentiam occupare debebat, ne verbum quidem protulerunt. Hincmarum Rhemenſem docet, ſæculo nono inclinante, ampullæ hujus feciſſe primam mentionem: at nullam eum mereri fidem aſſerit, quippe qui quatuor alios graviſſimos errores in deſcribendo Clodovei baptiſmo commiſerit. Verum etiam, ac legitimum S. Remigii teſtamentum affert, quod eſt præcipuum cæleſtis ejus originis fundamentum; ſed hoc idem nec materiam ampullæ, nec formam cæleſtem oſtendit. Validas deinde auctor conjecturas addit, unde pia fabula orta videatur. Huic acceſſit Euerardus Otto *diſſert. jur. publ. & priv. diſſert.* 7. in qua, & ipſe ſingularem tractationem de ampulla Rhemenſi inſtituens, Chiffletii aſſertum, atque ſententiam novis argumentis fulcire nititur: quibus pondus arceſſit a ſilentio veterum, expenditque præcipue neque Anaſtaſium Romanum Pontificem in miſſa ad Clodoveum gratulatoria epiſto-

epiſtola, *quæ tom. 5.* apud Dacherium legitur, neque Nicetum, Avitumque Epiſcopos tantæ rei feciſſe mentionem. Illorum hæc ſunt argumenta potiſſima, quibus Rhemenſis ampullæ fabulam ab Hincmaro Archiepiſcopo, qui omnium primus illius meminit, confictam aperunt. Ad idem Hincmarus miraculum hoc non modo in vita S. Remigii apud Surium 13. Januarii ex vetuſtioribus Eccleſiæ Rhemenſis Codicibus, literis tradidit, ſed Metis publice, ac velut ex ſuggeſtu in Caroli Calvi inauguratione adſtantibus Franciæ, & Lotharingiæ Regnorum Primatibus, & Epiſcopis, traditionem, uti a majoribus jampridem acceptam enunciavit. Sunt tamen quibus parum veriſimile ſit antiſtitem ipſum adeo omnem abjeciſſe pudorem, ut fabulam a ſe recens confictam, velut dignam ſacris annalibus & monumentis hiſtoriam in tam illuſtri omnium ordinum conſeſſu venditare, ac religioſis cæremoniis immiſcere voluerit. Verba capituli ab Hincmaro pronunciati apud Stephanum Balutium *tom.* 11. *capitular. pag.* 219. iſta ſunt: *Domnus A. Ludovicus pius Imperator, Auguſtus ex progenie A Ludovici Regis Francorum inclyti, per B. Remigii Francorum Apoſtoli Catholicam prædicationem cum integra gente converſi, & cum tribus Francorum millibus, exceptis parvulis, & mulieribus vigilia S. Paſchæ in Rhemenſi Metropoli baptizati, & cælitus ſumpto Chriſmate, unde adhuc habemus, perunčti, & in Regem ſacrati*: Ceterum alia Francorum argumenta pro ampullæ hujus cæleſti origine videſis apud Aimonium *lib.* 1. *de geſtis Francorum cap.* 16. *Nicolaum de Braja in Ludovico VIII. de S. Remigio*, alioſque memoratos paullo ante Scriptores.

VII. Dum aliud ex alio diſſeritur, diutius, fortaſſe, quam par ſit, in Regum Francorum unctione commoratus ſum; nec tamen eſt, cur pœniteat, quum nullus Rex alius ſolemniorem, ac celebriorem unctionem, quam Gallorum adhibuerit. Nec alter poſt ipſos

in

in Romani Patriciatus inauguratione, quamvis Regali, aut etiam Imperatoria dignitate præſtiterit, oleo ſacro eſt inunctus: quare non dubito quin alia ſuſcepti Patriciatus ſolemnia fuerint, Rituſque alius. Pipinus certe poſt Regiam unctionem alia Patriciatus eſt uſus; ut veluti Regali præſtantiæ Patriciatus dignitas deſignaretur æqualis. Diſtincti utriuſque actionis Ritus nos latent omnino. Incertum eſt etiam, an eiſdem prorſus cæremoniis alii deinceps Reges & Imperatores uſi fuerint. Illud certe ex antiquis Scriptoribus liquet, diverſam a Regia Patriciatus fuiſſe inaugurationem. Quod enim ad Imperatores pertinet Regiæ ſtirpis, in Patriciatu ſuſcipiendo Sacra unctione ſequiori ætate minime uſi ſunt. Henricus ſiquidem, licet non oleo Sacro, Rhemenſi ampulla tamen Sancti Martini Carnuti, in qua non impar oleum cæleſte ſervari ferunt, unctus fuit in Regem. Quum enim propter vim hoſtium, nec Rhemis coronari, nec ſacra ampulla potiri poſſet, S. Martini ampulla longa oblivione ſepulta, ex Monaſterio Marmonſtarienſi deducta eſt, cujus oleum haud minorem ei venerationem, & auctoritatem, quam cæteris Rhemenſe conciliavit. Sulpicius enim Severus, Fortunatus, & Paulinus in vita S. Martini, ac Theodorus Gothofredus in appendice Cæremonialis Francici pag. 705. Referunt Virum Sanctiſſimum, atque alterum Francorum Apoſtolum, quum per confragoſos ſcalæ gradus decidens multis vulneribus, ſauciatus fuiſſet, ab Angelo perunctum ſtatim convaluiſſe: quodque olei reliquum erat in eam ampullam condidiſſe. Quamobrem in ejuſmodi unctionis memoriam januæ, qua cuſtodia ampullæ clauditur, in Choro Eccleſiæ Marmonſtarienſis hi verſus inſcripti leguntur:

Angelus ampulla Martini ſaucia membra
Unxit: Id Henricus Maximus omen habet.

Id de ejus in Regem ſolemni inauguratione olei miracu-

loſi unctione peracta fertur; ſed quum Rex ipſe Patriciatum eſſet initurus, convocatis totius Italiæ Epiſcopis, generalique conventu Baſileæ habito, corona, ſeu circulo Patriciali Regio capiti impoſito, Romanorum Patricius appellatus eſt: quod paullo ante ex vetuſtis Monimentis proximo capite retulimus. Deinde Imperio reſtitutus a Clemente Pſeudo-Pontifice Romanorum Patricius benedicitur, ut totidem fere verbis tradit Matthæus Pariſienſis ad annum MLXXXIV. *Henricus tamen*, inquit, *in Imperio reſtitutus eſt, & a Papa Clemente benedicitur Patricius Romanorum*: Eam benedictionem a Leone III. jampridem Carolum ipſum poſtulaſſe, qua veluti in ea dignitate confirmabatur, colligere licet *Ex epiſtola* 84. Alcuini, in qua legitur: *Quatenus Apoſtolicæ ſanctitatis veſtræ divina donante gratia, Sanctorum advocatis precibus, me ubique Apoſtolica benedictio conſequatur*: Sed Imperatoribus ſolemne fuiſſe reor, quum Patriciatum ſuſciperent, præcipue hujus dignitatis ornari inſigniis in frequentiſſimo Epiſcoporum, & Procerum conventu, nimirum corona, & circulo Patriciali: quo ſumto ſuccedebat populi acclamatio, qua Patricius publicabatur. Profecto non Henricum dumtaxat Patriciatus coronam ſumſiſſe, ſed & Lotharium pari celebritate in Urbe S. Germani coram inſigni Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Virorumque Principum conventu, hujuſmodi accepiſſe circulum, conſtat ex antiquo auctore Chronici Monaſterii Caſſinenſis, cujus verba alibi recitavimus. Auctor ipſe Henricum item II. idipſum egiſſe memorat.

VIII. Deſignatam Patriciatus coronam Aureum circulum Willelmus Malmesburienſis appellat in *libro* 1. *de geſtis Anglorum pag.*167. *editionis Wechelianæ*, & Juſtus Fontaninus *in diſſertat. de corona ferrea cap.* 4. quæ quum in ſolemni inauguratione futuro Patricio capiti imponeretur præter Regiam ac Imperatoriam ſumebatur. Non enim

enim ſolum hoc aureo circulo circumdati Imperatores fuerunt, quando Patriciatum inibant; Pipinum quoque, Carolum, & Carolomannum una cum ſacra unctione, & impoſitione Patriciæ coronæ Patriciatum a Stephano III. accepiſſe narrat Mabillonius in ſupplem. rei diplom. *cap.* 9. *Stephanus II. Pipinum denuo in S. Dionyſii Baſilica, duoſque ejus filios Carolum, & Carolomannum coronavit, eoſque Patricios dixit*: Quin imo, & ipſum Carolum M. Romam adventum iterum ab Adriano I. Pontifice Maximo Patriciali diademate in capite ornatum fuiſſe, quo tempore univerſi populi acclamatione in Baſilica Principis Apoſtolorum Patricius dictus fuit, licet colligere ex Anonymo Salernitano *in Chronico c.*26. Is enim ſcribit: *Romam venit* (Carolus) *& ibidem introivit, & ab Adriano PP. in capite ejus, ut retro redeam pretioſa impoſita eſt corona*: Quam coronam in notis ad eumdem Vir Clariſs. Ludovicus Antonius Muratorius *tom.* 2. *p.* 2. *rer. Italic.* Patriciatus fuiſſe animadvertit. Corona Patriciatus memorati Caroli M. exprimitur in tabula, quam ex Gnoriſmate Pauli Petavii exhibuit Chifſletius in Anaſtaſii Childerici *cap.* 9. *pag.* 130. itemque Joannes Mabillonius *in annalibus Ordinis S. Benedicti tom.*2. *pag.* 40. *& in ſupplemento rei diplomaticæ recitato cap.* 9. Apud Leblancum in tractatu hiſtorico antiquorum Galliæ Regum numiſmatum, Leonis III. denarius exhibetur, in quo aureus Patriciatus circulus, quo Carolo M. caput cingitur gemmis ornatus inſpicitur, de quo Clariſs. Vignolius in libro cui titulus, *Antiquiores Romanorum Pontificum denarii in Leone III.* hæc habet: *Alius Leonis III. denarius habetur, in quo ipſe Carolus aureo circulo gemmis diſtincto ornatus, dextra manu enſem, ſiniſtra Urbis Romæ vexillum gerit, quæ ſcilicet Patriciatus inſignia ſunt*: Et Euerardus Otto *diſſert. jur. publ. & privat. diſſert.* 1. *cap.* 2. §. 8. *Circulus aureus*, inquit, *Patriciatus inſigne, quo Carolus M. coronatus cernitur*:

 Cir-

Circulus ipſe ab Regio, & Imperatorio diademate prorſus diverſus tempora, & frontem ſolummodo cingebat: undique patebat apertus, & ſupra ipſum circulum nihil in vertice circumpoſitum erat: ut videre licet in memorata tabula Gnoriſmatis Pauli Petavii, & denario relato a Vignolio. Nihil itaque ambigendum, quin inter Patricium circulum, Regiam, & Imperatoriam coronam diſcrimen interceſſerit: quemadmodum certum eſt, diverſam fuiſſe coronam Regiam, & Imperatoriam. Horum ſiquidem diadema erat clauſum: illorum apertum, quod auctor libri Cæremonialis Romani, qui Pio II. Pontifici Max. fuit a ſecretis *lib.* 1. *ſect.* 5. *cap. ultim.* docet his verbis: *Differt forma coronæ Imperialis ab aliis, nam ea ſub ſe tiaram quamdam habet in modum fere Epiſcopalis Mitræ; humiliorem tamen magis apertam, & minus acutam. Eſtque ejus apertura a fronte, non ab aure; & ſemicirculum habet per ipſam aperturam aureum, in cujus ſummitate crux parvula eminet: eam tiaram aliæ coronæ non habent.*

IX. At præter circulum aureum, alias quoque nobiliſſimas veſtes, Reges, & Imperatores induebant; aliaque præſtantiſſima Patriciatus ſumebant inſignia. Nimirum talarem amictum, chlamydem, longamque tunicam, & calceos auratos more Romanorum, ut videre licet apud laudatum Mabillonium in ſupplemento rei diplomat. *cap.* 9. ubi effigies Caroli M. ære inciſa producitur ex antiquo Codice, ex quo ipſam Paulus Petavius, & Chiffletius *in Anaſtaſii Childerici cap.* 9. exhibuerunt. Quam nos quoque ære inciſam ex memoratis Scriptoribus hic repræſentamus. Ibi media figura Carolum Magnum in Patricii habitu, excepto, quod annulus in dextro ejus indice minime apparet: duæ aliæ figuræ Primicerium, & ſecundicerium, uti Petavius ipſe explicavit, referunt. En porro ipſum ectypon ſequenti pagina exſcriptum.

Ea



Ea indumenta Carolus veluti peregrina induere reſpuit ; ſolumque Romæ ſemel Adriano Pontifice Max. petente , & iterum Leone III. poſtulante indutus fuit , teſte in ejus vita Eginardo : *Peregrina* , inquit , *indumenta reſpuiſſe , excepto , quod ſemel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore ejus ſupplicante , longa tunica , & chlamyde amictus , & calceis Romanorum more formatis induebatur* : Vexillum item , & enſem Romani Patriciatus inſignia fuiſſe compluries a nobis laudatus cenſet Vignolius; cujus verba, quod rem clariorem efficiant libet deſcribere : *Hic vero, ubi jam ei fuerant a Leone III. confirmata* (*Patriciatus dignitas*) *exprimitur , ut vexil-*

lum

Digitized by Google

lum ipſum, quod manibus geſtat, & gladius, quem pro Eccleſiæ defenſione nudatum elevat, ſatis oſtendunt. Enſem vero non minus, quam vexillum inſigne fuiſſe, his ita ex Chronicis Hugonis Flaviacen. demonſtratur in quo legitur: Non debere Regem, Imperatoris filium, qui ſine cauſa gladium portaret, qui Romanæ Reipublicæ Patricius, Tutor, & Defenſor eſſe deberet, tantam pati Eccleſiæ Dei conculcationem.

X. Iiſdem quoque indumentis Carolus Magnus pictus viſitur in Camera Lateranenſi Triclinii cujus picturæ tabulam ære inciſam nos quoque ſupra retulimus *cap.* 2. §. 6. Ut enim ibidem adnotaſſe meminimus, in ea Apoſtolorum Princeps ſolio inſidens, dextra ſtolam Leoni, Carolo vexillum ſiniſtra porrigit, ut defenſor Eccleſiæ factus, & Patricius ſuæ poſteritati indicaretur. Quare Petrus de Marca *De Concordia lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 4. *Leo III.*, inquit, *Pontifex, quo beneficii recens a Carolo accepti, monumentum aliquod poneret in Cameræ Palatii Lateranenſis Petrum Apoſtolum depingi curavit, Carolo Patriciatus inſignia & Leoni pallium Pontificium tradentem*: Sed idem Scriptor animadvertens hujuſmodi tabula Carolum Magnum nondum Imperatorem a Leone III. renunciatum, Patriciatum Romanorum ab ipſo confirmatum deſignari, ſibi parum conſtans, ultro progrediens limites defenſionis, & patrocinii per Patriciatum ſuſcepti perperam aſſerit ea pictura ſignificari: Patriciatum mutuo Leonis, & Caroli conſenſu verſum fuiſſe in Imperium, & Dominium Urbis. At id putum ipſius commentum eſt; quod infra ſuo loco rejicere conabimur. Hiſtoriam hujuſmodi per picturam ipſam expreſſam ad aliud figmenti genus detorquet Goldaſtus: quem eodem loco recitat Petrus de Marca. Cenſet ſiquidem eo monimento ſui commentitii Senatuſconſulti hiſtoriam deſignari, quod ſupra rejecimus, & ulterius infra validioribus rationum momentis refellemus, nempè jus electionis romani Pontificis

tificis

tificis & vexillum Patriciatus ab eo delatum Carolo. Miror autem Nicolaum Alemannum in citata *diſſertat. de Lateran. parietinis cap.* 11., ubi Goldaſti, aliorumque figmenta ex hujuſmodi tabulis perperam intellectis in vulgus ſparſa egregie confutavit, exiſtimaſſe ejus Triclinii picturas nonniſi poſtquam Carolus M. Imperator inauguratus fuit, abſolutas eſſe. Ut enim recte ac ſcite animadvertit Vignolius: *Titulus Regis, qui non ſemel eidem Carolo ibi tribuitur, quemque Alemannus non ſatis commode ad rem ſuam trahere nititur, omnino adverſatur.*

De Patriciatus Romanorum Munere, & Officio.

CAPUT VI.

SYNOPSIS.

I. *Patriciatus Romanorum munus, & finis.* II. *Græcorum Patriciatui a Nicolao Cuſano, & Dracone comparatus, a Guthero ſupra ipſum elatus.* III. *Horum opinio rejecta: Galliarum Reges petunt a Pontificibus Max. in filios adoptari.* IV. *Adoptio in filium antiquiſſima: Cur Carolus M. eam a Leone III. petierit?* V. *Romanorum Patriciatus munus habebat præſidiariæ tutelæ & defenſionis Eccleſiæ Romanæ: Carolus M. uti Patricius Summo Pontifici ſubjectus.* VI. *Petrus de Marca aſſerens duos inſolidum Romæ fuiſſe Patricios, nimirum Romanum Pontificem, & Carolum M. refutatur* VII. *Epiſtola* 85. *Codicis Carolini explicatur.* VIII. *Ratione advocationis, & defenſionis nihil Imperatores ab Eccleſia Romana conſequebantur.* *Federicus II. quid uti Advocatus ab ipſa depoſceret.* IX. *Franciſci Junii, & Meruſii aſſerentium Romanorum Patricios eoſdem, ac Reges Romanorum fuiſſe, & Goldaſti affirmantis Imperatoria*

riæ Majeſtati Patriciatum æqualem, errores caſtigati. X. *Pagii aſſerentis Patriciatum eumdem, ac Conſulatum fuiſſe, opinio confutata.* XI. *Carolus M. poſt aſſequutum imperium more Orientalium Imperatorum, Conſulatum iniit.*

I. Suſcepti inſtituti ratio poſtulat, ut explicata jam peculiari capite conditione Patriciatus Romanorum, quam ſupra in Eccleſiæ, Populique Romani advocatione, patrocinio, & defenſione poſitam fuiſſe comprobavimus, ad ea nunc illuſtranda progrediamur, quæ ejuſdem munera, & jura demonſtrant. Videndum itaque hoc loco erit, quid illi negotii dandum: & cui muneri conſtat ipſum fuiſſe præpoſitum. Protectoris ſane munus, ac finis eſt, ſalus, & communis Reipublicæ tranquillitas. Quin vero quum patrocinium, & advocatio ad humanam potiſſimum ſocietatem tuendam jure proprio, ac longe præcipuo ſpectet, neceſſe eſt, ut quæ tendunt ad communem utilitatem principaliori exequantur intuitu: *Protectitii juris*, inquit Martinus Magerus *de advoc. armata cap.* 10. *num.* 4. *itidem duo in conſideratione veniunt fines, principalis eſt ſalus, & communis Reipublicæ tranquillitas, quia conſtituta per advocatiam protectio, quæ ratione nititur, ad ſocietatis humanæ conſervationem, & communem utilitatem tendit*: Ex hoc præterea intelligi facile poteſt quid a Galliarum Regibus, & Imperatoribus in patrocinium Eccleſiæ, & Populi Romani fuerit impenſum, ſuſcepti, ac geſti ab ipſis Patriciatus cauſſa. Quamobrem Patriciorum munus & officium Nicolaus Alemanius *diſſertatione de Lateranen. parietinis cap.* 11. Eadem prorſus ſententia, nec diſpari verborum pondere aperit, ſcribens: *Hoc ſcilicet Caroli Patriciatus erat munus certum, proprium, ac univerſum Eccleſiæ Romanæ præſto eſſe, eidemque domi, foriſque pacem, tranquillitatemque publicam turbatam*

batam vindicare, vindicatamque tueri: Quum autem
ratione Patriciatus publicam utilitatem, & commune
bonum Patricius curare deberet, mirum videri nequit,
ſi certo, ut ita dicam, modo illis eſſet aliqua civilis ad-
miniſtratio, qua tuebantur Eccleſiam, Populumque
Romanum: quam Clariſs. Vignolius in *tract. de anti-
quior Romanor. Pontific. denariis in Leone III.* his ver-
bis deſignat, & exponit: *Carolus aureo circulo gemmis
diſtincto ornatus dextra manu enſem, ſiniſtra Urbis Ro-
mæ vexillum gerit, quæ ſunt Patriciatus inſignia, utpote
qui tutelam, & civilem quamdam ipſius Urbis, ejuſque
Ducatus adminiſtrationem, qua Summi Pontifices Roma-
norum Patricios gladii, & vexilli traditione inveſtire
ſoliti erant, præferebant.* Huc propterea ſpectat, quod
Hugo Flaviniacenſis in Chronico *pag.* 223. dixit: *Nimi-
rum, non debere Regem Imperatoris filium qui non ſine
cauſſa gladium portaret, qui Romanæ Reipublicæ Patri-
cius Tutor, & Defenſor eſſe deberet, tantam pati Eccle-* 4
ſiæ Dei conculcationem.

II. Semel itaque hujuſmodi perperam intellecto mu-
nere, facile Patriciatus hiſtoria putidiſſimis labefactatur
erroribus. Et quidem levia non ſunt, quæ nonnulli de
hac civili adminiſtratione fabulantur; nec defuere, qui
ultra commento progreſſi, Romano Patriciatui ſum-
mum Imperium, ſupremam juriſdictionem in Urbem,
Populumque Romanum, quinimo omne jus circa ſacra
& electionem Summi Pontificis tribuerint; ſed non poſ-
ſum hic primum non animadvertere eorumdem Scripto-
rum inconſtantiam, qui tantam, adeoque ſublimem expli-
caturi Patriciatus poteſtatem, vel cum antiquo illo Græ-
corum conferunt; aut illo longe majorem fingunt: ejuſ-
que poteſtatis, & juriſdictionis amplitudinem in Urbem,
Pontificii Imperii provincias, ipſamque Summi Ponti-
ficis majeſtatem, atque perſonam extollunt. Nec ullus
eſt, præſtantiæ, aut dignitatis titulus, ſive jus emi-

nens, quod proinde huic Patriciatui non adſcribant. Hæc, quoniam abſurdæ opinationis præcipui ſunt cardines, ac fundamenta, ut ſua veritas graviſſimæ conſtet hiſtoriæ, perſpicuis argumentis confutare conabimur, ut clarius inde pateat quid revera juris, eidemque quid falſi tributum. Aſſerunt itaque Romanum, Græcorum Patriciatui in omnibus fuiſſe quam ſimillimum, & ad ejus exemplum tum Patricii nomen, tum poteſtatem maximam habuiſſe. Ex quo duo ipſi colligunt, nimirum, ſicuti antiqui Patricii Patres dicebantur Imperatoris, ita & Patricius Romanorum Pater fuerit Romani Pontificis, præfueritque temporalibus: quorum proinde curam Pontifices Maximi omnino abjecerant. Ita cenſuit Radulphus de Columna in libro *de translat. Imper.* affirmavitque ſubinde Nicolaus Cuſanus de Concordia cathol. *lib.* 3. *cap.* 3. ubi hæc habet: *Et habebat Patricius, quia pater patriæ curam judicii temporalis, & præfuit in temporalibus, Papa ſe de ipſis minime intromittente. Imo Patricius ſecundum gloſſam antiquam in can. Adrianus* 63. *diſtin. Pater Papæ in temporalibus, ſicut Papa in ſpiritualibus ejus pater: Patricii dicti, quia ipſi, ut patres filiis Reipublicæ providebant:* Utriuſque ſententiæ adhæſit Draco de origin. & jur. *Patric. lib. altero cap.* 6. *num.* 9. ubi ſcribit: *At vero licet, ut modo dictum a Caroli temporibus titulus, & dignitas hæc in immenſum creverit, tamen ad imitationem noſtri Patriciatus, de quo hoc libro ſecundo egimus, in ceteris erat comparatus*. Alterum, quod non minus abſurde Scriptores colligunt, illud eſt, quod, ſicuti Græcorum Patricii, & Exarchæ, qui Præſidum, vel Præfectorum nomine Urbibus, vel Provinciis præponebantur, ita & Romanorum Patricii habuerint regimen Urbis; ſummamque ac ſupremam juriſdictionem in circumpoſitas etiam regiones eoſdem exercuiſſe, quod putarunt Freſnius *in Gloſſario*, *Mabillonius de re diplomat. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. & Eue-

& Euerardus Otto *diſſert.* 1. *juris publ. & privat. cap.* 1. §. 8. Majorem denique, ac ſublimiorem Romanorum Patriciis poteſtatem tribuens Gutherus de Officiis Domus Auguſtæ *lib.* 2. *cap.* 9. ait ipſos antiquis Patriciis præcelluiſſe, & præſtantiori jure fuiſſe potitos. Priſci ſiquidem Patritii, ut ipſe quidem cenſet, ab Imperatorum pendebant nutu, & arbitrio: non tamen Romanorum Patritii, cum quo noluiſſem ita quoque exiſtimaſſe Virum Clariſs. Cajetanum Cenni *in præfat. ad Chronologiam Cæſaream Pontific. tom.* 4. *Anaſtaſii Bibliothecarii n.* 43.

III. Verum enim vero; quoniam, quæ Summis Viris Principibus conceduntur, adulantium magis, & pſeudo-politicorum ornata fabulis, quam incorruptis rerum monumentis extolli plerumque ſolent; non dubito, quin ad id genus Scriptores, qui de ſumma Romani Patriciatus poteſtate tam magnifice ex ingenio, & arbitrio ſunt loquuti, ſint referendi: Quibus deinde facile alii ſubſcripſere, qui infenſi juribus Apoſtolicæ Sedis nihil potius ſtudere viſi ſunt, quam illa minuere, ſimulque exterorum Principum juriſdictionem augere. Ut eam igitur poteſtatem, quam ab Patriciatus etymologia incaſſo labore conantur eruere, adverſam, ac repugnantem ejuſdem Patriciatus interpretationi oſtendamus, animadvertere lubet, hujuſmodi Patris denominationem adeo alienam fuiſſe ab Caroli M. pietate, & religione, ut eodem tempore, iiſdemque precibus, quibus per Angilbertum a Leone Pontifice Maximo poſtulavit hujus Patriciatus confirmationem, flagitaverit etiam ab ipſo in filium adoptari: adeoque obſequentiſſimi filii pietatem, non patris auctoritatem Romano Pontifici profeſſus eſt, ut conſtat *ex ejus epiſtola* 84. apud Alcuinum. *Et paterna*, inquit, *pietate nos in filium ſibi adoptaret:* Hinc Princeps ipſe nunquam Patris, ſed Defenſoris, & Filii S. R. E. titulum, ac nomen uſurpavit, quemadmodum videre licet in ejus epiſtola ad Eliprandum ſcri-

pta, in qua legitur: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum Filius, & Defenſor S. Dei Eccleſiæ*: Si ergo Carolus uno, eodemque tempore petit Patriciatus confirmationem, & in filium adoptionem, dici profecto nequit Patriciatum illi tribuiſſe paternam ſupra Pontificem auctoritatem, quum invicem pugnet eadem de cauſſa filium eſſe, ac Patrem. Inquirens autem pro re nata Nicolaus Alemannus citatæ diſſertationis de *Lateran. parietinis cap.* 11. cur in filium adoptari a Leone III. Carolus M. poſtulaverit, nimirum a Sacerdote, & ſummo Sacrorum Antiſtite, cui ex præſcripto Canonum eſſe nequeunt natura liberi? id ad aliud non refert, quam Patriciatum: cujus confirmationem eodem tempore poſtulabat: *Liceat hic*, inquit, *penitius Caroli Patriciatum inſpicere, & ejus conditionem in lucem proferre*.

IV. At non modo a conditione Romani Patriciatus aliena eſt etymologia ab eo deducta, quod ſcilicet Patricius Romanorum Pater dictus fuerit Summi Pontificis, ſed perſpicuum etiam fit ex ipſa petitæ adoptionis cauſſa, ob quam mos erat antiquitus adoptandi ab præſtantiſſimis ſuprema majeſtate viris filios. Et quidem ea in filios adoptio fiebat tum a privatis hominibus, tum a Regibus, Provinciarumque Dominis, quando illi auxiliares viros bellica virtute præditos, & præclarorum gloria facinorum inſignes, filios pronunciabant, ut privatam familiam, vel publicam Regnorum, ac Provinciarum rem tuerentur, atque defenderent. Hujus Ritus exempla præter alios nobis exhibet Caſſiodorus *lib.* 4. *var. epiſt.* 2. *& lib.* 8. *epiſt.* 1. *&* 9. Morem ipſum ſequutus Stephanus Papa III. quum adverſus Longobardorum tyrannidem a Pipino Francorum Rege auxilium poſtularet, non ſolum Patricium renunciavit, ſed etiam filium ſuum adoptivum compluries appellavit in litteris, quas recitat Baronius ad annum DCCLV. quo illum nomine inſi-

inſignivit & Paulus I. Pontifex Max. *epiſt.* 10. in poſtrema editione Conciliorum *&* 22. *in Codice Carolino ad Gentem Francorum miſſa* : Itaque cum adoptari filius (addit recitato loco Alemannus) *a Leone Carolus petit*, *rem petit minime novam*, *vel ejus ætatis morem*, *vel Pipini Parentis exemplum animadvertimus* : Profecto ſi Patricius Carolus renunciatus fuit a Summo Pontifice ob auxilium, eidem petitum, & ab eodem præſtandum adverſus Longobardorum arma; Atque ut petitam opem jure præſtare poſſet Romanæ Eccleſiæ, in Patriciatus confirmatione, poſtulat & adoptionem in filium, dici jure nequit, Principem ipſum velut Eccleſiæ defenſorem fuiſſe Pontificis Maximi Patrem, ac filium, opemque ipſam, & auxilium revera impendiſſe jure omnino diverſo, veluti Patrem nimirum, ac filium.

V. Nulla certe cum Cæſarianis Patriciis antiquis aut ſimilitudo, aut par muneris ratio fuit Patriciatui Romanorum, qui dignitatem conſtituebat longe diverſam, atque ut Alemanni verbis utar: *Omnes illam Caroli dignitatem*, *quaſi alio cælo natam circumſpiciunt*, *& alba*, *an atra ſit*, *edicere non ſatis queunt* : Porro titulus ipſe, qui tribui antiquitus ab eiſdem Imperatoribus ſolebat iis, qui Eccleſiarum Defenſores eligebantur, atque eamdem ob cauſſam Galliarum Regibus, & Imperatoribus fuit conceſſus, non aliud quidem oſtendit, quam illam ipſam præſidiariam tutelam, & defenſionem per Patriciatum ſuſceptam, quæque ſolummodo iis tributa fuit a Pontificibus Maximis. Scite propterea eodem loco Alemannus advertit: *Romæ*, *ac in Pontificum ditione univerſa*, *non illa Carolo*, *quæ Cæſarianis Patriciis ſumma rerum poteſtas prætoria fuit*, *ſed tutelaris tantum*, *ac*, *ut ita dicam*, *præſidiaria*. Id certe non obſcure colligitur ex præcipua Adriani P. Legatione, quam miſerat ad Carolum Magnum pro obtinendo auxilio adverſus Deſiderium Longobardorum Regem, de qua mentionem

tionem faciunt Annales Metenſes ad annum dccxxiii. & Ducangius in gloſſario verbo *Patricius*. Poſtulabat enim Summus Pontifex, ut Carolus ad Eccleſiam, Populumque Romanum defendendum quamcitius feſtinaret, cauſamque illi aperiens petitæ defenſionis, memorat ipſum eſſe legitimum Eccleſiæ defenſorem, quia a Predeceſſore ſuo Stephano III. Patricius Romanorum creatus fuit. Adeoque ipſum oportere celerius ratione Patriciatus feſtinare ad defendendam Eccleſiam, populumque Romanum: *Ibi venit* (inquit laudatus Annaliſta) *ad eum miſſus D. Adriani Papæ nomine Petrus obnixe poſtulans, ut ad defendendam Eccleſiam Romanam feſtinaret, & ut Populum Romanum de manibus ſuperbi Regis Deſiderii liberaret: adjungens, quod ipſe legitimus tutor, & defenſor eſſet ipſius Eccleſiæ quoniam illum Prædeceſſor ſuus ſa. mem. Stephanus Papa unctione ſacra liniens in Regem & Patricium Romanorum ordinavit*: Non minus autem pro explendo hujuſmodi tutelæ officio pro Eccleſia, & Populo Romano, quam, ut frui, & nomine, & titulo Patriciatus poſſet, a nutu, & imperio pendebat Romani Pontificis; quod magis, magiſque illuſtratur ex Adriani Papæ I. epiſtola de cultu ſacrarum Imaginum, recitata a Baronio ad annum DCCLXXXV., in qua legitur: *Eritis in triumphis victores, ſicuti filius, & ſpiritualis compater noſter Dominus Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum noſtris obtemperans meritis, atque adimplens in omnibus voluntates*: Hæc equidem verba perſpicuum faciunt, quam longe a vero indicati Scriptores cenſuerint abſolutam in Carolo M. uti Pontificis patre poteſtatem fuiſſe, nulla Pontifici relicta parte. Ipſemet Carolus agnovit, faſſuſque eſt hujuſmodi filialem Romano Pontifici ab ſe debitam obedientiam cum fide, & obſequio; quando ut Eccleſiam Romanam ab Longobardorum injuriis, & hoſtium juſto titulo tueri poſſet tanquam Romanorum Patricius, & Ec-

Eccleſiæ Defenſor, a Leone III. dignitatis ſuæ confirmationem popoſcit; quod jampridem animadverterat memoratus Alemannus, ſcripſitque: *Ut eam clientelam, quam ſolum Patriciatus nomine contineri demonſtravimus ab Adriano Primo conceſſam, ſibi* (Carolus) *Leonem III. ſucceſſorem rogaret, ut ratam, firmamque eſſe ſibi nihilominus vellet, quod illam ſciret a Romani Pontificis nutu pendere, & pro ejus arbitrio æque ſibi, Regibuſque Francorum, atque cuilibet Chriſtianorum Principum committi poſſe, prout quiſque rebus Eccleſiæ Romanæ, vel bono Religionis publico ſtudere maxime videretur.*

VI. Singulare profecto eſt, quod in exploſæ opinionis ſubſidium excogitavit Petrus de Marca *De Concordia lib. 3. cap. 11. num. 6.*, nec a quoquam ante ipſum obſervatum comperio: nimirum quum Pipinus Sedi Apoſtolicæ Exarchatum largitus eſt, ejus non ſolum donaſſe Urbes, atque Provincias, ſed ipſam quoque Patriciatus dignitatem contuliſſe Romano Pontifici, qua Exarchi in Italia præſides decorabantur. Hinc quemadmodum ipſa Patriciatus dignitas ſummum in Exarchatus Provinciam, Imperium, ac juriſdictionem ferebat, ita non abſimilem tuliſſe auctoritatem, ac poteſtatem Patriciatum Romanorum a Summo Pontifice Pipino, & ejus filiis tributum. Sic invicem collatis Patriciatus muneribus, duo inſolidum Romæ fuiſſe Patricios, nimirum Pontificem Max. & Pipinum. Quare utriuſque Patriciatus jura miſcens, atque confundens: *Ejus generis*, ait, *fuit Patriciatus uterque Romani Pontificis, & Regum Francorum*: Et paullo poſt, novam prorſus opinionem aperiens addit: *Pipinus non ſolum Provincias Ravennæ ſubjectas, ſed etiam omnem Exarchatus dignitatem, & Imperium Romanæ Sedi contulit, quod Romanæ quoque Civitatis adminiſtrationem complectebatur, quæ ſummæ juriſdictioni Exarchatus parebat. Pipinus quoque Patriciatum Romanum ſuſcepit, ideſt conſortium Romani Imperii*

perii in Romana Urbe, quod in hac calamitate Romani liberum ſibi eſſe putarunt propter neceſſitatem defenſionis ſine injuria Conſtantinopolitanorum; itaque duobus inſolidum Patriciis exinde Roma paruit: Non equidem diffiteor translatum in Romanum Pontificem Patriciatum cum donatione Provinciarum, ac Urbium Exarchatus Ravennæ, quod patet ex Adriani *Epiſtola* 85. *Codicis Carolini* ab eodem Petro de Marca recitata. At ſi verum ingenue fateri velimus ejus verba non ſolum, non evincunt communionem inſolidum Patriciatus, quod nempe duobus ſimul Patriciis Roma paruerit, verum rem ipſam prorſus contrariam oſtendunt. Et primum quidem animadvertimus diſcrimen, quod inter collatum a Pipino Romano Pontifici Patriciatum per deſignatam donationem intercedit, ac Patriciatum Romanorum. Ipſe ſiquidem Exarchatus, ſeu Patriciatus, uti præfectura multarum Civitatum ſecum ferebat illarum regimen, ac ſummam juriſdictionem, quæ ipſimet Patriciatui erat annexa, ac, ut ita dicam, individua. Quocirca a Pipino Apoſtolicæ Sedi donatus non manſit ab ea juriſdictione ſeparatus, ſed ſimul cum Patriciatu Exarchatus Imperium, & Juriſdictionem contulit. Hoc profecto dici nequit de Romanorum Patriciatu, quo ſicuti nullum ante Galliarum Reges ornatum fuiſſe ſuperiori libro probavimus, ita poſt Romanos Imperatores exactos nullo unquam tempore potuit cuiquam eſſe aliqua in Urbe juriſdictio, aut ſummum imperium, ſive dominium, aut demum præfectura; veluti adverſus complures ſcriptores talia proferentes potiſſimum animadvertit Vir Clariſs. Cajetanus Cenni *in præfat. ad Chronologiam Cæſaream Pontificiam tom.* 4. *Anaſtaſii Bibliothecarii n.* 43. Quod utinam accuratius obſervaſſet, antequam ultro proſecutus fuiſſet; quod multo major dignitas Pontificiorum, quam Imperialium Patriciorum fuerit. Atque hoc inter utrumque Patriciatum patefacto diſcrimine,

mine, prorſus corruit & evaneſcit inanis utriuſque ſimilitudo a Petro de Marca conficta.

VII. Profecto adeo perſpicue patet deſignatum a nobis diſcrimen ex recitata epiſtola Adriani Papæ, ut mirari ſatis non poſſim Petrum de Marca in alium ſenſum detorſiſſe. Pontifex enim a Carolo Magno poſtulabat, ne Ravennates, & Pentapolenſes ad ipſum commeantes ſine Pontificiis literis exciperet, & ſi qua de re conquererentur, ad judicium Romanæ Sedis eos remitteret, ut integer, & illibatus maneret Patriciatus a Pipino eidem ſedi collatus. Ejus verba notatu digna ſunt ſequentia: *Quæſumus veſtram Regalem potentiam nullam novitatem in holocauſtum, quod B. Petro ſanctæ recordationis Genitor veſter, obtulit, & veſtra excellentia amplius confirmavit, imponere ſatagat: quia ut fati eſtis, honor Patriciatus veſtri a nobis irrefragabiliter conſervatur, ſimili modo ipſe Patriciatus B. Petri fautoris veſtri tam a ſanctæ recordationis Dño Pipino Magno Rege Genitore veſtro in ſcriptis in integrum conceſſus, a vobis amplius confirmatus irrefragabili jure permaneat*: Ex his ſatis clare liquet ab Adriano Carolum admonitum, ne Romanæ Eccleſiæ ditioni ſubjectos homines abſque Pontificis litteris exciperet, neque quidquam oneris imponeret bonis B. Petro oblatis: ſi itaque inſolidum Patriciatus ſocietas Carolo M. & Pipino conlata, eadem jurifdictio, & imperium, utrique fuiſſet in Exarchatus Provincias, queſtus non eſſet Adrianus cum Carolo Magno, nec petiiſſet, ut homines ad ipſum confugientes judicio Sedis Apoſtolicæ reſtitueret. Id nimirum ſibi vendicabat Pontifex jure Patriciatus ſibi a Pipino patre collati: & ingeſta mentione Patriciatus Caroli, hæc addit verba omnino notanda: *Quia, ut fati eſtis honor Patriciatus veſtri a nobis irrefragabiliter conſervatur, & pluſquam honorifice honoratur, ſimili modo ipſe Patriciatus B. Petri*: Si ergo Caroli Patriciatus illibate ſervatur, eximioque

 ho-

honore cumulatur, non obſtante, quod Pontifex ab eo repetit homines ad ipſum confugientes, dicendum quidem erit, illi non contuliſſe aliquam in Urbem juriſdictionem, & una cum Pontifice gerendam poteſtatem. Enimvero data ea Patriciatus inſolidum ſocietate, prædicti homines jure ad Carolum uti Patricium equæ ac Pontificem confugiſſent, nec jure Adrianus ab eo poſtulaſſet, ut Sedi Apoſtolicæ illos remitteret: fuiſſet enim præventioni locus, parique in eos jure uterque potiti eſſent, eademque poteſtate. Verum tota hæc erat Pontifici poſt Exarchatus donationem, ejus Provinciarum ſupremo Domino effecto poteſtas; nullumque ob id Carolus jus in illas habebat. Quare egregie ad rem faciunt reliqua Pontificis verba in memorata epiſtola, prætermiſſa a Petro de Marca: *Vos ſimili modo quicunque ex noſtris hominibus ad vos venerint, eos omnino obteſtari, atque commonere veſtram regalem prudentiam quæſumus; ut ſicut genitor veſter ſanctæ recordationis Domnus Pipinus Magnus Rex B. Petro, ejuſque Vicario conceſſit, & veſtra demum excellentia amplius confirmavit, ſic admonere, atque obteſtari jubeamini, ut nullo modo audeant ſe in ſuperbiam elationis efferre, quando ad vos properaverunt, ſed potius ſubjecti, atque humiles in ſervitio B. Petri, & noſtræ præceptionis maneant ſubjecti.*

VIII. Non itaque par fuit Patriciatui Romanorum poteſtas illi, quam vel Patricius Exarcha, vel antiquus Græcorum habebat. Sed nec eodem advocationis, & protectionis genere conveniebat: ea enim priſcis Patriciis particularium Eccleſiarum advocatis amplior erat, ac longe, multumque nobilior. Iſti ſiquidem certa quotannis ob patrocinii munus exercitum, conſequebantur ſtipendia, quibus omnino carebat advocatio, & protectio Eccleſiæ Romanæ ab ipſis Imperatoribus ſuſcepta. Nullum enim ſtipendium, ſeu, ut vocant *ſervitium*, ob id illis decernebatur; tanta enim vero eſt, fuitque ſemper ha-

habita Apoſtolicæ Sedis, Romanæque Eccleſiæ dignitas & amplitudo, ut religioſiſſimi Cæſares idemmet patrocinium ab ſe ſuſceptum, famulatumque Romanæ Eccleſiæ, & B. Petro noviter impenſum, honorem maximum ducerent, miniſteriumque ampliſſimæ mercedis loco haberent, & præmii. Federicus II. infenſus Eccleſiæ hoſtis in epiſtola ſcripta ad univerſos Chriſtiani Orbis Viros Principes anno MCCLIV. quæ ſervatur in archivo Adrianæ molis, & in Codice Bibliothecæ Vaticanæ *num.* 4957. *fol.* 19. prætenſa imperii jura exponens, quæ Auguſtæ dignitatis nomine in univerſæ Eccleſiæ Romanæ ditionem ſibi competere jactabat uti Advocato, & Defenſori, ſe cum aliis Germaniæ Principibus Eccleſiarum advocatis comparavit, & ſibi a Romana concedi poſtulabat Eccleſia, quod illi a Germaniæ Eccleſiis exigebant: *Volumus*, inquit, *etiam declarari, & ſpecificari jura noſtra, quæ habemus, & habemus in Marchia, Ducatu, & alia Terra, quam Eccleſia tenet, videlicet de cabalcata, & parlamento, mercato, & procuratione, quæ nos tanquam Advocati Patroni, & Defenſores Eccleſiæ habere debemus de terra prædicta*: Et inferius ſubdit: *Super declaratione facienda ſuper jure, quod habemus in terra Eccleſiæ petivimus expreſſe apponi de exercitu, parlamento, cabalcata, fodro, procuratione, aut ſi prædicta expreſſim deſignare noluerint, contenti ſumus, quod ſerventur nobis ea omnia, quæ Principes Imperii habent in terris Eccleſiarum, quarum ipſi ſunt Advocati*: Nunquam certe Summi Pontifices de advocatione cum Imperatoribus pepigerunt, nec paſſi ſunt unquam, ut quæ Federicus petebat, præberentur: quin viribus totis iniquo conatui reſtiterunt, pœnis etiam irrogatis longe graviſſimis; cujuſmodi fuere ejectio ab Eccleſia & privatio Imperii. Injuſta ſiquidem erant ejuſdem Principis poſtulata, & Apoſtolicæ Sedi non minus injurioſa, quam gravia. Nam in privilegiis, & formula Sacramenti, quod coronationis ſuæ

tempore Imperatores edere conſueverunt, nil ſibi conceſſum, aut reſervatum fuerat, præterquam *Procurationes*, *ſeu Fodrum* Summi Pontificis mandato, non auctoritate propria; & tunc tantummodo colligendum quum Imperii coronam accepturi vel pro Eccleſiæ neceſſitatibus a Summis Pontificibus vocati Romam accederent. Quod ſi ex advocatione, ſeu Patriciatu Romanorum decesſoribus ſuis jampridem conceſſo id ſibi Federicus noviſſet competere, ad ſe pariter uti Advocatum illam ſibi delatam ſupremam, ac paternam poteſtatem in Pontificis perſonam, Urbis, & Ducatus Romani Oppida, atque Provincias non reticuiſſet, nec illa dumtaxat advocationis jura deſignaſſet, quæ ab Eccleſiis Germaniæ Imperii Principes tanquam earumdem advocati, & defenſores ſolebant exigere.

IX. Atque hinc multo minus Patriciatus iſte Romanorum ſignificationem, ac poteſtatem majorem habebat, ac ampliorem, quam habuerit antiquus Græcorum. Certe Franciſcus Junius de translatione Imperii contra Bellam, & Meurſius in gloſſario, verbo *Patricius* plus æquo dignitatem extollunt, quum ſcribunt, Romanorum Patricios eoſdem, ac Reges Romanorum fuiſſe. Goldaſtus autem celebriori amplitudine, & majeſtate, eoſdem commendat, quando in Apologia adverſus Gretſerum Caroli Magni Patriciatum Imperatoriæ majeſtati exæquare non dubitat. Erratum Meurſii jure, meritoque reprehendit Jacobus Gretſerus *lib. 3. obſervationum ad Georgium Codinum Curopalatam de Officiis & Official. &c. cap. 17. fol.* 170., qui non tantum erroris eumdem arguit, quod Romanorum Patriciis Regiam majeſtatem tribuerit, ſed etiam, quod ipſos Patricios Occidentales vocaverit, quorum nullum ante Galliarum Reges fuiſſe ſuperiori libro, & paullo ante notavimus *Meurſius*, inquit, *in gloſſario, Patricios nimis extollit. Nam Occidentalibus Patricios dicit Romanorum fuiſſe, qui nunc* *Re-*

Reges Romanorum appellantur; *quis neget hoc a vero nimis remotum eſſe. Primus enim Carolus M. & alii nominabantur Patricii Romanorum, an ideo Reges Romanorum vel erant, vel habebantur? At Carolus M. poſtquam Romanorum Imperator creatus, & palam promulgatus eſt, deſiit appellari Patricius, quid tum? an ideo cum eſſet Patricius, Rex Romanorum erat? ſiquis exteræ nationis Patricius Venetus, crearetur Dux Venetus; Patricii nomen utique omitteret. An ideo antea Rex Venetiarum fuiſſet?* Gretſerum ſecutus eſt etiam Ducangius in gloſſario *verbo Patricius*, qui iiſdem rationum momentis Meurſium refellit, & rejicit, quem Euerardus quoque Otto *jur. publ. & privat. diſſert.* 1. *cap.* 2. §. 8. Erraſſe docet. Alios paribus fere laborantes erroribus Scriptores merito refellit Alemannus *in diſſertationis de Lateranen. parietinis cap.* 11. ſcribens: *Tantum abeſt, ut Franciſci Junii de translat. Imper. contra Bellam, & aliorum vera ſit ſententia, qui Romanorum Patricium, Dominum, ſeu Regem fuiſſe Romanorum commenti ſunt, vel Goldaſtus in apologia adverſus Gretſerum, qui Caroli Patriciatum Imperatoriæ majeſtati exequavit: nam de noſtris taceo, qui non tam Caroli Patriciatus propria, quam Patriciorum ordinis communia in medium proferunt.*

X. Tantam vero, tamque ſublimem juriſdictionem, & auctoritatem non parum illi imminuunt, qui Romanorum Patriciatum, eumdem fuiſſe cenſent, ac Conſulatum. Conſulatus ſiquidem dignitas juriſdictione carebat, eratque ſine labore honor. Propterea ſi ſecundum nonnullorum ſententiam, non alia, quam Conſulatus erat hujus Patriciatus conditio, Patriciatum Romanorum purum, atque nudum honoris titulum omni juriſdictione deſtitutum fuiſſe, affirmare neceſſe eſt. Nos autem, qui veritatem amamus, id etiam genus commenta refellimus. Hujuſmodi errori viam omnium primus patefecit Antonius

tonius Pagius, in Critica ad Annales *Cardin. Baronii tom.* 2. agens de Clodovei Patriciatu; idem *tom.* 3. ad annum DCCXL. *num.* 5. repetit de hujuſmodi Romanorum Patriciatu. Pagio mox adhæſit Euerardus Otto *juris publ. & privat. diſſert.* 9. *part.* 1. Quæ de utriuſque dignitatis diſcrimine ſuperiori libro protulimus, ubi Clodovei quoque Patriciatum expendimus, falſumque Pagii aſſertum evicimus, ſupervacaneum putamus hic rurſus deſcribere: Utramque ſiquidem dignitatem, ſicuti nomine, itam etiam re ipſa, & conditione differre, validis fulti momentis oſtendimus. Sed, ut idem modo argumentum pertractemus, novoque conatu contra ſentientium Scriptorum convellamus fundamenta, memorati Otto, & Pagius nos cogunt. Horum enim primus animadvertit in verſibus præfixis antiquo Euangeliorum Codici apud Ducheſnium *tom.* 1. *pag.* 189. *Carolum M. appellari Conſulem*:

Tempore vernali tranſcenſis alpibus ipſis
Urbem Romuleam voluit quoque viſere Conſul.

Sed paullo poſt idem Otto Conſulatum ſeorſim a Patriciatu nominans, diverſam utramque dignitatem intelligit: præter Conſulatum enim Patriciatu quoque auctum fuiſſe Carolum, ſcribit: quod certe non prodidiſſet ſcriptor, ſi nullum inter utramque dignitatem diſcrimen intercesſiſſet. Pagius autem nullo ſolido fultus teſtimonio ad fidem ſuæ opinioni conciliandam, docet Conſulatui fuiſſe annexam Eccleſiæ Romanæ advocationem, & patrocinium. Sed hoc munus erat Patriciatui, non Conſulatui conjunctum. Quapropter Francorum Reges Patricii, non Conſules appellati fuerunt.

XI. At vero prodens Pagius Carolum M. Conſulatum iniviſſe, poſtquam Imperator renunciatus fuit, utriuſque muneris, & dignitatis diſcrimen ipſamet narratione ſua ſatis ſuperque perſpicuum manifeſtat. Id enim perinde eſt, ac palam facere Carolum Magnum ante

ante aditum Imperium Conſulem non fuiſſe. Et quidem ſi eadem fuiſſet Patriciatus dignitas, ac Conſulatus, Imperator factus *Patricii* titulum minime omiſiſſet, nec conſulatum ſumſiſſet. Id etiam fiet clarius, ſi animadvertamus Carolum Magnum Conſulatum ſumſiſſe more Orientalium Imperatorum. Huic enim Conſulatui tribui nullo modo poteſt eadem qualitas Patriciatus: nam erat omnino a Romano Patriciatu diverſus. Mos ſiquidem erat Imperatoribus Orientis conſulatum, non Patriciatum ſuſcipere, ut recte animadvertit Gutherus *De Offic. Domus auguſt. lib.* 2. *cap.* 19. ex Juniore Plinio ſcribens: *Conſulatum enim Princeps, Præfectum prætorio Magiſterium aut Patriciatum non gerit*: More Orientalium Imperatorum Conſulatu per Carolum ſuſcepto, ejus titulo inſcriptus occurrit, quo ante Imperium nunquam uſus eſt. Unde idem Pagius tum loco recitato, tum in *diſſert. hypatica conſulari cap.* 4. *part.* 3. illum iniviſſe aſſerit, reſtituto Imperio Occidentali auctoritate Leonis III. Pontificis Max. die Chriſti Natalitio anno octingenteſimo. Quare ut oſtenderet Carolus eadem ſe, qua Orientales Imperatores dignitate potiri, totiuſque imperii auctoritatem in ſe translatam, iiſdem porro quibus illi, uſus eſt titulis; aſſumto etiam Conſulatus nomine, quod Imperatores Græcorum ſibi potiſſime uſurparunt. Ea de cauſſa, relicto ut vidimus, Patricii titulo, qui cum auguſtæ majeſtatis titulis, & juribus prærogativis Orientalium Imperatorum more ſuſcipiendis minime congruebat nomen ſibi Conſulis præfixit. *Ex Sigonio lib.* 4. *de Regno Italiæ* Baronius ad annum DCCCI. *num.* 9., & ex eiſdem Pagius in diſſert. hypatica conſulari refert exordium legis ab eodem Carolo, ipſo anno latæ; in qua legitur: *Anno ab incarnatione D. N. Jeſu Chriſti DCCCI. Indictione nona anno Regni noſtri in Francia XXXIII. in Italia XXVIII. Conſulatus autem noſtri I.*

De

De Urbis, ac Pontificiarum Provinciarum ditione, atque dominio Romanorum Patriciatui falſo attributo.

CAPUT VII.

SYNOPSIS.

I. *Lupoldus, Cuſanus, Lelman, Draco, Petrus de Marca, & Pagius, aſſerentes Romanorum Patricium Urbis fuiſſe Dominum, ac Principem confutantur.* II. *Advocatio, & protectio in rem ipſam ſimul, cum juriſdictione, ac dominio exerceri nequit.* III. *Melchiorris Goldaſti, & Draconis diſtinctio de Urbis dominio, & defenſione Eccleſiæ Romanæ rejecta.* IV. *Paullus Pontifex Pipinum, & Gentem Francorum commendat, qui ad præſtandam fidem, ac obedientiam Pontifici Max. Romanos coegit.* V. *Stephanus III. Pipinum, & Adrianus Carolum compluries admonent, ut Civitates, quas ipſi B. Petro obtulerant, quam citius tradi jubeant.* VI. *Ex Pontificiis Provinciis nonnulli ad Carolum M. confugientes ab Adriano Papa I. repetuntur; iidem ex Pontificis voto a Carolo reſtituti.* VII. *In Urbibus Sedi Apoſtolicæ a Pipino donatis, nulla eidem uti Patricio remanſit juriſdictio, neque dominium.* VIII. *Cointii, Petri de Marca, ac Euerardi Ottonis affirmantium Carolum M. cum Leone III. pactum iniiſſe de Urbis dominio errores caſtigati.* IX. *A Carolo M. tanquam Romanæ Eccleſiæ Advocato, & Cuſtode Leo III. Legatos petit ad compeſcendos Romanos.* X. *Eidem Legati a Carolo miſſi, ut celerem tutelam ac defenſionem præſtaret.* XI. *Carolus M. uti Patricius Romanam Eccleſiam tuetur, ejuſque tutelam, & defenſionem filiis ſuis in Regni partitione præcipue commendavit.*

I. Su-

Digitized by Google

I. Superiori capite complurium recentium Scriptorum fundamenta convulſimus, quibus, ut dominium, vel ſummum in Urbem, ac Provincias Pontificiæ ditionis Imperium, Romano Patriciatui tribuant, parem Græcorum, vel Exarchatus Patriciatui aſſerunt, nec diſſimilem illi juriſdictionem conſtituunt. Earum dignitatum, quamvis vocabulo, & nomine inter ſe ſimilium non obſcurum diſcrimen attulimus, multaque pro re nata notavimus, quæ parum rectam contra ſentientium opinionem facile evincunt: Quo tamen res fiat clarior, validioribus tum hiſtoriæ, tum rationum momentis eorum aſſerta rejiciemus, quibus Romanorum Patriciatui non modo Urbis, ſed & Pontificiarum Provinciarum ditionem, & principatum adſcribunt. E ſcriptoribus, qui id prodiderunt Nicolaus Cuſanus cum primis habetur. Is *in lib.3. de concordant. Catholic. lib.3. cap.3.* temporalium rerum curam adeo propriam Romanorum Patricium habuiſſe affirmat: *Ut ipſe præfuerit*, inquit, *in temporalibus, Papa de ipſis ſe minime intromittente*: Lupoldus *de Baben. de jure Regni, & Imperii cap. 4. &* Chriſtophorus *Lelman. in Chronic. Spiren. lib. 3. cap.24.* idem tradiderunt; & ut alios Minoris ordinis auctores prætermittam, eos ſequutus Joannes Jacobus Draco *de origin. & jure Patric. lib. 2. cap. 5. num.* 10. ita ſcribit: *Patricius ergo Romæ circa, & poſt hæc tempora nihil aliud erat, quam Princeps, & Dominator Urbis.* Pagius item ad an. DCCXL. *n. 6.* una cum Petro de Marca *l.1. de Concordia c.12.* arbitratur duo Romanorum Patriciatum fuiſſe complexum, nimirum juriſdictionem, qua Reges Francorum in Urbem & Ducatum Romanum ex conſenſu Pontificis,& Populi Romani potiebantur; & protectionem, ſeu defenſionem, quam Romanæ Eccleſiæ polliciti erant: Nollem autem hanc opinionem excepiſſe ſine ullo delectu Vir. Cl. Cajetanum Cenni *in præf.ad Chron.Caſ.Pontif. n.43.t.4. Anaſtaſ.Biblioth.* ratum laudatos Scriptores ſcite, ac erudite

dite Romanorum Patriciatum eum in ſenſum explicaſſe. Porro ut magis magiſque pateant, hujuſmodi vana Scriptorum commenta, memoraſſe juvat cauſſam conlati Patriciatus, quæ aperte oſtendit Galliæ Regibus tributam tantum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ advocationem, & patrocinium; nullum autem in Urbem, & Populum Romanum Imperium, aut Principatum. Non enim ſolum in cauſſa fuerunt Longobardorum arma, quibus Italia, & Urbs vexabatur, ut Gregorius III. omnium Summorum Pontificum primus auxilium a Carolo Martello depoſceret, eumque Romanorum Patricium renunciaret; verum etiam quoniam jampridem ab ætate Gregorii II. Pontific. Max. Itali populi Leonis Græcorum Imperatoris deſtituti auxiliis a Longobardis opprimebantur: Quorum vim repulſuri ubique fere in Italia Duces ſibi deligebant, ut teſtatur Anaſtaſius Bibliothecar. *in vita Gregorii II.* Veritus proinde Gregorius, ne ſubjectorum ſibi populorum timor in apertam rebellionem erumperet, aliumque deligerent Principem; opem, & auxilium a Carolo Martello poſtulavit. Antonius Pagius in Critica ad annal. Cardin. Baronii ad annum DCCXL. *num.* 8. *Hic Pontifex*, inquit, *interceſſit, ne in apertam defectionem erumperent, & novum Principem crearent; illis itaque difficillimis temporibus Carolus Martellus Patricius Romanorum, & Defenſor Eccleſiæ dictus eſt*: Nil autem magis inveriſimile videtur, quam eo tempore, quo Gregorius III. ſolicitus erat, ne adverſus ipſum ab Italis populis novus Princeps crearetur, ipſum velle Urbis Principatum tribuere Carolo Martello collatione Patriciatus. Petiit namque adverſus eoſdem, & Longobardos Urbem, & Italiam infeſtis armis vaſtantes opem, & auxilium, & in præmium impenſæ defenſionis Eccleſiæ Principi, ac Summo Pontifici eum honorifico Patricii titulo exornavit, quo Protector, & Advocatus non Princeps, aut Dominus indicabatur.

II. Adeo

II. Adeo itaque perſpicuum eſt, non alia quam recenſita de cauſſa per Patriciatum a Carolo Martello, Pipino item, & ejus filiis ſuſceptum fuiſſe hujuſmodi patrocinium pro Eccleſia, & Populo Romano, ut ipſi quoque Scriptores negare non audeant: Aſſerunt tamen eidem advocationi Urbis, ac provinciarum Principatum, atque Dominium fuiſſe additum. Nil tamen magis invicem adverſari videtur, quam ſuprema juriſdictio, & patrocinium in rem ipſam ſimul exerceri poſſe. Nec enim Dominus, in rem ſuam, qua libere utitur, impendere patrocinium dicitur, nec advocatio jus aliquod ditionis, Imperii, aut Dominii tribuit. Sunt ſub patrocinio, non ſub ditione, ajebat Sylla apud Appianum Mithreum *pag.* 272. In parte, non in ditione, inquit Livius *lib.* 22. & Cicero *cap.* 8. *Officiorum* ſanctiora illa Romanorum tempora deſcribens *Patrocinium ſeniorum*, ait, *penes eos fuiſſe*, *non imperium*: Satis item illuſtre eſt Scipionis Africani majoris dictum apud Livium *lib.* 26. *Populum Romanum beneficio*, *quam metu obligare homines malle*, *exteraſque gentes*, *fide*, *ac ſocietate junctas habere*, *quam triſti relictas ſervitio*: Quare Salgadus *de regia protectione part.* 1. *cap.* 1. *prælud.* 5. *num.* 206. ſcribit: *Sed ſic eſt*, *quod cui protectio alicujus commendata eſt per Summum Pontificem*, *aut alium Principem*, *non ideo cenſetur conceſſa juriſdictio*, *ſed ſolum defenſio ab oppreſſionibus &c.* Id elegantiſſime probat Geminianus *toto conſ.* 81. pronunciatque ejuſdem teſtimonio laudatus Salgadus numero ſequenti: *Quando aliquis ex privilegio Pontificali recommendatur protectioni alterius*, *non cenſeatur in protectorem tranſire ſimul juriſdictionem*, *ſed defenſionem nudam ab oppreſſionibus*, *nec a juriſdictione ſuorum judicum intelligatur eximi*: Rem autem altius expendentem conſulere poteris Hugonem Grotium *de jure belli*, *&* *pacis lib.* 1. *cap.* 3. §. 21. *num.* 3. & Martinum Magerum de Advocat. armata elegantiſſime de re ipſa differentem.

 III. Quod

III. Quod propius rem noſtram attingit, id norunt, & memorati Scriptores: qui non alia de cauſſa a defenſione Romanæ Eccleſiæ ſecernere ſtuduerunt Romanum Patriciatum, ut fecere Lupoldus paullo ante citatus, & Melchior Goldaſtus adverſus Gretſerum *in replication. pro Imperat. cap.* 13. *pag.* 175. *& ſeq.* Quare Draco eos interpretaturus in medium profert inanem prorſus, ac metaphyſicam diſtinctionem: monens Patriciatum nonnunquam accipi *ſpecialiter*, nec comprehendere defenſionem Eccleſiæ, ſed Urbis Romanæ curam: jure vero generali, lataque acceptione utrumque continere ſignificat. *Libro* 2. *de origin. & jure Patrici. cap.* 6. *num.* 14. *Lupoldus*, inquit, *ne hanc noſtram aſſertionem turbare videatur, ob id, quod Patriciatum a defenſione Eccleſiæ ſecernit, temperandus eſt, ut, & alii, pro quibus acerrime contra Gretſerum pugnat Goldaſtus in replicatione pro Imperatore; ut dicamus Patriciatum nonnunquam accipi ſpecialiter, ut non comprehendat defenſionem Eccleſiæ, ſed ſaltem Urbis Romanæ curam, nonnunquam generaliter, ut contineat utrumque*: Quam autem futili momento nitatur hujuſmodi interpretatio, nemo non videt. Si enim ex ejuſdem Patriciatus fonte, veluti ex genere, ut ipſe fatetur, promanat Eccleſiæ defenſio, eaque fuit ab ipſo Patriciatu per Galliæ Reges ſumta, quomodo inde uti ſpecies diverſa; prorſuſque contraria promanare poterat, ſolumque Romanæ Urbis Imperium, & curam afferre? Et quidem Stephanus III. in ſuis ad Pipinum datis epiſtolis poſt ipſi collatum Patriciatum ita loquitur, ut ſemper Urbem ſuam, Rempublicam Romanorum ſuam, populum ſuum appellet, uno eodemque tempore, quo memorati Patricii defenſionem poſcit: In epiſt. 3. *Cunctus*, ait, *populus noſter Reipublicæ Romanorum magno dolore, & amariſſimis lacrymis una nobiſcum tribulatur*: In epiſt. 4. *Sanctam Dei Eccleſiam, & noſtrum Romanorum Reipublicæ populum commiſimus prote-*

protegendum: In epiſt. 5. *Præſtate ergo populo meo Romano mihi a Deo commiſſo*: & paullo inferius: *Dummodo meum peculiarem Populum & Romanam meam Civitatem.* Hunc modum loquendi ſcite animadvertit Vir Clariſs. Joannes Franciſcus Baldinus *in notis ad Anaſtaſium Bibliothecar. in Stephano III. tom.* 4. Evidens argumentum eſſe non alienatæ, aut diviſæ juriſdictionis, ſed integre a Papa retentæ, ſemper & conſervatæ. Præterea ex hinc Carolus Maguus eam ſolum defenſionem memorat in ſuis literis, quibus a Leone III. Patriciatus confirmationem poſtulavit: *Quatenus*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ Sedes noſtra ſemper devotione defendatur*: Non prætermiſiſſet certe eam quoque curam, & imperium, ſi per Patriciatum geri potuiſſet, fuiſſetque re ipſa geſtum. Talia porro comminiſcentes Nicolaus Alemannus in diſſert. de Lateranen. parietinis cap. 11. eodem argumento refellit, ſcribens: *Caroli Patriciatus, quantuſque erat, hujuſmodi erat, ut nihil, niſi Eccleſiæ Romanæ patrocinium, & defenſionem, eamque Sacramento devotam contineret. Cur igitur a Caroli Patriciatu defenſionis munus diſtinguit Goldaſtus, atque hoc illum Eccleſiæ impendiſſe contendit; illo vero Romanis jus dixiſſe comminiſcitur? Certe Carolus Patriciatum a Leone renovari ſibi ea tantum re poſtulat, quatenus inquit ſanctiſſima Romanæ Eccleſiæ ſedes noſtra ſemper devotione defendatur.*

IV. Id, quod adſtruimus, & ab adverſis Scriptorum commentis vindicare curamus, non obſcure demonſtrat ipſorum Galliarum Regum officium impenſum Romanæ Eccleſiæ, atque Pontifici, in primiſque Pipini, qui Senatum, Populumque Romanum fidem, atque obſequium erga Pontificem Max. religioſe ſervare coegit, ut patet ex Pauli Papæ I. *Epiſtola* 10. *in Codice Carolino*, & 22. *in editione Conciliorum*, nuper procurata Venetiis *ad gentem Francorum*, in qua poſt uberrimas gratiarum actiones hæc in commendationem Pipini, Gentiſque Fran-

Francorum notatu digna addit verba: *Verum elevatum eſt nomen Gentis veſtræ ſupra multas generationum nationes, & Regnum Francorum vibrans emicat in conſpectu Domini, quod talibus benigniſſimis Catholicæ, & Apoſtolicæ S. Dei Eccleſiæ liberatoribus perornatur Regibus. Novus quippe Moyſes, novuſque David in omnibus operibus ſuis effectus eſt Chriſtianiſſimus, & a Deo protectus filius, & ſpiritualis compater noſter Domnus Pipinus Dei nutu victorioſiſſimus Rex, per quem exaltata Dei Eccleſia triumphat & fides Catholica ab hæreticorum telo illibata conſiſtit*: Franciſcus Pagius in Breviar. hiſtorico *geſtor. Summ. Pontificum in Paulo I.* Epiſtolam ipſam exponens idem nobiſcum ſentit, & animadvertit: *Ut omnibus Francis*, ait, *eam literam ſcriberet, impulſus fuiſſe videtur Paulus Pontifex, literis, per quas Pipinus Senatum, ac Populum Romanum cohortatus eſt, ut fidem erga Romanam Eccleſiam, & eumdem Pontificem religioſiſſime cuſtodiret*. Quare Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Stephani III. *num.* 245. *Tota ſe virtute*, inquit, *idem excellentiſſimus Pipinus Francorum Rex profeſſus eſt decertare pro cauſſa Sanctæ Dei Eccleſiæ ſicut pridem jam ſato beatiſſimo ſpoponderat Pontifici*. Profecto, ſi eidem Principi, uti Romanorum Patricio Urbis Romanæ ditio fuiſſet, & Imperium; ſibi, non Pontifici Max. fidem, & obedientiam ſervare curaſſet, ne jura perturbarentur, magno cum ſuæ dignitatis, ac ditionis Patriciatus diſpendio.

V. At ſui juris, quod tum Romæ tum etiam in aliis Civitatibus Eccleſiaſticæ ditioni ſubjectis habebant, ſtudioſi erant Romani Pontifices, curabantque potiſſime, ne a quopiam idipſum violaretur. Quare Stephanus III. compluries Pipinum admonuit, ut Civitates quas Beato Petro promiſerat, ſolicite poſſeſſionem traderet eaſque ſine ullo impedimento reſtitueret: ſic enim *epiſt.* 3. ipſum alloquitur: *Quod per donationem Beato Petro*

Apo-

Apoſtolo offerendum promiſiſtis ei poſſidendum contradere debeatis: & paullo poſt. *Velociter, & ſine impedimento quod B. Petro promiſiſtis per donationem veſtram, Civitates, & loca, atque omnes obſides, & captivos, Beato Petro reddite, vel omnia, quæ ipſa donatio continet*. Sic etiam Hadrianus enixe petiit a Carolo, ut quam celerius Ducatum Spoletinum, quem B. Petro obtulerat re ipſa tradi juberet, ut conſtat *ex epiſtola* 8. *Codic. Carolini* relata a Labbeo in *tom.*8. *Concilior*. Exſtat & ibidem alia epiſtola, quæ in Cod. Carolini eſt 90., in qua idem Hadrianus Carolum admonet, ut contra Adalgiſum in Calabriam adventum copias mitteret, & ut promiſſas Eccleſiæ in Ducato Beneventano Civitates per miſſos ſuos tradi præciperet, addens ulterius: *Sicut in partibus Tuſciæ Civitates, ideſt Suanam, Tuſcanam, Biternum, & Balneum Regis, ceteraſque Civitates cum finibus, & territoriis earum B. Petro offerentes condonaſtis, ita in eo modo in partibus Beneventanis contradere nobis protinus faciatis*. Si itaque illæ, eædemque Civitates jure ditionis aut dominii vigore Patriciatus remanere debebant penes ipſos Galliæ Reges, cur Stephanus, & Hadrianus continuo eoſdem interpellare non deſtitere, ut quam citius, atque celerius re ipſa Sedi Apoſtolicæ traderentur?

VI. Præterea etſi Galliarum Reges Romanorum Patricii titulo eſſent inſigniti, ut partes ſuas, munuſque explerent, admoniti, opem tantum, ac tutelam pro Romana Eccleſia a Pontificibus ipſis impendere poſcebantur; ut ſubjecti Pontificio Imperio populi in fide debita, ac obſequio contineretur, ne quiſquam impune, aut nullo vindice ab alterutro deſciſceret: Tantum abeſt, ut Romani Pontifices vel opem petentes a Galliarum Regibus quidquam illis de Urbis, ac Provinciarum Imperio tribuerent, ſeu tributum quondam oſtenderent: Quovis modo ab ſe abrogarent, ac ultro in Patricium transferrent. Quidam Eleuterius, ac Grego-

rius

rius iniqua, ac nefaria multa quum Ravennæ perpetraſſent, certique eſſent, Adrianum I. ipſorum ſcelera impunita non relicturum, ut debitam ſceleribus pœnam vitarent, ad Carolum Romanorum Patricium confugiunt. Adrianus juſtitiæ incenſus ſtudio, ſimulque juri ſuo diligenter cavens, Carolum admonuit, flagitavitque, ut illos, cum ſuis Legatis Romam mitteret: in poſterum vero ab hujuſmodi excipiendis hominibus abſtineret, ut conſtat ex epiſtola 75. Codicis Carolini, qua Pontifex ſequentibus verbis Carolum alloquitur: *Et illibata oblatio, quæ a ſanctæ recordationis Genitore veſtro Domno Pippino Magno Rege allata, & veſtris perfulgidis regalibus manibus in confeſſione B. Petri Clavigeri Regni Cælorum, oblata, atque nimirum confirmata ſunt, inconcuſſa, ac immaculata in æternum permaneant, ut ante Tribunal Chriſti ipſe protector veſter B. Petrus Apoſtolus dignus retributor vobis appareat*. Pontificiis acceptis literis Carolum una cum Regiis Legatis miſiſſe Romam memoratos Eleuterium, & Gregorium, alioſque præterea ejuſdem furfuris homines, qui ad ipſum timore perculſi confugerant, liquet ex alia epiſtola, quam Adrianus eidem Carolo ſcripſit, poſtquam ejus Legati una cum reis Romam advenerant. Nemo profecto ſibi perſuaſerit Adrianum eas literas ad Carolum ſcribere potuiſſe, ſi Pipinus, & Rex ipſe per Patriciatum, ſummum in Urbe, & Pontificiis Provinciis Imperium, ac ditionem habuiſſet. Nec quis facile credet, Carolum talia ad Pontificem reſcripturum, eique morem geſturum, ſi contra ſe res habuiſſet, ſibique uti Romanorum Patricio, non Pontifici Maximo in reos homines jus fuiſſet. Cujus cauſſa, ut merito ad Carolum provocaſſent, ita juſta Adriano cauſſa non fuiſſet, cur de re ipſa cum Carolo quæri poſſet. At idem Hadrianus cum a Carolo petiiſſet, ut Leonem Archiepiſcopum Ravennatem coerceret, qui jura Romanæ Eccleſiæ in Exarchatu, & Pentapoli

tapoli ſibi arrogabat palam proteſtatus fuit ſe velle de dictis Provinciis libere, & pro arbitrio ſuo diſponere, quarum ipſe poſt donationem earumdem ſupremus erat Dominus. Ait propterea in *Epiſt.* 52. *Cod. Carolini relata in tom.* 8. *Concilior.* a Labbeo inter alias memorati Pontificis: *Sed magis peto te coram Deo omnipotente, ut ita diſponere jubeas, eumdemque Archiepiſcopum ſub noſtra poteſtate contradere digneris. Ut a nobis cunctus Exarchatus diſponatur, ſicut ſæpe fatus Domnus Stephanus Beatiſſimus Papa temporibus ſa. me. genitoris veſtri Domni Pipini, diſponere viſus eſt.*

VII. Ingeſta donationis mentio in ſuis epiſtolis ab Adriano nos admonet, ut commentum de Imperio per Romanorum Patricium in Urbem & Provincias Pontifici Max. ſubjectas, geſto, validiori rationum momento rejiciamus. Hic opus eſt reminiſci in celebri fœdere icto apud Cariſiacum inter Pipinum, & Stephanum III. Romanum Pontificem, de Patriciatu Romanorum, ac donatione Urbium, quas ille a Longobardis fuiſſet recuperaturus, ne verbum quidem dictum, pactumque ullum, aut conventum interceſſiſſe, quod ad hujuſmodi Imperium, & ditionem pertineret. Idipſum a me hic jam notatum, & animadverſum poſtea legi ſenſiſſe, & Vir. Cl. memoratum Joannem Franciſcum Baldinum *in notis ad Anaſtaſium Bibliothecar. in Stephano III. to.*4. Proptereaque gaviſus non parum ſum id quoque pondus obſervationibus noſtris ex tanti Viri auctoritate acceſſiſſe. Quiſnam præterea ſapiens credet id in eo fœdere ſanciri potuiſſe, quod adverſis frontibus pugnaret: alterumque pactum alterum & promiſſum eluderet? Certe Patriciatus donationi, ac donatio Patriciatui repugnaſſet. Enimvero ſi imperium earumdem Civitatum quod donatione in Romanum Pontificem transferendum erat, Pipino donanti Patriciatus antea conventus reſervaſſet; dicendum eſſet, aut nullam interveniſſe donationem, cui ex le-

 gum

gum præſcripto nihil magis repugnat, quam rei donatæ dominium penes donantem remanere; aut ſi vera fuit donatio, alia certe fuit, neque inanis, tantiſque difficultatibus, & abſurdis obnoxia. Teſtatur enim Anaſtaſius Bibliothecarius in Stephano III. his verbis *num.* 245. *De quibus omnibus receptis Civitatibus donationem in ſcriptis a B. Petro, atque a S. Romana Eccleſia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apoſtolicæ Sedis* (Pipinus) *miſit poſſidendam, quæ & uſque hactenus in Archivo S. Romanæ Eccleſiæ recondita tenetur.* Atqui vera illa fuit donatio, atque hujuſmodi, quæ utrumcunque Principem deceret, nec alterum alteri tributum eluderet. Veriſimile proinde non eſt Patriciatum potuiſſe tribuere illud ipſum imperium, ac dominium, per quod tam celebre fœdus deſtructum fuiſſet. Nec quis perſuaderi facile poterit, Carolum Magnum contra Religionem initi fœderis uſurpare voluiſſe illam poteſtatem, quæ ratione translati dominii in ſummum Pontificem, ſibi amplius competere minime poterat; nec demum alia de cauſſa ipſum Carolum monuit Adrianus, ut reos homines, ad ipſum confugientes Romam a Pontifice judicandos mitteret, quia poſteaquam Apoſtolicæ Sedi Exarchatum Ravennæ Pipinus ejus genitor donaverat, & ipſe confirmaverat, nullam jure Patriciatus ſibi vindicare poterat auctoritatem in Romanos, alioſque Pontifici ſubjectos homines, qui ad ipſum confugiſſent; ut liquet perſpicue ex recitata paullo ante Adriani *Epiſt.* 85. ex Codice Carolino deſcripta.

VIII. Atque hinc non minus clare dignoſcitur eodem laborare errore, vanoque commento Cointius, *ad annum DCCXCVI.* & Petrus de Marca *de Concordia lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 9. aſſerentes: tunc poſtquam Carolus M. per Angilbertum petiit Patriciatus confirmationem, inter ipſum, & Leonem III. Patriciatum verſum fuiſſe in dominationem, & ſupremæ juriſdictioni, quam Carolus

lus Romæ exercebat, proprietatem, & dominium Urbis tanquam Patricios adjunxiſſe. Certe ex iis literis, quas Carolus Leoni III. per Angilbertum Legatum ſuum miſerat, nihil aliud liquet, quam Pontificem ipſum poſt ſuam ordinationem Legatos ad Carolum Francorum Regem, velut ad Romanorum Patricium miſiſſe: Carolum a Leone III. per dictum Angilbertum Patriciatus confirmationem poſtulaſſe, ut Romanam Eccleſiam ab Paganorum incurſu tueretur, Chriſtianos in Catholicæ Fidei communione contineret: ac demum Romanæ Eccleſiæ vexillum, ab eodem Leone ad ipſum Carolum, veluti ad Eccleſiæ Advocatum miſſum fuiſſe. Quamobrem hæc ipſa animadvertens Pagius in Critica ad Annales Baronii ad annum DCCXCVI. *num.* 4. *Carolum*, ait, *quæ per Angilbertum Legatum ſuum petierat, a Pontifice obtinuiſſe, non vero Leonem, & Carolum Patriciatum in dominationem vertiſſe, & ſupremæ juriſdictioni, quam exercebant, propietatem, & dominium Urbis tanquam Patricios adjunxiſſe, ut putavit de Marca, & cum eo Cointius*: Errorem hunc præterea reprehendens, vexillum, quod Defenſoribus mitti ſolebat, & Romanorum Patriciis, quum adverſus Schiſmaticos, aut Hæreticos bellum eſſent acturi, Carolo uti Patricio, & Defenſori miſſum animadvertit, nec uſpiam conſtat conceſſam illi in Urbem proprietatem, aut dominium, quod per Legatum ſuum nec Carolus ipſe petebat. Aſſerti falſitas inde etiam detegitur; quoniam ad probandum commentum, quod omni prorſus ratione caret, & fundamento, aſſerunt tantum Carolum per Legatum ſuum a Leone petiiſſe confirmationem pactorum, quæ cum Adriano deceſſore, poſtremo fœdere conſtituerat; adeoque dominium, & Urbis proprietatem pepigiſſe cujus genus conventi cum Adriano ſancitum fuiſſe perperam quoque aſſeruit Euerardus Otto *juris publici, & privati diſſert.* 1. *cap.* 2. §. 8. At nihil tunc de eodem dominio

actum, nec quidquam hujuſmodi in ultimo cum Adriano, fœdere conſtitutum eſt. De re tanti momenti altum ubique ſcriptorum ſilentium; nec illam merito teſtari poterant. Enim vero de Patriciatu dumtaxat Romanorum, & titulo Protectoris Eccleſiæ Romanæ convenerat cum Adriano Carolus. De his pactis mentionem ingerit ſuis literis, eademque a Leone item III. poſtulavit, nulla dominii, aut ditionis in Urbem mentione facta: *Conferatis*, ait, *quidquid ad exaltationem S. Dei Eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris veſtri, & Patriciatus noſtri firmitatem neceſſarium intelligeretis; ſicut enim cum beatiſſimo prædeceſſore ſanctæ Paternitatis veſtræ pactum inii; ſic cum Beatitudine veſtra ejuſdem fidei, & charitatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero, quatenus Apoſtolicæ ſanctitatis veſtræ divina donante gratia, Sanctorum advocata precibus, me ubique Apoſtolica benedictio conſequatur, ut Sanctiſſima Eccleſiæ Sedes Deo donante noſtra ſemper devotione defendatur*. His literis tantum abeſt, ut de dominio, & juriſdictione in Urbem Romam Carolus cum Adriano egerit, quantum illi a vero aberrant, qui fabulam pro arbitrio ſunt commenti, ac imprudentibus lectoribus velut hiſtoriam obtrudunt, & venditant. Sed nec Caroli dictis tum in recitata, tum in aliis ejuſdem Epiſtolis, & inſcriptionibus probe convenire poſſet Urbis imperium. Nullibi enim, ex tot, ac fere innumeris chartis, ac diplomatibus unquam Carolus Urbis, & Ducatus Romani, vel Pontificiæ ditionis Civitatum Principis, Præfecti, aut Domini titulum ſibi præfixit, veluti illo Defenſoris, & filii devoti S. Dei Eccleſiæ, uti ſupra indicavimus, ſæpenumero uſus fuit. Certe ſi hujuſmodi Defenſoris titulo abſque nomenclatione Patricii, quandoque Patriciatum ſuum complexus eſt, utique etiam præſtantiorem illum Urbis, & Pontificiæ ditionis Principis, Dominique aliquando non omiſiſſet, quo manifeſtius ejus Imperium, & aucto-

auctoritas in Romanos, alioſque Pontifici ſubjectos Populos palam facta fuiſſet, ſi re ipſa illi uti Patricio fuiſſet. Qua de re ſcite notat Ducangius in gloſſ. verbo *Advocati Eccleſiarum*: Carolum ſe dumtaxat Sanctæ Dei Eccleſiæ Defenſorem devotum, & Advocatum deſignaſſe. Pagius autem *num.* 5. recitato paullo ante loco confutatos a nobis errores refellens opportune addit: *Obtinuit itaque Carolus a Pontifice, quod petebat, confirmationem nempe ſui Patriciatus, & tituli Protectoris Eccleſiæ Romanæ; non vero dominium Urbis, quod non petebat, & de quo, in ultimis cum Adriano ſancitis, actum non fuerat, ut Marca, & Cointius citati fatentur; qui ideo alias vocis* To *Vexillum ſignificationes ad id, quod hoc anno peractum, transferre non debuere, cum eæ compati non poſſent cum his Caroli in ſua ad Leonem epiſtola, verbis: vel ſtabilitatem honoris veſtri, vel Patriciatus noſtri firmitatem.*

IX. Profecto, ut Advocatus, & protector Eccleſiæ habitus eſt a Leone III. Carolus, non vero uti Urbis Dominus. Ipſe namque acerrimus ſupremi Eccleſiæ dominii vindex Carolum compluries monuit, ac poſtulavit, ut Romanos, alioſque ditioni ſuæ ſubjectos homines, qui res novas moliebantur, compeſceret, cogeretque ad præſtandam Sedi Apoſtolicæ debitam ſubjectionem, atque obedientiam. Poſt Campuli, & Paſchalis conſpirationem adverſus memoratum conflatam Pontificem, nunquam in Urbe fuit tranquillitas. Soluti a Longobardorum metu Romani Pontificium Imperium abjicere nitebantur, ut odia, ac inimicitias inter ſe liberius exercere poſſent. Ravennæ quoque non pauca ad Apoſtolicum Fiſcum pertinentia a Civibus occupata fuerunt. In hoc rerum ſtatu Leo III. ſæpenumero Legatos a Carolo poſtulavit, qui & Romanos compeſcerent, & ablata Romanæ Eccleſiæ bona reſtitui curarent. *Ad hoc* (inquit epiſt. 12.) *omnipotens, & inviſibilis Deus noſter veſtram*

a Deo

Digitized by Google

a Deo protectam imperialem potentiam ſanctæ ſuæ Eccleſiæ fecit eſſe cuſtodem, ut ubique gubernatione laudabili ad augmentum gloriæ veſtræ vigilantior exiſteret, & quos conſilio exterius regitis perire interius non permittatis: Ex iis porro verbis liquido patet Carolum Eccleſiæ cuſtodem, hoc eſt Defenſorem, & Advocatum, non autem ſupremum Urbis, & Pontificiæ ditionis Dominum a Leone III. habitum; eo vel maxime, quod ipſam conſilio non ſupremi dominii poteſtate Eccleſiæ Romanæ ſubditos regere pronunciat. Paullo poſt Carolum ipſum Magnum a B. Petro in ſuis utilitatibus defenſorem conſtitutum fuiſſe affirmat, adeoque anguſtias, quas patiebatur, aſſidue ipſi nunciare commemorat, ut quæ Pipinus; & ipſe Apoſtolorum Principi obtulerant inconcuſſa permanerent, & integra. Poſtea de Auguſtalibus miſſis ita conqueritur. *Miſit igitur pia ſerenitas veſtra miſſos ſuos, ut juſtitiam nobis facere debuiſſent, ſed magis damnum, quam profectum nobis fecerunt: quia omnia, quidquid per veſtrum pium, ac legale judicium, de cauſa videlicet palatii Ravennatis, recollectamus; unde & juſſiſtis, ut nullus quilibet homo in poſterum conquaſſare, aut in judicio promovere præſumeret, tam de vulgari a, quam etiam de manſis, quos per veſtrum diſpoſitum* Herminus *fidelis veſter nobis reconſignavit, omnia cum caſis, vineis, aut laboribus, atque peculiis abſtulerunt, & nihil exinde nobis remanſit. Quamobrem quæſumus veſtram Imperialem clementiam, ut ſic de veſtra a Deo accepta donatione, quam prædicto Dei Apoſtolo obtuliſtis, peragere jubeatis, quatenus in nulla minuatur parte; ſed maxime per veſtrum laborioſum certamen, firma, atque ſtabilis, & inconcuſſa perennis temporibus perſiſtere valeat*: Agebatur itaque de Fiſcalibus bonis, quæ, ut Romanæ reſtituerentur Eccleſiæ non tanquam Eccleſiaſticæ ditionis Dominus, ſed uti Advocatus, & donationis ſuæ exequutor Carolus M. curare debebat. Non diſpares de miſ-

ſis

ſis querelas, modeſte tamen, idem Pontifex *epiſt.* 7. Carolo aperuit, quod certe fruſtra feciſſet, ſi Carolus ipſe in Urbem Romam, atque in alias a ſe donatas Urbes, ſupremum dominium cum ipſo Summo Pontifice in confirmatione ſui Patriciatus ex pacto, vel fœdere retinuiſſet.

X. Porro legatos hoſce defenſionis cauſſa, & nomine, non autem dominii jure a Carolo fuiſſe miſſos, non ſolum ex iis, quæ hactenus diximus liquido conſtat, verum etiam ex epiſtola tertia ejuſdem Pontificis, in qua eumdem Carolum Pontificias querelas ægre tuliſſe his verbis memorat: *Continebatur enim in ipſo præfato ſexto capitulo quod miſſos invenire non valetis, qui nobis placeant, de qua re valde triſtatur veſtra ſerenitas; & nullus de ipſis, qui jam ad nos fuit directus per ſuam voluntatem amplius miſſus erit, excepto, quod obedientiam veſtram, voluntarie unuſquiſque adimplere cupit: & non ſolum miſſi veſtri timent veſtram portare legationem ad noſtram puſillitatem, verum etiam alii, jam non ſunt auſi quærere a vobis auxilium, quia nullus eſt, qui veſtram quæſivit clementiam, ut dicunt, qui poſtmodum ad plenam potuiſſet pervenire gratiam noſtram, & quia plures directos habuiſtis miſſos fideles, ex quibus jam alii mortui ſunt, & ipſi blaſphemati fuerunt, & de ipſis, qui vivunt, nullas jam ſine blaſphemia eſſe videtur:* Nemo profecto ſummi Imperii, ac dominii poteſtate præditus de inveniendis miſſis beneficiario gratis ſolicitus fuiſſet: miſſi quoque Caroli ad Leonem accedere non trepidaſſent: quin imo parvi feciſſent Leonis querelas, ſi ſupremi Domini mandata curaſſent, & non ad inſerviendum Pontifici fuiſſent deſtinati. Fuere nihilominus, qui Regios Legatos male a Pontifice habitos calumniarentur, tantum abeſt, ut ſummam illi poteſtatem in Urbe exercerent. Fallaces eorumdem ſermones gravi reſponſione Leo refellit, additque in eadem ad Carolum

data

data epiſtola: *Sed tamen ſi nos bene ſuſcepimus, & bene bonoravimus pro veſtro amore, Deus nobis retribuat bona, & vos ſatisfaciat, ut in cauſis B. Petri Apoſtoli amplius, & amplius decertetis; & ſi non vobis nunciaverint quomodo eos honorifice ſuſcepimus, quid aliud dicamus? ut Deus illis indulgeat*. Porro in obſequium Apoſtolicæ Sedis & ad ejus curanda emolumenta Caroli Miſſi poſtulante Pontifice Romam veniebant: quod iterum Pontifex idem affirmat prope finem epiſtolæ ſcribens: *Si placet pietati veſtræ, Miſſum veſtrum dirigite abſque illis, qui omnia liquidius inquirat, & veſtræ Imperiali potentiæ fideliter nunciet, quid, aut quomodo iſtis in partibus egerint, qualem profectum exinde Sancta Dei Eccleſia Mater veſtra habeat. Verumtamen omnia in veſtro committimus arbitrio*. Sane arbitrium judicandi de accuſatoribus Miſſorum ſupremus Dominus aliis, præſertim vero beneficiario, non delegaſſet; nec qui a ſupremo Domino leges accipit, novos Miſſos ad jus in ſubjectis ſibi Urbibus dicendum, etiam, atque etiam poſtulaſſet.

XI. Manſit itaque ſemper integra Pontificis Max. ditio in Urbem, & Provincias oblatas Apoſtolicæ Sedi, & Apoſtolorum Principi: nec unquam Regnante Carolo Magno aliqua de re ipſa inter Leonem, & Romanorum Patricios orta fuit diſſentio, aut controverſia. Norat Princeps optimus, quæ ſua erant; norat etiam, quæ erant Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ, eaque conſtanti ſtudio intacta ſervavit, præſtititque integra. Et quidem, quam pie, ſancteque a Carolo Magno, uti Romanorum Patricio, Defenſore, & Advocato cultam fuiſſe Romanam Eccleſiam omni imperii, & juriſdictionis jure remoto Eginardus coævus auctor teſtatur his verbis: *Nec ille toto Regni ſui tempore quidquam duxit antiquius, quam, ut Urbs Romana opera ſuoque labore veteri polleret auctoritate, & Eccleſia S. Petri non ſolum*

ſolum per illum tuta, ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus præ omnibus Eccleſiis eſſet ornata, atque ditata: Recenſito Eginardi teſtimonio ſatis perſpicue, ni fallor, probari poteſt, Carolum Magnum, quum Patricius Romanorum evaſit pro defendenda Romana Eccleſia, Apoſtolicam Sedem, ac Pontificem Max. ſupremo illo dominio, quod partim populorum conſenſu, partim libera Pipini Patris, & ſua etiam pia largitate poſſederant, nequaquam ſpoliaſſe; nec in fœderibus cum Adriano I. & Leone III. ratione Patriciatus Romanorum ſancitis donatarum Urbium Imperium ad Principes ipſos revertiſſe: ut comminiſcuntur Petrus de Marca, atque Cointius, tot validis momentis a nobis rejecti. Quis enim credat Principem pietate, ac religione præſtantiſſimum, voluiſſe Eccleſiam Romanam de acquiſito jampridem tot Urbium, ac Provinciarum principatu, ac ſummi Imperii gradu ab dignitate dejicere? Atqui Carolum ab hac voluntate abhorruiſſe, non modo ſingula quæque ejus geſta, ſed & regnorum ſuorum diviſionis publicum monumentum a Petro Pithæo jamdudum editum apud Ducheſnium *hiſtor.Franc.to.2.pag.*88. aperte demonſtrant, in quo filiis potiſſimum imperavit, Eccleſiæ defenſionem, quæ peculiari ratione ad eum ſpectare debebat, qui ſucceſſurus eſſet in imperium. Religioſiſſimi Imperatoris de Apoſtolica Sede immortaliter meriti, hæc verba ſunt: *Super omnia autem jubemus, ut ipſi tres fratres curam, & defenſionem Eccleſiæ S. Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & a nobis poſtea ſuſcepta eſt, ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet, & ratio poſtulaverit, habere faciant*: Regna poſtmodum idem Princeps inter filios dividens Carolo natu majori Alemanniam cum Saxonia, Franciam, atque Burgundiam uſque ad alpes & vallem Auguſtunam; Ludovico Aquitaniam, aliaſque

Galliæ Provincias ad alpes, vallemque Seguſianam; Pipino Bavariam, ac Italiam, quæ & Longobardia dicitur, addixit. De Urbe autem, Ducatu Romano, aliiſque Pontificiæ ditionis Provinciis, ne verbum quidem feciſſe liquet: quod nimirum ſummum in eaſdem Provincias Imperium, atque Dominium nequaquam ad ſe pertineret, nec ſibi arrogabat: illiſque Romanus dumtaxat Pontifex pleniſſimo jure dominabatur.

De Nummis Pontificiis Caroli Magni, aliorumque Imperatorum Nomine inſcriptis, & Sacramento a Romanis eiſdem exhibito.


CAPUT VIII.

SYNOPSIS.

I. *Carolus Magnus tempore Leonis III. Pontificiis nummis inſcriptus.* II. *Uti Patricio, & Romanæ Eccleſiæ Advocato hic honor illi conceſſus.* III. *Leblancus, & Pagius eos nummos Imperatorios eſſe cenſentes, refutati.* IV. *Franciſci Pagii affirmantis Paſchalem I. Lothario conceſſiſſe Urbis dominium, reſervato ſibi jure cudendi monetas, opinio rejecta.* V. *Lotharii Romam adventus, ejuſque cum Summo Pontifice ibidem acta.* VI. *Romani Carolo Magno jurejurando adſtricti uti Patricio, & Advocato; Draconis, aliorumque hac in re errores caſtigati.* VII. *Idem Sacramentum fidelitatis fuit, non ſubjectionis: ejus formula.*

I. EXimiam Caroli Magni pietatem in tuenda Eccleſia Romana patefactam, æquum erat, ut magnis honoribus Pontifex Max. gratus proſequeretur: adeoque primum ab Adriano Summo Pontifice non ſolum traditione vexilli, quod præcipuum honoris erat argumentum, iis enim potiſſimum mitti conſuevit, qui Romanam Eccleſiam tueri, atque defendere debebant, honeſta-

neſtatus eſt; verum etiam, ut in ſolemni Quadrageſimæ Miſſa præcipuæ pro ipſo Rege, atque Patricio preces cum genuflexione ad Deum funderentur, dignus eſt habitus: In Litaniis quoque, quas Carolinas vocabant, pro eodem Omnipotentem Deum orari conſueviſſe ſupra vidimus, ubi de ipſius Patriciatu egimus. Non imparis honoris indiciis affectus fuit a Leone III. Rurſus enim donatus eſt vexillo, tanquam Romanorum Patricius, quo confirmatus indicaretur Tutor, atque Defenſor Eccleſiæ; iterumque ſolemnibus cæremoniis Imperator acclamatus, quod ipſo die Natalitio Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti peractum eſt. Ad honorem illi uti Romanorum Patricio, & Eccleſiæ Defenſori augendum, & dignitatem idem Leo in Pontificiis quoque nummis Carolum inſcribi voluit, ut longe lateque per totum terrarum Orbem diffuſum decus nova acceſſione gloriæ, & amplitudinis ad poſteros traduceretur. Ex Muſeo Franciſci Blanchini Vir Cl.Vignolius in lib., cui titulus: *Antiq. Rom. Pontific.Denar.in Leone III.* poſtrema editione romana notis illuſtrato a V. Cl. Benedicto Floravante refert nummum, in quo Leo literis inter ſe nexis, & in crucem diſpoſitis in margine vero ✠ SCS PETRUS cruce itidem prænotata, inſpicitur. CARLUS in altera margine præeunte item Cruce, & in medio harum litterarum nexus IPA. qui Imperator explicatur. Crucem etiam referens exhibetur: ut videre licet ex ipſius nummi ectypo, quod ex laudato Vignolio hic oculis Lectorum ſubjicimus.




 Leo-

Leonis nomen litteris eum in modum inter ſe junctis morem illius ævi demonſtrat. Quamvis enim antea apud veteres Latinos, & Græcos hæc literarum compendia, quæ Monogrammata appellant, fere ſemper in uſu fuerint, quemadmodum præter Chriſtianorum monumenta Conſtantiniano Chriſti Monogrammate inſignita, alia quoque longe iis antiquiora teſtantur; nunquam tamen, tam frequens uſus ac familiaris fuit, quam circa Leonis III., & Caroli M. ætatem extitit: adeout non deſint, qui ab eodem Carolo primum ſentiant Monogrammata fuiſſe invecta ad nomen ſuum indicandum. Hinc laudatus Vignolius eos deceptos prodit, qui eo literarum compendio Caroli Magni nomen inſcriptum ex imperitia appoſitum cenſent.

II. Hujuſmodi porro honorem Carolo uti Patricio, Eccleſiæque, & Populi Romani Advocato, & Defenſori fuiſſe conceſſum, alter oſtendit nummus ejuſdem Leonis III., exhibitus a Leblanco in tractatu lingua gallica ſcripto de antiquis Regum Francorum monetis, de nummis Caroli M., & Ludovici Pii differente. In eo ſiquidem Carolus aureo circulo gemmis diſtincto ornatus cernitur, dextra manu enſem, ſiniſtra vexillum gerit, quæ ſcilicet ſunt Patriciatus inſignia; quare laudatus Vignolius eodem loco notat: *Si quis autem ad honores alios huic non diſſimiles, quos Leo III. Carolo M. Imperatoris titulo nondum inſignito, antea detulerit, velit animum advertere, mirari profecto deſinet, ſi poſtquam illum Imperatorem renunciaverit, Advocatum, Tutorem, Defenſoremque novo Sacramento adſtrinxerat, id etiam in ſuis denariis perpetuo teſtatum eſſe voluerit*: Idipſum jampridem obſervaverat ex ſola inſcriptione nominis ejuſdem Caroli abſque ejus effigie, ſcribens: *Inter honores vero, quibus illum* (Carolum), *fuit hic Pontifex* (Leo III.) *proſequutus, id præcipue recenſeri debet, quod in ſuis nummis ejus etiam nomen apponi voluerit, quod alii*

alii deinde Pontifices ut infra, uſque ad Benedictum VII. videbimus, interdum facere conſueverunt. En porro ipſum nummum ex eiſdem Scriptoribus hic exhibitum.



III. Leblancus ſcriptor Gallus paullo ante memoratus cum in ipſos, alioſque eorumdem Pontificum nummos incidiſſet, in quibus Imperatorum nomina expreſſa leguntur, continuo pro illorum monetis accepit, ac venditavit; de iis inſuper peculiarem ſcripſit librum, cui ſequentem, perperam affixit titulum: *Diſſertation historique ſur quelques monnoyes de Charle Magne, de Lovis, de Lothaire, e de Leurs ſucceſſeurs frappées dans Rome: par le quelles on refutè l'opinion de ceux, qui pretendent, que ces Princes n'ont jamais eu aucun autoritè dans certe ville, que dù conſentement dù Pape*: Hos ipſos deinde nummos in diſſertatione poſt tractatum, quem ſuperiori §. deſignavimus, nihil hæſitans, tanquam imperatorios evulgavit. Eum Antonius Pagius ſequutus in Critica ad Baronianos Annales, anno Chriſti DCCCXXIII. *num.* III. Expreſſum in iis nummis Imperatoris nomen nihil aliud præſeferre cenſet, quam ſupremæ in Urbem poteſtatis, & juris inditium: *Unde Leblancus*, inquit, *Vir Clariſ. in tractatu lingua Gallica ſcripto, de antiquis Regum Francorum monetis pag.* 102. *plures Lodovico Pio Auguſto imperante percuſſas exhibet, in quarum antica legitur LUDOVICUS IMP. in Monogrammate ROMA, & in poſtica SCS. PETRUS; tum pag.* 108. *alias Lotharii monetas, in quarum poſtica habetur, SCS. PE-*

PETRUS. Quæ omnes ſupremi Lodovici Pii, & Lotharii in Urbem Romam juris inditia ſunt: Hoc idem ad annum DCCCLXXV. nu. 1. de Lodovico II. prodit. Verum & Pagius ipſe, & Leblancus decepti plane ſunt, Imperatorios arbitrantes nummos, qui reipſa erant Pontificii, indeque monſtra finxere pro hiſtoria. Utrumque Vignolius recitato libro refellit. Pagium vero perſtrigens, merito illi objicit, quæ ipſe adverſus Petrum de Marca protulerat, nimirum tempore Adriani I., & Leonis III. nullum ſupremum in Urbem jus Carolo fuiſſe; adeoque quemadmodum Caroli nomen inſcriptum indicare nequibat ditionem, atque dominium in Romanam Urbem: ratione pari idipſum importare non poterat inſcriptio nominum Imperatorum in ipſis nummis: *Nihil miror*, inquit, *Pagium cum Leblanco ita decipi, quum nec ipſe hos Pontificios nummos eſſe perſpexerit; ſtupeo tamen, quod ei prorſus memoria exciderint, quæ inter cetera ad annum Chriſti CCXCVI. n. 6., ubi de Leonis VIII. nummo ab Alemanno Leoni III. attributo, hæc iis omnino contraria ſcripſerit: Verum ante Leonem III. ſimilia numiſmata cudere poterat Stephanus II., & ejus ſucceſſores, quia is non minus, quam Leo III. ſupremi Urbis Domini fuere, quod non videtur in poſterum in dubium revocari poſſe.* Quæ quidem cum ſuperioribus collata, quantum inter ſe pugnent, nemo non videt. Leblancum autem jure, meritoque erroris arguit idem Vignolius tanquam ſua deceptum inſcitia, qua, ut hæc numiſmata Imperatoribus adſcriberet, ſola illorum nomina adſpexit inſcripta, monogrammata vero Romanorum Pontificum in ipſis expreſſa ignoravit penitus, inſciteque neglexit. Id certe abſque Viri eruditi injuria affirmare poſſe Vignolius ſibi viſus fuit, quum inſcitiam ſuam eodem tractatu ſcriptor ipſe *pag.* 93. his verbis ingenue fateatur: *Le IV. V. VI. denier ſont frapées a Rome comme leurs inſcriptions le pouvent. Je ne ſçayce, que peuvent ſignifier les monogrammes qui ſont*

ſont leurs revers. Et pag. 108. idem rurſus profitetur non diſſimilibus verbis: *Je ne ſçay pourquois on donne ſur certe monnoye titre de PIUS a Lothaire, & j'avoué, que le ſignificacion des lettres, qui ſont dans le champs de la piece du coſtè du revers m'eſt inconnue*.

IV. Idipſum agnovit, & ingenue faſſus eſt Junior Pagius in breviario geſtor. Summ. Pontific. agens de Paſchale I., ubi Baronianum cenſorem abſque ullo examine Leblanco adſtipulantem reprehendens, nummos, de quibus diſſerimus, revera Summorum Pontificum eſſe cenſet, nec ab iis ullum conceſſum Imperatori jus ſupremium in Urbem ſive dominium, & quod potiſſimum hiſtoriæ caput eſt, idipſum eorumdem in iis inſcriptis nominibus neutiquam indicari. Ex quodam tamen ſupplemento hiſtorico Pauli Diaconi auctor ipſe collegit ſupremam jurisdictionem ex conceſſione Paſchalis Pontificis Max. Lotharium Romæ exercuiſſe; cudendi nihilominus monetas poteſtatem ſibi ſervaſſe integram memorat. Quare Vignolium improbans, quod ſeniorem Pagium immemorem notaverit n.9. addit: *Sed ego magis ſtupeo hunc ſcriptorem vel non legiſſe, vel diſſimulaſſe, quæ ſcribit Antonius Pagius ad eumdem annum* DCCCXX. *n*. I. *Paſchalem ſcilicet Pontificem conceſſiſſe Lothario Imperatori poteſtatem, quam priſci Imperatores habuerunt, ſuper populum Romanum, ideſt ſupremum in Urbe dominium; ex eo enim manifeſte conſtare concluſiſſet, quæ ſcripſerat antea ad annum* DCCXCVI. *cum ſuperioribus collata inter ſe maxime cohærere*: At vero, quidquid junior Pagius adverſus Vignolium afferat, ut ſeniorem defendat, qua de re multa congeſſit Vir Cl. Floravantes in notis ad laudatum Vignolium in Sergio II. certe recens ipſius opinatio de jure cudendi monetas Pontifici reſervato, ac ſupremo in Urbem dominio, Lothario Imperatori conceſſo, nobis nullo modo probari poteſt. Cui enim veriſimile ſit, tot ſtudia, & labores impendiſſe Romanos Pontifices, ut jus illud ſupremum in

Urbem

Digitized by Google

Urbem retinerent, ac tuerentur; ipſumque deinde ita neglexiſſe Paſchalem, ut ultro Lothario ceſſerit, & ab Apoſtolica Sede abdicaverit? Et tamen latet neminem, Paſchalem fuiſſe Pontificem prudentia eximium, & jurium Romanæ Eccleſiæ ſtudioſum, a quo nil magis abeſſe poterat, & debuerat, quam id genus facta, ſibi, Eccleſiæque ſuæ noxia inepte cedere. Neque locus ſupplementi hiſtorici Paulli Diaconi, quem affert Pagius ex corpore Francicæ hiſtoriæ ad annum Chriſti DCCCXXIII. dominium evincit, aperitque, quod Pagius ipſe ſibi fingit, & aſſerit. Verba illius hæc ſunt, quæ tum in Leone III., tum etiam in Paſchale I. recitantur: *Lotharius Imperator primo ad Italiam venit, & diem ſanctum Paſchæ Romæ fecit; Paſchalis quoque Apoſtolicus poteſtatem, quam priſci Imperatores habuere, ei ſuper populum Romanum conceſſit. Ideſt* (addit de ſuo Pagius) *ſupremum in Urbe dominium*: Cujus ſit auctoritatis, & qualem hic fidem mereatur ſupplementi auctor, videant alii: Apud eruditos Viros difficultate profecto non caret ejus aſſertum. Afficta præterea eſt & ex arbitrio excogitata illa, quam Pagius adjecit, interpretatio. Ipſo quidem teſte Imperatores, & deceſſores Lotharii nullam ſupremam juriſdictionem & dominium in Urbem habuerunt. Quamobrem *poteſtatis* verbum, quod late patet, ad aliam poteſtatem videtur non eſſe referendum, quam patrocinium, & advocationem, qua priſci Imperatores proſequebantur Romanam Eccleſiam. Tanto magis, quia Lotharius ipſe ritu ſolemni Patriciatum Romanorum inivit; cui id munus ampliſſimum erat annexum. Unde priſcos ab auctore ſupplementi deſignatos Imperatores; illos dumtaxat intelligendos puto; qui proximi ante Lotharium deceſſerunt. Priſcum enim a Latinis, & quidem elegantibus Scriptoribus dicitur, non modo id, quod ſæculis ſuperioribus fuit, ſed de re quoque, quæ nuper ſuo, vel non multo ante tempore exſtitit.

V. In-

V. Interpretationi noſtræ pondus, & lucem addit Lotharii hiſtoria. Is, cum Urbem eſſet ingreſſus, ea tantum præſtitit, quæ ad Patriciatus dignitatem, & munus defenſoris Eccleſiæ Romanæ pertinebant. Nec in capitulis ab eo cum Eugenio II., & Populo Romano ſancitis ullam factam mentionem legimus de dominio, ac ſuprema juriſdictione in Urbem Romam jampridem ſibi aſſerto ex conceſſione deceſſoris ſui Paſchalis. Magni momenti etiam ad res Italici Regni erat Civium Romanorum concordia, ad quam conciliandam Ludovicus Pius ex totius Gallicanæ nationis conſilio Lotharium filium Imperii collegam Romam direxit, una cum Hilduino Cæſarii palatii Archicapellano, qua de re ita ſcribit auctor libelli de translatione S. Sebaſtiani apud Bollandum die 20. Januarii cap. I. *A piiſſimo Cæſare ad quorumdam improbitatem compeſcendam, qui adverſus ſummum Antiſtitem Eugenium intumuerant, Romæ delegatus ſic judicium omne prudenti examinatione exercuit, ut & Cæſaris juſſum expleret, & Pontifici ſatisfaceret, & eos qui contra hunc ſuperbe intumuerant, ſedata eorum contumacia pacatos redderet, & quietos.* Miſſum autem Lotharium: *ut quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice, Populoque Romano ſtatueret, atque firmaret*: Eaque omnia memorati Pontificis benigno conſenſu peregiſſe, teſtantur Annales Bertiniani, & Eginardus ſeu Annalium Scriptor Laureshamenſis ad annum DCCCXXIV. Capitula itaque quædam juxta Eccleſiæ Romanæ indigentiam aſſentiente Eugenio II. ad temporum calamitatem ſeſe accommodante ſancita fuere, quæ proſtant apud Holſtenium in collectione Roman. bipartita *p. 2. pag.* 211., inter quæ ſequens legitur: *Volumus etiam, ut miſſi conſtituantur a Domno Apoſtolico, & a nobis, qui annuatim nobis renuncient, qualiter ſinguli Duces, & Judices juſtitiam populo faciant, quomodo noſtra conſtitutio ſervetur; decernimus itaque, ut primum omnes*

clamores, qui negligentia Ducum, aut Judicum fuerint, ad notitiam Domni Apoſtolici referantur, ut ſtatim, aut ipſe per ſuos Nuncios, eoſdem emendare faciat, aut nobis notificet, ut legatione a nobis directa emendentur: Hanc itaque poteſtatem a Paſchale datam Lothario fuiſſe, non autem ſupremum in Urbem dominium tam illuſtre ipſius Scriptoris factum non obſcure patefecit. Qui, ut liquido conſtat in iis capitulis nullum ſibi dominii jus uſurpavit, ſed aſſentiente Pontifice, ad compeſcendos Romanos, uti Eccleſiæ Advocatus, atque Defenſor illa decrevit. Cointius in Francorum annalibus Eccleſiaſticis ad deſignatum annum DCCCXXIV. *num.* 10. *&* 11. eidem, cui nos, ſententiæ inhærens recte admonet, ea omnia a Lothario conſtituta fuiſſe, non tanquam ſupremo Domino, ſed uti Eccleſiæ Romanæ Defenſore, atque Advocato, quo nomine Francorum Reges, & Imperatores Urbis, & Eccleſiæ Romanæ paci, & tranquillitati quolibet tempore non ſolum per legatos, ſed per ſe ipſos, quando res exigebat, ſtudebant diligentiſſime. Profecto ſi ſumma poteſtate, & ſupremi dominii juriſdictione Lotharius ex conceſſione Paſchalis I. potitus fuiſſet, leges ſuas benevolo aſſenſu beneficiarii Pontificis non edidiſſet, quod tamen ex recitatis annalibus Lotharium feciſſe vidimus. Nec interea eſt omittendum, quod memorato loco diſerte advertit Cointius, in editis tunc capitulis diſtinctam omnino fuiſſe Romanæ Eccleſiæ ditionem ab reliquo Italiæ Regno. Imperator ſiquidem Romæ tanquam Eccleſiæ Protector eas leges ſpontanea Pontificis, & Populi Romani voluntate ſuſcipiendas reliquit: *Volumus etiam*, inquit, *ut omnis Senatus, & Populus Romanus interrogetur, quali vult lege vivere, ut ſub ea vivat; eiſque denuncietur, quod procul dubio ſi offenderint contra eamdem, eidem legi, quam profitebuntur, diſpoſitione Domni Pontificis, & noſtra omnimode ſubjacebunt*: At, quum leges, uti ſuæ ditionis ſupremus

mus Dominus, quæ ad Italiæ Regni reliquos populos ſpectabant, eodem tempore edidiſſet: nimirum, ne quid in ſuis confinibus injuſte fieret, & ſi quid inique factum eſſet, emendari jubet ſequentibus verbis pro re nata omnino notandis: *Præcipimus, ut depredationes in confinio noſtro non fiant; quæ facta ſunt, & cæteræ injuſtitiæ ſecundum legem ab utriſque partibus emendentur.*

VI. Reliquum tandem eſt, ut ad excludendum penitus Urbis, ac Pontificiarum Provinciarum dominium, ſupremamque juriſdictionem, quam memorati Scriptores produnt in Galliarum Reges, & Imperatores per Patriciatum translatam, nonnulla etiam de Sacramento notemus, quod tum Carolo Magno, tum aliis quibuſdam Imperatoribus Romani exhibuerunt. Id certe non alia de cauſſa emiſſum fuit, quam, quod Principes ipſi, Romanorum Patricii, & Eccleſiæ Advocati fuerunt: ac proinde hujuſmodi Sacramenta non ſupremi dominii extiterunt indicia, ſed clientelæ ac fidelis obſequii communi Defenſori, atque Patrono, patefacta argumenta. Illud tamen perperam cenſuit Draco *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. aliique ab ipſo laudati, datum fuiſſe in ſignum eorumdem dominii, & ſupremæ juriſdictionis. Quo autem exactius, hoc graviſſimæ hiſtoriæ caput illuſtremus, primum illud eſt advertendum, juſſu Summorum Pontificum nonnullis dumtaxat, non omnibus, & ſingulis Imperatoribus; idque ob peculiarem aliquam cauſſam, urgentemque neceſſitatem eo Sacramento Romanos adſtrictos; nimirum, quum, vel eorum fides ſuſpecta Imperatoribus eſſet, vel Pontifices Max. Imperatorum ope ad eos in Romanæ Eccleſiæ obſequio, atque obedientia retinendos indigerent. Certe non aliter Leo III. ante renovationem Imperii ſtatim, ac dictus eſt Pontifex, quum adhuc Romanorum ſeditiones publicam tranquillitatem atque Imperium perturbarent, Adriani vero nepotes Urbis dominatum affectarent, Carolum Magnum Patri-

ciatus confirmationem poſtulantem rogavit: *Ut aliquem de ſuis optimatibus mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem, atque ſubjectionem Sacramento firmaret.* Nos licet Baronii, & Bellarmini interpretationi non aſſentiamus, qui Leonem, non Carolo, ſed ſibi illa Sacramenta præſtari voluiſſe contendunt, aperte nihilominus liquere noſcimus, & aſſerimus, Leonem III. eam ob cauſſam poſtulaſſe, ut Caroli Magni auctoritate Romanorum tumultus ſedarentur; ac de illorum fide ſibi tanquam Patricio, & Eccleſiæ Romanæ Advocato plenius caveret. Quod clare indicat Poeta Saxonicus in vita Caroli ſic inquiens.

Admonuitque piis precibus, quo mittere vellet
Ex propriis aliquos Primoribus, ac ſibi plebem
Subdere Romanam ſervanda fœdera cogens.

Romani etenim fœdera, quæ cum Carolo Magno a Stephani III. temporibus Pontificia auctoritate ſancita fuerant, non ſemel deinceps renovaverunt. Sic pullulantibus iterum Romanorum ſeditionibus poſt Leonis III. obitum, quem acerbiſſimo odio Romani proſequuti fuerant, Stephanus IV. ſtatim, ac Pontificatum inivit, juſſit populum univerſum fidem Sacramenti religione interpoſita polliceri Lodovico Pio, ut habetur ex Thegano in vita Lodovici Pii *cap.* 16. Nec certe alia de cauſſa, quam pro ſedandis Romanorum tumultibus id factum conſtat, eoque fere tempore, quo Pontifex Imperatoria auctoritate, atque auxilio ad compeſcendos Romanos opus habebat.

VII. Quum ergo liquido conſtet, hujuſmodi exhibita Imperatoribus, ultro id volente Summo Pontifice a Romanis Sacramenta ſervandæ fidei, atque ſubjectionis fuiſſe pignus, nullum inde Carolo, ceteriſque Principibus eo nomine ſupremi in Urbem Romam Imperii, jus quæri poteſt, & adſcribi: Quum hoc idem penes ipſos Pontifices Max. manſerit, ejuſque illi potiſſimum ſtu-

ſtudioſi fuerint, atque ſoliciti, ne vel quoque modo a Cæſaribus, vel eorum Legatis violaretur. Sic Sergio II. inſcio Imperatore, conſecrato, quum Lotharius Romam miſiſſet Lodovicum filium Italiæ Regem cum exercitu, ut de Romanis ulciſceretur; Is Bononia Romam uſque multorum cædes edidit. Nihilominus, quum a Pontifice, a quo peramanter ſuſceptus fuit, poſtulaſſet: *Ut omnes Primates Romani, fidelitatem ipſi Ludovico Regi per Sacramentum promitterent.* Sergius omnino renuit: *Quia ſi vultis*, inquit, *Domno Lothario Magno Imperatori hoc Sacramentum, ut faciant, ſolummodo conſentio, atque promitto. Nam Ludovico ejus filio, ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis Romanorum nobilitas conſenſit.* Teſte Anaſtaſio Bibliothecario in Sergii vita. Non detrectabant Pontifices fidelitatis Sacramentum Imperatoribus a Romanis exhiberi, ratione Imperialis dignitatis, & Patriciatus, quem illi gerebant, cujus cauſſa, quum eo potiſſimum tempore quam frequenter opem ferre deberent Romanis Pontificibus, Populoſque, & Cives adverſus ipſos rebellantes compeſcere, vel tumultuantes, ſuſpectoſque continere in officio e re videbatur; conducebatque quammaxime, ut ipſiſmet Defenſoribus, atque Advocatis Romanæ Eccleſiæ Sacramenti religione obſtringerentur. Id tamen, ut ſupra monuimus, fidelitatis, & clientelæ, non ſubjectionis ſupremo Domino debitæ erat Sacramentum. Contra, quod Summis Pontificibus exhibebatur jus jurandum, tum fidelitatis erat, tum etiam ſubjectionis promiſſæ proprio Domino, ut patet ex ejus formula, quod Formoſo Pontifice Maximo jubente anno Chriſti DCCCLXXXXV. Romani Arnulpho Imperatori tunc electo præſtiterunt, proſtatque in appendice Annalium Fuldenſium apud Ducheſnium *tom. 2. pag.* 58. cujus hæc verba ſunt: *Juro per hæc omnia Dei myſteria, quod ſalvo honore, & lege mea, atque fidelitate Domini Formoſi Papæ fidelis ſum, & ero omnibus diebus vitæ*

mea

meæ Arnolpho Imperatori, & nunquam me ad illius inſidelitatem cum aliquo homine ſociabo, & Lamberto filio Agildrudæ, & ipſi Matri ſuæ, ad ſecularem honorem nunquam adjutorium præbebo, & hanc Civitatem Romanam ipſi Lamberto, & Matri ejus Agildrudæ, & eorum hominibus per aliquod ingenium, aut argumentum non tradam. In hac formula nulla ejuſmodi ſubjectionis occurrit mentio. Qui autem alicui ſalva alterius fidelitate obedientiam Sacramento pollicetur, & obſequium, eum, quem excipit, pro ſummo, atque ſupremo Domino habet. Hinc apud Guntherum *in Ligurini lib.* 8. leges.

Præterea quotiens feudali jure recepto,
Vaſſallus Domino fidei juramina præſtat,
Excipiendus erit Romanus nomine Princeps.

Et quidem in recenſita Sacramenti formula Formoſus Papa, cui ſalva, & integra pronunciatur fidelitas, Dominus aperte appellatur: quo titulo caret omnino Arnulphus Imperator.

De Jure Electionis Romani Pontificis Romanorum Patriciatui, falſo tributo.

CAPUT IX.

SYNOPSIS.

I. *Sigiberti Schiſmatici, & Melchiorris Goldaſti impoſtura de Synodo Lateranenſi Romæ habita, qua cum Patriciatus dignitate aſſerunt Carolo Magno datum fuiſſe jus eligendi Summum Pontificem*. II. *Goldaſti mendacium de altera Synodo a Leone VIII. Pſeudopontifice ad illius exemplum Romæ coacta*. III. *Can.* Adrianus, & *Can.* in Synodo *commentitii*. IV. *Argumenta de eorumdem falſitate a ſilentio Veterum ducta*. V. *Alia producuntur momenta, quibus illorum falſitas evincitur*. VI. *Carolus M. uti Patricius Romano-*

manorum arrogans ſibi facultatem legandi Miſſos, ut intereſſent electioni Archiepiſcopi Ravennatum ab Adriano admonetur, ne tale jus contra morem uſurparet. VII. *Poſt Summorum Pontificum electiones ad Franciæ dumtaxat Reges uti Romanorum Patricios miſſi Legati.* VIII. *Eorumdem Pontificum electiones libere abſque ullo Imperatorum conſenſu, & confirmatione factæ. Capitula Lotharii de re ipſa expenduntur.* IX. *Adriani II. electio exiſtentibus Romæ Imperatoris miſſis non intereſſentibus, neque aſſenſum præbentibus facta.* X. *Ludovici, & Ottonis I. edicta de libertate electionis Romanorum Pontificum.* XI. *Nicolai II. conſtitutio de jure electionis Romani Pontificis corrupta, ſuæ integritati reſtituitur.*

I. SIgibertus hiſtoricus Schiſmaticus Henrici Imperatoris partes propugnans adverſus Romanos Pontifices, in gratiam ejuſdem Cæſaris commentus eſt fabulam Synodi Romanæ centum quinquaginta trium Epiſcoporum, in qua Adrianum Papam Carolo M. Patriciatus dignitatem tribuentem, eum, ejuſque ſucceſſores ſingulari decoraſſe privilegio memorat, non ſolum confirmandi novi Pontificis electionem, ſed, quod hactenus fuit inauditum, ſola, ac propria auctoritate jus eligendi Pontificem Maximum pro libito; Præterea Archiepiſcopos, & Epiſcopos in ſingulis Provinciis, & Urbibus, per inveſtituras præficiendi vacantibus Eccleſiis: *Videns*, inquit Baronius ad annum DCCLXXIV. num. 9. *quod iſta per veteres ejus temporis hiſtoricos probari minime poſſent, quid fecit? in gratiam Schiſmatici Imperatoris vindicantis ſibi Eccleſiarum inveſtituras dolo malo in ſua Chronographia anno geſta ſuperiori poſuit*. Poſt Sigibertum majori apparatu hujuſmodi fabulam poſteritati commendavit Melchior Goldaſtus, qui *tom. 2. Conſtitut. Imperial.* ad annum Chriſti DCCLXXIV. memoratam Synodum finxit

finxit præceſſiſſe celebre, ac nunquam auditum Senatuſconſultum de lege Regia, quo, a Senatu, Populoque Romano jus omne, ac poteſtas Carolo conlata fuit per Patriciatus dignitatem, & ab Adriano Papa Synodum ipſam habitam memorat in Baſilica Lateranenſi, in qua cum conſenſu tot Epiſcoporum, omni Clero, & Populo coacto jus illud decretum eſt. Commentitium Senatuſconſultum, & ſimilem Synodum inſeruit Imperialibus a ſe editis Conſtitutionibus hoc perinde falſo addito titulo: *Senatuſconſultum Romanum de lege Regia, quo a Papa, Senatu, Populoque Romano jus omne, ac poteſtas Carolo Magno, & in eum confertur; Item de electione Romani Pontificis, & Inveſtituris Epiſcoporum Romæ conſtituta eſt Synodus a B. Adriano Papa in Patriarchio Lateranenſi, videlicet in Eccleſia S. Salvatoris, quæ reverentiſſime celebrata eſt a centum & quinquaginta tribus viris religioſis, & ordinibus hujus almæ Urbis, a cuncto etiam Clero hujus S. Romanæ Eccleſiæ exquirentibus uſus, leges, & mores ejuſdem Eccleſiæ, & Imperii, quemadmodum etiam hæreſes, & ſeditiones aboleri poſſent, de Sede Apoſtolica, & dignitate PATRICIATUS, & Romano Imperio, ex quibus omnibus nimius error creſcebat in univerſo Orbe.* Quare in notis ad ipſum Senatuſconſultum a Theodorico Anien. adornatis apud eumdem Goldaſtum notatum legitur: *Ad eorum quoque exemplum præfatus Adrianus Papa cum omni Clero, & Populo, ac univerſa Sancta Synodo conceſſit Carolo Auguſto omne ſuum jus, & poteſtatem eligendi Summum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem, dignitatemque PATRICIATUS; inſuper Archiepiſcopos, Epiſcopos per ſingulas Provincias ab eo accipere inveſtituras definivit.*

II. Ad fidem falſæ huic Synodo conciliandam Goldaſtus alteram commentus eſt fabulam, qua Senatum, Populumque Romanum non abſimile de lege Regia Senatuſconſultum edidiſſe prodit pro Ottone I. Imperatore; ipſi-

ipſimet Ottoni par jus tribuiſſe. Enimvero, ut idem narrat, Adriani I. exemplo in Lateranenſi Eccleſia coacta Synodo illi Romani Patriciatus dignitatem, jus eligendi Pontificem maximum, Archiepiſcopos, & Epiſcopos per inveſtituras vacantibus Eccleſiis præficiendi contulit. Eadem repetit & ad annum CMLXIV. quum ſcribit:

Senatus conſultum Romanum de lege Regia, quo, a Papa, Senatu, Populoque Romano jus omne, ac poteſtas Ottoni I. Imperatori, & in eum confertur, item de electione Romani Pontificis, & inveſtituris Epiſcoporum.

Convenit Apoſtolico moderamini petentibus benevola compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis, alacri devotione præbere aſſenſum. Idcirco ad exemplum B. Adriani Sedis Apoſtolicæ hujuſmodi Epiſcopi, cujus vitam, & actionem ſatis diſcretam audivimus, & rationabilem admodum in ſuis ſpiritualibus ſanctionibus recognovimus. Idem enim S. Vir Sanctam Synodum congregavit, & in præſentia omnium, eorumque anctoritate Domino Carolo inviċtiſſimo Regi Francorum, & Longobardorum, ac Patricio Romanorum, ſuiſque ſucceſſoribus Regnum Italiæ, PATRICIATUS dignitatem, & ordinationem Sedis Apoſtolicæ; inſuper, & Epiſcopatuum inveſtituras velut ipſi cum diſcretione, & reverentia debitum fuerit &c. per quos tam Pontifici ſummæ Sedis, quam Archiepiſcopis, ipſe Carolus reliquit. Igitur nos Leo ſervus ſervorum Dei Epiſcopus ad idem exemplum B. Adriani cum cuncto ſimiliter Clero, & univerſo Populo Romano omnibus ordinibus hujus almæ Urbis, ſicut in ſuis ſcripturis apparet, conſtituimus, confirmamus, & corroboramus, & per noſtram Apoſtolicam authoritatem concedimus atque largi-

 mur

mur Domino Ottoni I. Auguſto Teuthonicorum Regi providentiſſimo &c.

III. Gratum ſibi non uno nomine figmentum avide, libenſque arripuit Joannes Chriſtianus Hünig, iiſdemque fere verbis Melchiorris Goldaſti Lectoribus obtruſit, inſeruitque Codici ſuo diplomatico Italiæ *tom.* 1. *diplom.* 1. *ſect.* 1. & infra *diplom.* 3. Joannes Chriſtianus bene de Italia noſtra meruiſſet, ſi ab eo volumine hujuſmodi ineptias abegiſſet, & fallaces merces. Has tamen, quum paſſim, nulloque delectu miſceat, opus ſuum laude exuit, & pretio. Falſiſſimæ autem conceſſionis Bullam refert Barboſa *in jus Eccleſiaſt. cap.* 1. *num.* 51. *tom.* 1. Pariſiis inter præcipuos Regni Theſauros aſſervatam fuiſſe fretus auctoritate gloſſæ in pragmatica ſanctione ſub titulo de Annatis, verbo Regaliæ. Sed non eſt, cur de recentium ſcriptorum queramur oſcitantia. Eodem vitii genere peccavit & Gratianus, quem nimia credulitate ductum Decreto Canonico hujuſmodi fabulas inſeruiſſe merito dolent Baronius ad annum DCCLXXIV. Severinus Binius *in notis ad vitam Adriani Papæ tom.* 8. *Concilior. Labbei*. Et Cabaſſutius in notitia Conciliorum in Concilio Lugdunenſi II. Oecumenico IV. *pag.* 431. Canone Siquidem altero ſupra vigeſimum incipiente *Adrianus diſtinct.* 63. Sigiberti impoſturam deſcribit; eamdemque ſequenti Canone repetit. Hos Canones more pecudum, ſi ita loqui fas ſit, ac cæco quodam impetu multi ſunt ſequuti: præſertim qui ſtudio tenebantur fovendi partes Imperatoris de hujuſmodi Pontificis electione, Sedique Apoſtolicæ infenſi ejus jura, ac liberam Romani Pontificis electionem perturbant. Fateri tamen cogimur nonnullos imprudentia potius, quam malo in Apoſtolicam Sedem animo a Gratiano, & Sigiberto fuiſſe deceptos. Quamobrem tametſi uno omnes implicentur errore, non una tamen omnes cauſſa in errorem egit, duxitque voluntas. Ex unoquoque genere ſatis ſit promiſcue hic indicaſſe

dicaſſe Henricum Arniſe de Republic. *lib.* 1. *cap.* 5., *&* *de translatione Imper. Roman. num.* 1. *pag.* 227. Leonardum Hutterum *in action. contra Gretſerum de munificent. Imperat. erga Sedem Romanam cap.* 4. *pag.* 36. Damianum *ſuper ordinat. Pontificis Romani* Joannem Jacobum Draconem de origine, & jure Patric. *lib.* 2. *cap.* 6. *n.*7. Duar. *de Sacr. Eccleſiæ miniſter. lib.*3. *cap.*11. Boet. Epo *lib.* 1. *de Regalibus num.* 155. Barboſam *in jus Eccleſiaſtic. cap.* 1. *num.* 51. *& ſeqq. tom.* 1. Petrum Delalande *in ſupplement. Concilior. antiq. Galliæ* a Jacobo Sirmundo editorum ad annum DCCLXXV. in notis ad Epiſtolam Adriani Papæ ad Bertherium Epiſcopum Viennenſem. Joannem Mabillonium *de re diplomatica lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. Et in Muſeo Italico in *commentar. ad ordinarium Romanum*. Hos inter nimia imprudentia, ac temeritate ductus adeo effutivit Duar. loco indicato, ut nec conceſſionem illam ex Pontificis gratia, & liberalitate profectam exiſtimaverit, ſed veluti hominis ultro bonam fidem agnoſcentis confeſſionem venditaverit, quaſi nimirum nil Carolo Adrianus largitus fuiſſet, ſed totum illud jam competiiſſet ſuo jure eidem Carolo. Noviſſime denique Euerardus Otto, Vir a Catholica Religione alienus *diſſertat. juris publici, & privati, diſſer.*1. de re ipſa agens non tantum falſum, quam audacem præfixit diſſertationi titulum: *De Jure Imperatoris circa electionem Romani Pontificis*. Sed eam Conceſſionem, & Canones tanquam ſpurios, & commentitios eſecratione, & obliteratione digniſſimos notant Baronius recitato paullo ante loco, Joannes Morinus in ſuis lucubrationibus, *de origine, & progreſſu temporalis Romanor. Pontificum poteſtatis*, Azorius Inſtitut. moral. par.2. *lib.*4. *cap.* 2. *q.* 3. Suarez de defenſ. Fidei Cathol. contra Anglicanæ Sectæ errores *lib.* 3. *cap.* 29. Seraphinus de Feitas de juſto Imperio Luſitano Aſiatico *cap.* 6. *num.* 100. & 101. Bellarminus in Apologia pro reſponſ. ſua ad lib.

Regis Angl. *c.6. in to.7. ſuorum oper.* Bonaccina *de elect. Pontific. q.1. propoſ. unica n.19.* Natalis ab Alexandro *hiſt. Eccleſiaſt. ſæculo* 8. *cap.* 1. *tom.* 5. Nicolaus Alemannus *diſſert. de Lateranen. parietinis cap.* 10. Petrus de Marca *de concordia lib.* 8. *cap.* 12. Joannes Cabaſſutius in notitia Concilior. in Concilio *Lugdunen.* 2. *Oecumenico IV. pag.* 431., & Franciſcus Pagius *in breviario geſtor. Summorum Pontificum in Adriano I. ad annum DCCLXXIII.*

IV. Revera nulli unquam apud Chriſtianos Regi eam poteſtatem tributam fuiſſe legimus; multo minus e Regibus quemquam eam aliquando adhibuiſſe. Fuiſſe quidem Ægyptiorum, & Perſarum Reges diu lateque & Duces belli, & Dominos Cæremoniarum Diotogenes Pythagoricus apud Strobæum *de Regno*, Plato *in politic.* & Ariſtoteles 14. *politic. XI.* teſtantur. Hebræorum Regem Dei juſſu unctum jus loquendi in Sanctuario, inſpectionem ſacrorum, poteſtatemque habuiſſe eligendi, & deſtituendi Pontificem Maximum, Salomonis prodit hiſtoria. Idem etiam, qui rerum ſacrarum potiebatur apud Romanos, erat Pontifex Maximus. At alia longe fuit inſtituta a Jeſu Chriſto Salvatore noſtro Sacerdotii novæ legis ratio; nec unquam in orthodoxa Eccleſia profanorum Principum arbitrio id genus poteſtatis collatum eſt. Sed ut hujuſmodi conceſſionis privilegii falſitas undique pateat, reticenda non ſunt rationum momenta, quibus præſtantes eruditione viri, qui illud propugnarunt, nituntur. Quantum enim ſpectat ad Synodum Adriani juſſu Romæ habitam, tametſi Franciſcus Pagius recitato loco non a Sigiberto ejus fabulam confictam putet, cum in editione ejuſdem ab Auberto Mitreo exemplaribus MM. SS. collata, ejus Synodi nulla occurrat mentio; ſed potius alicui interpolatori cenſeat eſſe tribuendam, certum nihilominus videtur ab ignoto homine putidiſſimoque figmenti auctore illam ſcriptam eſſe anno ab ortu Salvatoris centeſimo duodecimo ſupra milleſimum: annis ſcilicet

cet tercentis, & triginta octo elapſis ab eo tempore, quo res acta fingitur. Auctor Schiſmaticus fuit Henrico Imperatori Schiſmatico favens, ut ex ejus ſcriptis facile liquet, in cujus gratiam hujuſmodi fabellam pro arbitrio commentus eſt, ac omnium primus ineptiſſime, & infeliciter luſit. Teſtes propterea hujus fictionis advocandi ſunt, qui Caroli M. res pace, belloque geſtas ſuæ poſteritati diligentiſſime commendantes, de hac Synodo, quæ negocium longe maximum continebat, & ſacratiſſimum, ne verbum quidem fecerunt, ſed altum apud omnes ſilentium eſt; nec enim adeo gravem, & quæ ad Imperatorem, & Romanam Eccleſiam ſummopere pertinebat, Eginardus in vita Caroli, Anaſtaſius Bibliothecarius in Adriano I. aliique antiquiores indictam reliquiſſent, ſi revera, ut fingitur, contigiſſet. Anaſtaſium certe Joannes Mabillonius & Auguſtinus Barboſa Eginardum minime legiſſe videntur, quippe qui falſum eorumdem teſtimonium afferunt in Muſeo Italico commentario Mabillonius illuſtrans Ordinarium Romanum, & Barboſa in *to.* 1. *juris Eccleſ. cap.* 1. *num.* 51. Novi equidem argumentum a ſilentio antiquiorum petitum non ſemper vim habere maximam; habet tamen præcipuam, *præſertim vero ad eludendum commenta ab impoſtoribus, ut nos decipiant, ſæpenumero conficta*, ut docet idem Mabillonius in tractatu *de ſtudiis monaſticis tom.* 2. *cap.* 13. agens de critica, & regulis ab ipſa ſervandis; fateturque id genus figmenta, *negativo tantum argumento confutari poſſe*. Ineſt enim illi ratio ſatis valida, quæ lectorem merito moveat. Antiquis enim ſcriptoribus antiqua narrantibus fides eſt adhibenda. At vero fieri vix potuit, ut inauditum, ac ſummum Carolo M. a Romano Pontifice delatum privilegium coram tot Epiſcopis, & religioſis viris, omni Clero, & Populo ſtatim non innotuerit, neque ullus tantæ rei monumentum ſcriptis mandaverit; quin etiam per tria, & ultra ſecula ignotum omnibus fue-

fuerit, & latuerit; quando non una ſeſe præbuit occaſio illud memorandi, & objiciendi. Summum vero præſidium, & adjumentum illis attuliſſet, qui Imperatorum, & Regum conſenſum in electionibus Epiſcoporum requirendum eodem ſeculo octavo contendebant. Certe Florus Magiſter in tractatu de electione Epiſcoporum, quem ſcripſit circa annum octingenteſimum vigeſimum, conſenſum Regis *conſuetudine* inductum probabat. Lupus Ferrarienſis Abbas *in epiſt.* 81. ad Amulium Archiepiſcopum Lugdunenſem, qui de jure Regum in electionibus ſtabiliendo pertractat, omne robur trahit *a conceſſione Zachariæ* Pipino tum majori domus facta, non omiſſurus privilegium ab Adriano in Romana Synodo Carolo Magno collatum, ſi id re vera exſtitiſſet.

V. At vero, quemadmodum nunquam hujuſmodi Synodus coacta fuit, & id decrevit, ita nec apud antiquos Scriptores illius mentio potuit occurrere. Profecto ob Saxonum bellum, quod illo anno gerebatur perdifficile erat celebrari conventum generale Epiſcoporum centum quinquaginta trium; minus credibilia ſunt, quæ de Carolo M. eadem occaſione narrantur. Brevi enim temporis intervallo dicitur Princeps ipſe poſt Paſcha ad caſtra Papia rediiſſe: Urbem illam Regni Longobardorum caput ad deditionem compuliſſe; illique rebus compoſitis Romam revertiſſe; Inde Spiram petiiſſe; Et Laureshemenſis Eccleſiæ dedicationi interfuiſſe poſtridie auguſti. Non parum enim repugnat veterum teſtimoniis, neceſſarius pro Synodo celebranda duplex in eodem anno Caroli in Urbem adventus. Eginardus ſiquidem, qui ejus lateri adhærebat, omnem de his aufert dubitationem perſpicue affirmans, Carolum nonniſi quater Romam ſe contuliſſe. Primus ipſius adventus fuit adverſus Longobardos, alter ſolvendi voti cauſſa, tertius contra Ducem Beneventanum, Quartus denique ad Leonem III. ſuæ ſedi reſtituendum. De quinto autem adventu, uno, eodem-

eodemque anno ſequuto nulla apud ipſum mentio fit. Qua de re optime obſervat Severinus Binius in notis ad vitam Adriani PP. *Si verum eſt, quod Sigebertus ait, non quater, ſed quinquies Romam veniſſet Carolus*.. At quid ultra quærimus? ipſimet hujus fabulæ auctores efficere minime potuerunt, quin ingeſtis ejus narratione rebus, & verbis, eo ſeculo prorſus ignotis, nec adhuc uſu receptis aperte oſtenderint confictam a ſe fabulam recentem fuiſſe: *Ab Adriano Pontifice* (verbis utar Nicolai Alemanni *in diſſertat. de Lateranen. parietin. cap.* 10. *n.* 1.) *jus illud Carolo Auguſto in Pſeudo-ſynodo affirmatur? quis neſciat longe poſt Adriani mortem eum Auguſtum fuiſſe ſalutatum; ſed ſit ita. Sane quid ſubditur? At Carolum jam Cæſarem non ſumpſiſſe, ſed ut par erat, depoſuiſſe Patricii nomen a Scriptoribus illius ævi accepimus*: Inveſtituræ itidem nomina, atque vocabula ad ſignificandum Epiſcopatuum inſtitutionem uſurpata, recentiora ſunt ævo Caroli M., ut pluribus adductis hiſtoriæ, ac rationum momentis oſtendit Natalis ab Alexandro *hiſtor. Eccleſiaſt. ſeculo* 8. *cap.* 1. *tom.* 5. At hic non poſſum juſtiſſimam Cardinalis Baronii querelam in Sigibertum non repetere: *Commentitia iſta*, inquit, *erant exſufflanda, & ut par erat, execrationibus inſectanda cum auctore illius, penes quem, licet Monachum, tantum valuerit gratia Imperatoris ab Eccleſia diro ſchiſmate alieni, ut ad eam promerendam cum diſpendio æternæ vitæ uti hiſce malis artibus non ſit veritus, nimium, nimiumque ſuæ ſalutis oblitus*: Hæc digna in eum animadverſio facile oſtendit cenſores Romanos falſitatem illorum Canonum probe exploſiſſe; quod tamen Euerardus Otto perperam cenſet, eos omiſiſſe, nec quidquam adverſus illos notaſſe. Poterat autem is omittere frigidam illam rationem, quod nimirum, collectores Sigiberto æquales Canonem, de quo agimus, Synodi Lateranenſis ab Adriano habitæ veluti genuinum agnoverint. Eadem enim mo-

momenta, quæ Sigiberti commentum, & impoſturam evincunt, nimiam quoque collectorum Sigiberto æqualium credulitatem, ſimplicitatem, vel inſcitiam comprobant. Qui de cetero fabulam a Sigiberto confictam referentes nec majorem fidem, quam auctor ſuus meretur, inſulſæ fabellæ, atque figmento ineptiſſimo minime adſtruunt, nec jure conciliant.

VI. Atqui non ſolum allata longe validiſſima rationum momenta notatæ Synodi fabulam clare oſtendunt, verum etiam illorum temporum uſus circa Epiſcoporum electiones, & quoque proximus huic tempori ſequutus eventus. Siquidem Epiſcopi per electionem Cleri, & Populi libere eligebantur juxta ſacrorum ſtatuta Canonum, de quibus conſtitutiones ipſorum Francorum Capitularium loquuntur. Libro enim 1. *cap.* 84. hæc habentur: *Epiſcopi per electionem Clericorum, & Populi ſecundum ſtatuta Canonum de propria Diœceſi, remota perſonarum, & munerum acceptione ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur*: Qua de re ſcite notat memorato ſuperius loco Binius: *Eidem Sigiberto repugnant conſtitutiones Capitularium Francorum*. Hinc præterea vacante poſt mortem Gratioſi Archiepiſcopi Eccleſia Ravennate, Carolus M. voluit Regios miſſos allegare, qui novi Antiſtitis electioni intereſſent, qua de re commonitorium dedit Ermemberto Presbytero, ut illud Adriano Primo redderet. Atque id facultatis ſibi Patriciatus ratione arrogaſſe, ex ejuſdem Adriani literis aperte colligitur, in quibus Carolum alloquens *epiſt.* 71. Codicis Carolini ſcribit: *Sicut in commonitorio illo referebatur pro honore veſtri Patriciatus nullus homo eſſe videtur in mundo, qui plus pro veſtræ regalis excellentiæ decertare moliatur exaltatione, quam noſtra apoſtolica aſſidua deprecatio*: Caroli autem poſtulata rejecit Adrianus, teſtans neque Pipinum, neque ipſum Carolum, licet Romanorum Patricii eſſent, auctoritatem ullam in

Ra-

Digitized by Google

Ravennatum Antiſtitum electionibus ſibi vindicaſſe. Nam quod Hucbaldus pro aliis negociis a Carolo M. Romam. miſſus novi Archiepiſcopi electioni interfuerit, nullum inde jus eidem Carolo oriri potuiſſe dicebat, quum Stephani IV. tantum juſſu Hucbaldus ille Ravennam petierit, ut impii Deſiderii Longobardorum Regis conatus infringeret, qui Michaelem quemdam ſibi addictiſſimum in Ravennatem Eccleſiam tentabat intrudere; quo facilius Romanæ Eccleſiæ Exarchatum, atque Pentapolim poſſet auferre. Porro ſi facultas præficiendi Eccleſiis vacantibus Archiepiſcopos, & Epiſcopos, eoſque inveſtiendi in ea Synodo Carolo tributa fuiſſet; Carolus ipſe certe non omiſiſſet jure ſuo allegare Ravennam miſſos, ut Archiepiſcopi electioni intereſſent, nec ad id peragendum & obtinendum ulla Pontificis conceſſione indigebat. Multo minus Adrianus ipſum monuiſſet, nullum jus ratione Patriciatus illi competere, objicens morem diu ſervatum a temporibus uſque Pipini Patris fuiſſe, ut decreto Cleri, & plebis ad Sedem Apoſtolicam perlato, proprium Antiſtitem ſibi conſecrandum peterent. Idipſum patet ex altera Adriani epiſtola ad Carolum data anno DCCLXXXIV., in qua eidem denunciat Epiſcopatum in Regno Longobardico conſtitutorum ordinationes ab ſe factas poſt Cleri, & Populi decretum ad ipſum, miſſum. Nullum igitur jus inveſtiendi, ſeu inſtituendi Epiſcopos cum Patriciatus dignitate Adrianum Carolo conceſſiſſe conſtat.

VII. Præterea, ut recte, ſciteque arguit Franciſcus Pagius in breviar. hiſtorico geſtor. Summ. Pontificum in Adriano: *Multo minus ergo conceſſiſſet Carolo jus eligendi Romanum Pontificem*: Enim vero quemadmodum Cabaſutius in notitia Concilior. agens de Concilio Lugdunen. 2. *pag*. 431. animadvertit: *Ex quo tempore Carolus M. Longobardorum Rege Deſiderio ſuis armis profligato Romanam Eccleſiam in libertatem vindicavit*, *Romanis*

manis deinceps liberæ ſuerunt Summorum Pontificum electiones ad Leonem uſque VIII. Quod ſi memorati Scriptores ab ipſo Adriani obitu ſequentes Romanorum Pontificum electiones diligenter advertiſſent; nullum ſane ipſius Caroli, aut alterius Imperatoris interpoſitum arbitrium, aut auctoritatem fuiſſe facillime agnoviſſent. Conſuevere ſolum Romani Pontifices poſt ipſorum electionem Cleri ſuffragiis libere peractam ad ipſum Carolum uti Romanorum Patricium Legatos mittere. Sic Leo pontificalem Thronum adeptus mortuo Adriano legationem ad Carolum deſtinavit, qua, & mortis Adriani, & ſubſequutæ Leonis electionis nuncium accepit, ut patet ex ejus reſponſo quod exſtat in epiſt. 84. Alcuini: ex cujus literis Pagius ad Annales Cardinal. Baronii ad annum DCCXCVI. num. 4. animadvertit: *Pontifices Romanos poſt ſuam ordinationem Legatos ad Francorum Reges, tanquam ad Romanorum Patricios, ac Defenſores miſiſſe*: Quod agnovit, faſſuſque eſt, & alter Pagius in recitato breviar. hiſtor. geſtorum Summ. Pontificum in Stephano III. Id certe demonſtrat nullum jus Carolo fuiſſe conlatum in illa commentitia Synodo eligendi Romanum Pontificem. Leonis enim electio poſt obitum Adriani, qui accidit die 25. Decembris anno DCCXCV. ſtatim die ſequenti ſequuta eſt: *Divina inſpiratione, una concordia, eademque voluntate a cunctis Sacerdotibus, ſeu Proceribus, omni Clero, & Populo, necnon ab optimatibus, & cuncto Populo Romano Dei nutu in Natali Beati Protomartyris Stephani; & ſequenti die Natali S. Joannis Apoſtoli in Sede Apoſtolica ordinatus eſt*. Ut narrat Anaſtaſius Bibliothecarius in Leonis vita. Si vera Adriani fuiſſet conceſſio, Clerus, & Populus ſtatim profecto oblitus non eſſet ſolemnis Senatuſconſulti, nec generalis Concilii; tum ad novi Pontificis electionem tam proſpere, atque celeriter non proceſſiſſet inconſulto Carolo, de cujus jure longe ampliſſimo, ac ſacratiſſimo agebatur.

Digitized by Google

batur. Quis autem credet Carolum novo hoc privilegio ſuffultum de Romanorum auſu minime fuiſſe commotum, & abſque ullo indignationis argumento Legatos ad ſe miſſos a Leone de electione, & ordinatione ſua humaniter excepiſſe; imo eodem tempore, eademque epiſtola per peculiarem Legatum ad eumdem Leonem deſtinatum mentionem de hujuſmodi miſſis ingeſſiſſe, ab eoque ſui Patriciatus confirmationem poſtulaſſe? Profecto ſi illud tam illuſtre jus, ac privilegium ſuæ dignitati Patriciatus recens ablatum fuiſſet, eam occaſionem non omiſiſſet Carolus, qua ſe in ejus quaſi poſſeſſionem immitteret; vel, ſi idem contra fas, a Romanis violatum fuiſſet expoſtulare non omiſiſſet injuriam, eo adhibito remedio, quod æquitas poſtularet, & exigeret ratio.

VIII. Fruſtra vero fabulæ hujus patroni reſpondent, Carolum M. eximia moderatione uſum jure ſuo fuiſſe, & antiqua comitia, modo ſine tumultu fierent, Clero, & Populo permiſiſſe ſalva ſibi confirmandi electum facultate. Nam præterquamquod hæc reſponſio arbitraria omnino eſt, nulloque hiſtoriæ nixa fundamento; & ut ſcite recitato paullo ante loco notat Binius: *Fortaſſe dicis oblatum privilegium recuſavit? Illud pro hujus loci interpretatione afferri poſſet, ſi aliqua auctoritate probatum foret, quod Sigibertus ſuo ingenio excogitatum primus annis ab hinc tercentum, & quadraginta duobus in vulgum emiſit*. Certe idem Leo, ut vidimus, ſequenti die poſt electionem abſque Caroli confirmatione eſt ordinatus; nec confirmatio acceſſiſſe potuit, quum Carolus Roma abſens eo tempore in Galliis moraretur. Poterant autem alterum illi commentum ac præcipuum obtrudere Caroli diploma, quo hujuſmodi electi Pontificis confirmationis jus Clero, & Populo Romano denunciaretur, ut dignum tali patellæ operculum quæreretur. At ſicuti nulla apud veteres de jure eligendi Pontificem occurrit mentio, ita nec de jure confirmandi electum re-

 peri-

peritur inditium. Nec Carolus ipſe quadriennio poſt Romam profectus ullum pactum de re hujuſmodi cum Leone III. pepigit, quo tempore ſicuti fuiſſe ſolicitum vidimus de retinendo Patriciatu, ſtatuere quoque non omiſiſſet ſtabilitatem præcipui muneris, ac juris ejuſdem dignitatis, nimirum electionis, aut confirmationis Romani Pontificis. Conſtat præterea Leone ipſo Pontifice Max. vita functo anno DCCCXVI. undecima die Junii electum fuiſſe Stephanum IV., & die altera ſupra vigeſimam ordinatum, ut refert Pagius in breviar. geſtor. Roman. Pontific. agens de eodem Stephano; Legatos autem pro obtinenda a Ludovico Pio ejuſdem confirmatione miſſos fuiſſe nuſquam legimus; quin imo tam parvo temporis ſpatio mitti, ipſique inde Romam redire non poterant. Illud autem ſine animadverſione prætereundum non eſt, quum Paſchale I. extincto, duo per populi ſeditionem electi fuiſſent Romani Pontifices, ac vincente factione nobilium Eugenius II. eſſet ſubinde ordinatus, idem Ludovicus Pius ſtatim ac de ea re a Quirino Legato Apoſtolicæ Sedis in Galliis commorante certior factus eſt: *Conventu circiter VIII. Kalen. Julii pronunciato, atque compendii habito, cum ipſe ad Brittanicam expeditionem per ſe faciendam, animo eſſet intento, Lotharium filium Imperii ſocium Romam mittere decrevit, ut vice ſua functus, ea quæ rerum neceſſitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice, Populoque Romano ſtatueret atque firmaret*: ut ſcribunt Annales Eginardi, & Bertiniani ad annum Chriſti DCCCXXIV. Lotharius Romam venit, ſedatiſque tumultibus, varia cum Eugenio II. capitula edidit pro ſervanda in Urbe, ac Pontificiæ ditionis Provinciis pace, ac tranquillitate, qua de re ſuperiori item capite mentionem fecimus. Conſtitutum inter alia tunc fuit, ut electus Pontifex non conſecraretur priuſquam, an electio libera fuiſſet, Imperatori innoteſceret. Si jus illud inſtituendi, vel confirmandi

mandi Romanum Pontificem Ludovico jamdiu competiiſſet ratione Patriciatus, vel commentitiæ illius Synodi, aut ſaltem ejus facultatis, quam Carolus M. ſibi electum dumtaxat confirmandi reſervarat; poſtremis hiſce capitulis non conceſſiſſet liberam Clero, & Populo facultatem creandi Pontificem, ſolo, ſibi jure reſervato non quidem confirmandi, ſed noſcendi an libere facta eſſet, & ſine ſeditioſa contentione electio. Verum ab ea quoque conventione receſſum fuit in Leonis IV. inauguratione, qui anno DCCCXLVII. nullo expectato Imperatoris aſſenſu conſecratus fuit ut legitur apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Leone IV. Illud etiam hic opportune notandum: ea Lotharium ſanxiſſe capitula, non imperatorio jure, ſed neceſſitate tantummodo cogente, ad ſchiſmata, & ſeditiones vitandas, quas radicitus evellere, & ipſe ceu Patris in Imperio collega, & idem Ludovicus Pius uti Romanæ Eccleſiæ Advocati, Patricii, & Defenſores debebant, ut ex iis, quæ ſuperiori capite diximus ſit perſpicuum.

IX. Sane, quod Ludovicus Pius quidquam in electionibus Stephani IV., & Paſchalis I., vel uti Imperator, vel tanquam Romanorum Patricius nequaquam exegerit, clare colligitur ex ſubſequenti electione Adriani II. ab Anaſtaſio Bibliothecario accurate deſcripta. Erant tunc Romæ Imperatoris miſſi, quibus ægreferentibus: *Quod ſe*, (ut idem ait Anaſtaſius) *dum præſentes eſſent, Quirites non invitaverint, nec optatæ a ſe futuri Præſulis electioni intereſſe conſenſerint*: Romani ipſos, ea ratione placarunt: *Quod non Auguſti cauſa contempta* (ut ait Anaſtaſius) *ſed futuri temporis, hoc omiſſum fuerit omnino proſpectu, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Præſulum mos expectandi per hujuſmodi fomitem inoleſceret*: Quamobrem iidem Legati nullum jus, aut privilegium obtendentes, quo evinceretur Summi Pontificis electionem, vel confirma-

firmationem ad Imperatorem ſpectare : *Omnem ſuæ mentis indignationem medullitus ſedavere , ac ad ſalutandum electum , humiliter acceſſerunt* . Tantum vero abeſt , ut ipſemet Ludovicus II. Imperator violata tunc Imperii jura cenſeret , quin potius accepto unanimis electionis nuncio , *Mox imperialem , ſcribens epiſtolam , cunctos Romanos , quod dignum tanto elegiſſent officio Præſulem collaudavit , per quam videlicet innotuit , nulli quidpiam præmii fore ex conſecratione ipſius quoquo modo polliciendum , cum ipſe hanc non ſuorum ſuggeſtione , ſed Romanorum potius unanimitate commotus ardentiſſime cuperet provenire , maxime cum reddi , quæ ablata fuerant , non auferri ab Eccleſia Romana vel deperire quidpiam ſe diceret amare* , ut ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius , ex quibus nullum , de juris eligendi , vel confirmandi Pontificis ratione verbum loquutum fuiſſe Ludovicum Imperatorem noſcitur . Si autem aliquando poſt renovatum Imperium Imperatores ſeſe ingeſſiſſe in electionibus Pontificum certo modo reperitur ; id non Imperatoria poteſtate , aut aliquo Patriciatus jure tale quidpiam uſurparunt , ſed ad ſedandas contentiones , majoriſque mali tollendi cauſſa præſtiterunt , maxima , aut ſaltem potiſſima urgente neceſſitate . Qui plura hac de re noſse cupit adire poterit Virum Clariſs. Joannem Marangonum amicum noſtrum pietate, eruditione, multiſque vulgatis operibus literariæ Reipublicæ notum , qui peculiari , ac inſigni tractatu prope diem edendo , liberam electionem Romani Pontificis ab ſuffragio *Excluſivo* , ut vocant Regum , & Imperatorum , Sacro Purpuratorum Patrum collegio vindicabit , & a primo hujuſmodi electionis exordio tanti negocii illuſtrabit hiſtoriam : In ea validiſſimis rationum fultus momentis , mendacium ſcriptorum fabulas refellet , & inania commenta ; demonſtrabitque ampliſſimum S. R. E. Senatum quandoque ad morem iis gerendum eorumdem dumtaxat preces juxta tem-

temporum opportunitatem duxiſſe admittendas.

X. Ceterum a nobis minime videtur prætereundum, quod Baronius, aliique paullo ante memorati Scriptores de alio non diſpari jure, & privilegio a Pſeudo-pontifice Leone dicto VIII. Ottoni I. Imperatori conlato firmarunt, nimirum ejuſdem furfuris illi auctorem fuiſſe, qui fuerat alteri Adriani nomine vulgato. Profecto idem ſe tribuere Ottoni falſus ille Pontifex profitetur, quod olim Carolo Adrianus conceſſerat; de quo fuſe agit Severinus Binius in notis ad vitam ejuſdem Leonis, doletque ſimili imprudentia Gratianum decreto Canonico inſeruiſſe commentitium privilegium. Certe de re ipſa altum itidem apud antiquos Scriptores eſt ſilentium. Lubet autem & aliud maxime validum ad larvas ipſas, atque fallacias refellendas afferre argumentum, nimirum apertis omnino documentis conſtare, Carolum Magnum, Ludovicum Pium, & Ottonem abfuiſſe quammaxime, ut ſibi arrogare voluerint electiones Romani Pontificis, & inveſtituras Epiſcoporum. Enim vero, quæ a Carolo ſtatuta fuerunt pro Eccleſiarum libertate, liberiſque Antiſtitum electionibus leges in ſuis Capitularibus *lib.* 1. *cap.* 84. quos ſupra recitavimus: Edictum quoque Ludovici, & Ottonis Imperatorum de libera Pontificis Max. electione occurrit apud Gratianum *in Can. Ego Ludovicus & Can. Conſtitutio diſtinct.* 63. Ex quibus refugiſſe potius ſeſe hujuſmodi electionibus immiſcere videtur, quam in iis partem habere curaſſe. Quamvis nobis non parum, & iſti Canones ſint ſuſpecti, utpote falſo nixi fundamento, ac prorſus commentitio in his, quæ ad hujus juris dimiſſionem pertinent. Qui tamen Gratiano referente comentitiam illam Synodum ab Adriano I. atque Leone VIII. in Lateranenſi habitam Epiſcopio, fidem habuerunt, æquo patiantur animo fidem habere ſequentibus Imperatorum edictis in decreto Canonico ab ipſo Gratiano pari ſimpliciter recitatis, quæ omnem pror-

Digitized by Google

prorſus id genus poteſtatem Carolo Magno ab Adriano I., & Ottoni a Leone VIII. ut leviſſimi quique credunt, conceſſam, prorſus exſtinguunt, & abolent. Illorum verba lubet hic deſcribere, ut quiſque noſcat, nihil novi ab ampliſſimo Purpuratorum PP. collegio fieri, ſi Regum, & Imperatorum vota ab Pontificis electione pio ſtudio, atque conatu arceant, liberamque, & abſolutam poteſtatem uſurpent. Verba Canonis *Ego Ludovicus* iſta ſunt: *Nullus ex Regno noſtro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus licentiam habeat, aut publice, aut privatim veniendi, aut electionem faciendi &c. Sed liceat Romanis cum omni veneratione, & ſine qualibet perturbatione honorifice ſuo Pontifici exhibere ſepulturam, & eum, quem divina inſpiratione, & B. Petri interceſſione omnes Romani uno conſilio, atque concordia, ſine qualibet promiſſione ad Pontificatus ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate, vel contradictione more Canonico conſecrare. Et dum conſecratus fuerit Legati ad nos, vel ad noſtros ſucceſſores Reges Francorum dirigantur, quia inter nos, & illum amicitiam, & charitatem, & pacem ſocient*: Verba vero Ottonis I. Imperatoris citato Canone ſunt, quæ ſequuntur: *Conſtitutio I. Henrici, & Primi Ottonis cum Romanis Pontificibus, ut nullus miſſorum noſtrorum cujuſcunque impeditionis argumentum in electione Romani Pontificis componere audeat, omnino prohibemus.*

XI. Ex his omnibus liquido patet, quo jure defendi poterat Henrici IV. poſtulatio tot fabulis, & commentis a Sigiberto, aliiſque per improbam adulationem ſuis ſcriptis commendata, atque provecta: quando ad vindicandam ſibi paterno jure per Patriciatum, tributam poteſtatem eligendi Summum Pontificem fœdiſſimo ſchiſmate orthodoxam turbavit Eccleſiam: poſt obitum Nicolai II. occaſione pro iniquis votis arrepta ab

corona

corona Patriciatus, quam illi ſeditioſi Cives Romani miſerunt, de quo capite ſequenti fuſior inſtituendus eſt ſermo. Jus tamen illud commentitium, objecto etiam per ipſum Nicolaum II. conceſſo, Henricus ſenioris filius tueri conabatur: ut S. Petrus Damianus ex ordine Monachorum S. Crucis fontis Avellanæ Cardinalis celeberrimus, & Oſtienſis Epiſcopus in congreſſione Regii Advocati cum Defenſore Eccleſiæ Romanæ, Advocati verba, & momenta referens tradit his verbis: *Pater Domini mei Regis piæ memoriæ Henricus Imperator factus eſt Patricius Romanorum, a quibus etiam accepit in electione ſuper ordinatione Romani Pontificis Principatum: Huc accedit, quod præſtantius eſt, quia Nicolaus Papa hoc Domino meo Regi privilegium, quod ex paterno jam jure ſuſceperat probavit*: Pontificiam hanc a Regio Advocato objectam conſtitutionem a Guideberto Antipapa corruptam, multiſque ablatis verbis, alia pro libidine fuiſſe addita teſtatur Deodatus presbyter Cardinalis in opuſculo paullo poſt conſcripto contra invaſores ſchiſmaticos, ut Baronius refert ad annum MLIX. *num.* 25. Plura quoque de re ipſa habentur in opuſculo S. Anſelmi Lucenſis Antiſtitis contra Guidebertum pro defenſione Gregorii Pontificis legitimi, quod exſtat *tom.* 11. *Biblioth.PP.* In hoc quippe pluribus Sanctorum Patrum recitatis locis Sanctus Antiſtes oſtendit nihil juris Imperatoriæ dignitati tributum fuiſſe in electione Romanorum Pontificum. Imo ne qua laicalis poteſtas ſibi quidquam in iis electionibus vindicaret, inhibitum fuiſſe. Deinde dato, quod contra leges Eccleſiaſticas & ſacra jura feciſſet, addit: *His itaque decurſis patet præfatum decretum nullius momenti eſſe, nec uſquam aliquid virium habuiſſe: & hæc dicens non præjudico bonæ mem. Papæ Nicolao, nec quidquam ejus honori derogo Patrum ſententias Dei ſpiritu conditas ſequendo: Homo quippe fuit, eique, ut contra fas ageret, ſurripi potuit. Nec*

 mirum

mirum eidem contigiſſe, cum quidam ejus deceſſor inveniatur quidquam decreviſſe, & meliori uſus conſilio poſtea immutaſſe: Siquidem Bonifacius II. legitur ex decreto ſibi conſtituiſſe Vigilium Diaconum in Pontificatu ſuccedere: quod, quia Clero Romano viſum eſt Canonibus adverſari præſente Clero ab eodem ſuppoſitum eſt igni ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli. Et certe præfatus Nicolaus divino metu concuſſus hoc idem feciſſet, ſi tot PP. ſententias nunc in unum collectas vidiſſet, eaſque ſuo decreto tam concorditer adverſari perpendiſſet: Sed quum re ipſa aliena prorſus fuerit a memorati Pontificis Maximi religione, & pietate objecta conceſſio, mox fœde corrupta, & a Regio Advocato perperam pro Henrico accepta nullam ipſi auctoritatem, aut poteſtatem in electionem Romani Pontificis contuliſſe dicendum eſt. Ex ejuſdem ſiquidem decreti, ſeu conſtitutionis verbis clariſſime patet, nihil a Nicolao dictum niſi de ſolo honore, & reverentia in hujuſmodi electione ipſi tribuenda, quod ad aliud profecto referendum non eſt, quam ad reſpectum liberæ electionis, quam de Lothario agentes Imperatore memoravimus, ut hoc modo Regia auctoritate adimerentur gravia mala, atque diſſidia ſeditioſæ plebis, quæ poſt obitum Stephani Nicolai deceſſoris evenerant, ut idem Pontifex in ejus conſtitutionis præfatione teſtatur.

De Patriciatu, a Romanis invecto.

CAPUT X.

SYNOPSIS.

I. *A Romanis ſeditioſis Patriciatus Urbis uſurpatur. Nicolai Alemanni aſſerentis Patricios Romanorum poſterioribus ſeculis Senatores, Rectores, Capitaneos fuiſſe vocatos opinio rejecta.* II. *Patriciatus hujuſmodi Pon-*

Pontificibus Maximis exoſus. Qui primum illum uſurpaverint. III. *Patricius Urbis jus dicendi poteſtatem una cum Præfecto tempore Sergii IV. arripuit.* IV. *Præfectus Urbis qui, & quam poteſtatem habuerit?* V. *Romani perduelles Henrico III. Patriciatum deferunt. Henrico item V. coronam patricialem mittunt.* VI. *Innocentio II. Pontifice Max. Senatorum ordinem conſtituunt. Iidem qui, & quot eſſent? Regalia Pontifici invadunt, & ab eo cenſum depoſcunt.* VII. *Sedente Lucio II. Magiſtratum patricium conſtituunt, de quo abrogando Eugenius III. Romanis pacem poſtulantibus conditionem proponit.* VIII. *Clemens III. abrogat patricium Magiſtratum, qui annos quinquaginta duravit.* IX. *Nicolaus III. Pontifex Maximus irritam decernit electionem Patricii factam abſque ſpeciali Apoſtolicæ Sedis auctoritate, atque conſenſu, etiamſi electus eſſet Imperator.*

I. PAtriciatus Romanorum, qui ſummis Viris principibus collatus fuit ab Romano Pontifice hactenus jura vidimus, & officia: nunc reliquum eſt, ut de eadem dignitate a ſeditioſis Romanis, vi, ac propria auctoritate ſibi uſurpata, vel aliis minorum gentium, vel ipſi quandoque Imperatori collata ſermonem inſtituamus. Nicolaus Alemannus *in diſſertat. de Lateran. parietinis cap.* 11. opinatur, poſterioribus ſeculis Romanorum Patricios Senatores Urbis, Rectores, & Capitaneos fuiſſe appellatos, quorum potentia, quum plerumque in Summorum Pontificum & Cardinalium comitiis Eccleſia potius opprimeretur, quam, ut par erat, defenderetur, Urbis adminiſtratio a Pontifice Maximo ab iis ad minorum gentium Præſides traducta fuit, lege per Nicolaum III. lata *in capit. fundamenta de electiòn. & elect. poteſtate.* Quidquid autem vir ille doctiſſimus afferat, illud potius nobis veroſimile fit, non Patricios poſterioribus ſeculis Recto-

rum, Senatorum, aut Capitaneorum nomine dictos eſſe; ſed contra, qui Urbis habebant regimen, & adminiſtrationem auctoritate Pontificis, ad majorem explicandam poteſtatem Patriciatum Romanorum uſurpaſſe, vel a ſeditioſis Romanis, invito, ac repugnante Pontifice, eam dignitatem iis fuiſſe collatam. Hoc enim Nicolaus III. ſua conſtitutione vetuit, quam infra pro re nata recitabimus; nimirum ne ullus propria auctoritate regimen Urbis, vel ſub Senatoris, Rectoris, Capitanei, aut Patricii vocabulo propria ſumeret auctoritate, nec ad illud quis deligeretur a Romanis, niſi ratam Pontifex Max. electionem haberet. Atque id certe factum videtur ad coercendos Romanorum auſus, qui Urbis regimini Præſidis, ſeu Patricii, aut alio ex deſignatis nuncupatos nomine longe ante Nicolai III. ætatem præficiebant. Ceterum ejuſmodi Patriciatus aliis a Romanis conceſſus, diuque Romano Pontifici exoſus exſtitit, qui non ſolum ejuſdem collationi, & uſurpationi aſſentitus eſt nunquam, ſed peculiari quoque conſtitutione eam damnavit, atque prohibuit.

II. Quo res fiat clarior ab exordio lubet illam repetere, ut inde pateat hujuſmodi dignitatem a Romanis perduellibus, ac factioſis collatam nunquam ſubinde a Summo Pontifice fuiſſe probatam. Omnium primus hactenus nobis notus, qui hoc Patriciatu ſibi uſurpato ejus munus per apertam Pontificis injuriam in Urbe geſſit, anno ab ortu Salvatoris nongenteſimo quadrageſimo primo occurrit quidam Albricus, de quo ſermo eſt apud Hugonem Flaviniacenſem: *Hoc anno*, ait, *Dominus Odo Venerabilis multorum Monaſteriorum reſtaurator, cum multum laboraſſet in componenda pace inter Hugonem Regem Italiæ, & Albricum Patricium Romanorum obiit Turonis*. De eodem mentio fit & apud Floroaldum Abbatem, ejuſdem ævi Scriptorem, in Chronico apud Pithæum. *Albrico*, inquit, *Patricio Romanorum defuncto, filius ejus Octa-*

Octavianus, *cum eſſet Clericus principatum adeptus fuit*. Ipſius & apud Baronium ad annum CMLII. fit mentio: quum enim Agapitus Pontifex Maximus Ottonem Regem ad Urbem invitaſſet: *Probibente*, inquit, *Albrico Principe*, *qui Urbi dominabatur*, *venire non potuit*. Ab eo Urbis principatum uſurpatum fuiſſe Patricii Romanorum titulo, & dignitate arrepta Romanis fautoribus vere opinatur Draco *de origin. & jure Patric. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 11. ſcribens: *Illud de Patricio Urbis intelligendum eſt*, *cujus dignitatem*, *& potentiam uſurpabat Albricus*. Hujus poſtea filius mortuo Patre, Principatum adeptus ipſis quoque ſeditioſis Romanis fautoribus poſt mortem Agapiti Pontificatum arripuit, ut ex eodem Floroaldo animadvertit Floravantes libro, cui titulus: *Antiquiores Romanor. Pontific. denarii in Joanne XII.* Alter Romanorum Patricius Albrico defuncto Creſcentii nomine occurrit apud Romualdum Salernitanum Archiepiſcopum in Chronico m. s. ad annum CMXCVIII., qui Pontificis ordinandi poteſtatem arripuit. Scriptor enim de Silveſtro PP. loquens. *Hic*, inquit, *mortuo Albrico*, *qui Patriciatus ſibi nomen vindicaverat a Creſcentio Numentano*, *qui Patricius dicebatur*, *Papa ordinatus eſt*. De ipſo, & Helinandus in Chronico ad annum CMXCIX. mentionem facit: *In Italia*, inquit, *Creſcens Romanorum Patriciatu arrepto contra Ottonem Imperatorem rebellat*: & ad annum MI. *Otto Imperator Creſcentem Patricium aggreditur*.

III. Alter item Joannis nomine anno decimo ſupra milleſimum tempore Sergii Quarti Papæ memoratur in Chronico Monaſterii Farfenſis apud Muratorium in collectione Scriptorum rerum Italicarum *part. altera pag.* 86. Hic una cum Urbis Præfecto poteſtatem juſdicendi uſurpavit etiam inter Eccleſiaſticos, & Religioſos Viros. In eo quippe legitur Abbatem Farfenſem in judicio fuiſſe vocatum coram Joanne Patricio, & Creſcentio Præfecto a Pre-

a Preſbyteris S. Euſtachii pro reſtitutione Eccleſiæ S. Benedicti, & S. Blaſii ad Thermas Alexandrinas, quam jidem Preſbyteri ab Abbate repetebant. Abbas his Judicibus una cum Monaſterii Advocato expoſuit jamdiu in judicio de re ipſa inſtituto ab Gregorio Papa, & Ottone Imperatore latam fuiſſe ſententiam pro Monaſterio, qua pronunciatum fuit eas Eccleſias pleno jure ſpectare ad Monaſterium Farfenſe. Injuſte autem ab Preſbyteris S. Euſtachii promotam eſſe actionem, cui res judicata per ſententiam obſtabat: *Audito*, addit auctor recitati Chronici, *omnium judicio judicum, & juſſu Domni Patricii, & Præfecti iterum refutaverunt ipſi Preſbyteri in manu Guidonis Abbatis eamdem Eccleſiam, & duæ chartæ, per quas litigabant inciſæ ſunt, & ſic Domnus Patricius, una cum Præfecto conſtituit, ut ſi deinceps ipſam Eccleſiam litigarent Preſbyteri S. Euſtachii componerent pœnam auri optimi librarum V. medietatem Lateranenſi palatio, & medietatem huic Monaſterio*: Ipſius Joannis Romanorum Patricii mentio exſtat in eodem Chronico ſub annum Domini MIX. Ejus frater Monaſterio Farfenſi res ſuas donavit, cujus donationis charta utriuſque parentes deſignat his verbis: *Octavianus, & Rogata uxor ejus pro anima Creſcentii genitoris ejus, & Theodatæ genitricis Rogatæ & Joannis Patricii Romanorum germani illius ſenioris*: Uſurpaſſe Patricios iſtos Romanorum jus quoque ac poteſtatem ordinandi, eligendique Romanum Pontificem ex paullo ante narratis de Creſcentio Patricio conſtat, & ex Vincentio Bellevaco *lib.* 24. *c.* 108. Quin imo & jus cudendi monetas ſibi adſciſſiſſe patet ex duobus antiquis denariis, quos exhibet Floravantes in ſæpe laudato tractatu de antiquis Pontificum denariis *in Agapito II.* In ipſorum altero *præeunte* ✠ AGAPITUS PA. in margine, & in medio Pontifex, dextra manu crucem, ſiniſtra claves geſtans inſpicitur, in averſa autem parte SCS PETRUS, & in Monogrammate

mate ALBERICUS. In alio autem AGAPITUS PAPA in Monogrammate, & circa ambitum ✠ ALBERICUS. In averſa parte ✠ SCS PETRUS, & in medio ipſius Protome. De eodem Alberico ita laudatus Floravantes ſcribit: *Albericus Adalberti Marchionis Tuſciæ ex Mazoria filius, qui Conſulis, ſeu Patricii titulo Urbis Tyrannide potiebatur*.

III. Quæ fuerit poſterioribus ſeculis Præfecti Urbis poteſtas, & juriſdictio, quam una cum Patricio exercebat, ignotum eſſe fatetur Felix Contelorius *de Præfecto Urbis cap.* 4. Idem ſcriptor quamvis Romanæ præfecturæ munera illuſtret, ac juriſdictionem, a prima ipſius origine repetitam, ad Romanos uſque Pontifices, narrat eadem auctoritate Chronici Farfenſis jus ſolum eo anno dixiſſe. Quin imo *cap.* 5. ab Adriani I. Pontificatu ad Benedictum uſque X. obſervat ex Scriptorum incuria penitus ejuſdem munia ignorari. Quæ vero conſequuntur tempora ad Gregorium XI., atque ab illo ad Eugenium IV. partim diuturna Pontificum extra Italiam, mora, partim fœdo ſchiſmate Eccleſiæ univerſalis adeo triſti rerum perturbatione eſſe involuta, ut Romæ nec Populo lex, nec Pontifici majeſtas ſatis conſtaret: *Quamobrem*, addit, *tam calamitoſis temporibus fruſtra quærat quis de prærogativis, quæ Urbis Præfectis a Pontificibus tribuerentur*. Illud autem certum in hiſtoria eſt, Præfectum Urbis ex Caliſti II. diplomate in eo Urbis tractu, quem Civitatem Leoninam antiquitus, nunc *Burgum S. Petri* appellant, jus dixiſſe: eorumque bona, qui ſine liberis decedebant, ſibi vindicaſſe. Quod tamen privilegium parum viguiſſe liquet, quum eodem poſtulante Præfecto ſublatum fuerit ab ipſo Summo Pontifice anno MCXXIII. Quantum vero ex publicis tabulis colligere licet, jus erat Urbis præfecto Judices creandi atque Notarios; pluraque ſub ſua ditione & imperio habuit loca, quæ ſubinde licet pro temporum varietate, & oc-

Digitized by Google

& occaſionibus illi fuerint ablata, tamen poſt multorum annorum intercapedinem a Caliſto III. iterum ejus imperio fuerunt reſtituta. Erant autem Vetus Civitas, Montagnola, Caprarola, Vetralla, Carbonianum, Julianellum, Tulpha nova, Caſtrum Valeranum, Liſpampanum, Arx, Mons Romanus, Mons Major, Caſamaris, & alia quædam, quorum regimen, & dominatus Urbanæ olim præfecturæ erant conjuncta, ut conſtat ex bulla Alexandri VI. 26. Junii MCDXCVII. Innocentio III. Pontifice Maximo, ut habetur ex ejus regeſto, quidam Petrus Urbis præfectus altera die poſt Innocentii conſecrationem in Conſiſtorio palatii Lateranenſis publice juravit ei, ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ fidelitatem, recepitque ab eo inveſtituram præfecturæ *per mantum*; & deinde ei fecit *ligium Romanium* inter manus ipſius, qui donavit ei pateram argenteam in argumentum gratiæ, quod refert quoque in ſerie Præfectorum ad annum MCXCVIII. laudatus Contelorius. Tandem Catholicam Eccleſiam gubernante Eugenio IV. ſua præfecturæ dignitas reſtituta eſt, & auctoritas anno MCDXXXVI. Quo tempore ſchiſmate ſublato, ac Jacobo de Vico præfecto perduelli, ſecuri percuſſo, Franciſcus Urſinus Comes Tranenſis, & Cuperſani Dominus in Jacobi locum ſuffectus eſt. Quæ deinde ſequuntur ex antiquis monumentis, actiſque publicis, tabulis, ac diplomatibus recenſet Contelorius; oſtenditque ſemper Urbis Præfectos in obſequio manſiſſe Pontificum, ac iis in maximum honoris locum conceſſum ſtratorum officio fungi Pontifici equo conſcendenti, eique in ſacris, & publicis actionibus inſervire.

IV. Sed ut eo revocetur, unde non importune declinavit oratio, iniqua temporum conditione maxime quandoque crevit Romanorum ſeditio, quæ æqui, ac juſti contemptis legibus temperantiam omnem abjecit, excuſſitque penitus debitum Apoſtolicæ Sedi obſequium.

Ut

Ut itaque potentiorem adverſus Pontificem, & Cardinales haberent Patricium, eam dignitatem Imperatori conferre auſi ſunt. Mortuo Nicolao II. Romani Proceres, Comites Tuſculani, Galleriani, & alii, ob ea, quæ a Nicolao per Northmannos paſſi erant, infenſiſſimi S. R. E. Cardinalium hoſtes effecti, ſceleſtiſſimum, & ab Eccleſia ejectum Galariæ Comitem Legatum ad Henricum Regem mittunt, eaque legatione inſignem titulum, & dignitatem Patriciatus Romanorum una cum aureo circulo, Principi deferunt; Is conciliabulo Baſileæ coacto coram Simoniacis Epiſcopis ejuſdem Patriciatus coronam ſuſcepit, & Pſeudo-pontificem elegit, auctore Giberto de Parma Henrici Cancellario. Non diſpari ſeditione, ac auſu Henrico V. Urbis Patriciatum detulerunt, quum huic de Camera exeunti Regiis exuto indumentis Romani obviam egreſſi auream Patriciatus coronam in capitem impoſuerunt, ut ex Willelmo Malmesburienſi *lib. 5. de geſtis Anglorum* refert Antonius Dadinus Altaſerra *de Ducibus, & Comit. Provincial. Galliæ*: *Imperatori*, inquit (Henrico V.) *exeunti de Camera, & ſuis regalibus exuto, venerunt Romani Patricii cum aureo circulo, quem impoſuerunt Imperatori in capite, & per eum dederunt ſibi ſummum Patriciatum Romanæ Urbis omni conſenſu omnium, ac volenti animo.* Ipſe tamen Henricus a Romanis nulla conferendæ hujuſmodi dignitatis auctoritate ſuffultis ſibi delatum Patriciatum agnoſcens a Paſchale II. vi, & armis ejuſdem promiſſionem extorſit, ut ſupra retulimus. In Concilio autem Romæ inde habito malis artibus Patriciatus acceptus cum inveſtiturarum privilegio, quod una cum Patriciatu depoſcebat, abrogatus eſt, ut legitur *in notis ad Chronic. Monaſt. Caſſinen. lib. 4. cap. 4.*

V. Dum hæc foris ad ferendas Romæ diſcordias ſeditioſi Romani patrabant; Domi non minori furentium animorum æſtu excitatæ ſeditioni faces addebant, ut fo-

mes aſſiduus late graſſantium contraheretur incendio. Inter Innocentium II. Pontificem Max. Civeſque Romanos jamdiu pactum fuit, ut Urbis Præfectus Civitatis haberet regimen; ſed paullo poſt ipſo conſtituto penitus abrogato, Romani ordinem Senatorum reſtituunt, qui Reipublicæ, & judiciis præeſſet. Varius exinde fuit hujuſmodi Senatorum numerus. Anno Chriſti MCXCIV. ſex & quinquaginta erant Senatores electi, ut tradit Hovodenus *in Richardo I.* Antonius Dadinus Altaſerra *in comment. ad decretales Innocentii III. in cap. Eccleſia S. Mariæ* 10. *lib.* 1. *tit.* 2. *de conſtitut.* oſtendit temporibus Innocentii III. unum dumtaxat Romæ fuiſſe Senatorem, ut conſtat ex dict. capit. S. Mariæ cujus hæc ſumma eſt: Eccleſia S. Mariæ, quæ in Urbe Roma titulus erat Diaconi Cardinalis actionem inſtituit adverſus Joannem de Attaja laicum, quorumdam prædiorum ejuſdem Eccleſiæ poſſeſſorem; coram Judice lite pendente Joannes judicii declinandi cauſſa poſſeſſionem prædiorum tranſtulit in Monaſterium S.Silveſtri. Judex autem cauſſa cognita Joannem abſolvit, de qua ſententia appellatum ad Urbis Senatorem eſt. Is, qui tum erat juridicus in Urbe Senator appellationis cauſſam delegavit Primicerio Judicum, ideſt Priori Aſſeſſorum: habebat enim ſuos in judicio Aſſeſſores, ſeu Conſiliarios a Sede Apoſtolica inſtitutos, quos in ſingulis cauſſis Judices dabat, ut ipſemet Innocentius teſtatur in eadem epiſtola. Anno autem Chriſti MCCXXXII. auctore Federico II. creatus eſt alter Senator, ut ex verbis Matthæi Pariſienſis refert Altaſerra: *Eodemque*, inquit, *anno procurante Domino Imperatore Federico creatus eſt alter Senator Romæ, ut duorum Senatorum prudentia, & fortitudine duplicata Romanorum inſolentia comprimeretur, & conſiliis tutius pacificata Urbs, libertaſque regerentur.* Hi autem Senatores diu, multumque fuerant Pontifici Maximo exoſi, atque moleſti: quippe qui regalia omnino

inva-

invaſerunt, ut ſcribit Friſingenſis in Chronico: quin imo, & annuum cenſum ab Romana Eccleſia exigere fuiſſe auſos ex Matthæo Pariſien. narrat recitato loco Altaſerra. *His de cauſſis*: ut idem ſcribit: *Pontifices Senatorum poteſtatem coërcere, & velut feſtucam de oculo evertere omni ſtudio & arte conniſi ſunt*.

VI. Iiſdem Senatoribus Patricium Magiſtratum Romani Cives porro adjacere, ad quam dignitatem, & munus honorificum Jordanem Petri Leonis filium evehunt, teſtibus Ottone Friſingenſi, *lib.* 7. *Chronic. c.* 27. & 30. Abbate Uſpergenſi, & Panvino in notis ad *Platinam in Clemente III.* Quam ægre tulerit Lucius Pontifex indigne vexari ab hujuſmodi recenti Magiſtratu a perduellibus Romæ conſtituto, peculiari ad Conradum Regem data patefecit epiſtola. In ea pravis illorum narratis actis, ad patrocinium Apoſtolicæ Sedi impertiendum hortatur. Ex Ottone Friſingenſi epiſtolam ipſam recitat Baronius ad annum MCXLIV. litera E. qua hæc præter cetera Conrado ſignificat: *Populus Romanus nullas inſaniæ ſuæ metas ponere volens Senatoribus, quos antea inſtituerant, Patricium adjiciunt, atque ad hanc dignitatem Jordanem Petri Leonis filium eligentes, omnes ei, tanquam Principi ſubjiciuntur*. Eidem Patricio omnia Pontificis regalia, quæ Romæ, & alibi poſita erant, perduelles Cives attribuerant, & quod omnium cenſebatur iniquiſſimum, plenumque audaciæ ac temeritatis facinus, Pontificem Maximum, veluti Sacerdotem decimis tantum, & voluntariis Chriſtifidelium oblationibus ſubſtentari oportere contendebant. Denique ut Friſingenſis ad eumdem annum ſcribit: *Animum juſti affligere non timuerunt*: Non Valens interea Pontifex Max. diutius inſanos Populi Romani ferre conatus, & audaciſſimos auſus, ſtuduit primum eos lenire blandis hortationibus, & paternis officiis. Sed quum fruſtra hujuſmodi cura ceſſiſſet, & opera vim adhibere ſtatuit. Ut enim ſcribunt Sigo-

Digitized by Google

nius *de Regno Italiæ lib.* 11. *pag.* 453. Et Cohellius in notitia Cardinal. *cap.* 15. *congreſs.* 21. *pag.* 131. *litera C.* memoratus Lucius poſtero ineunte anno exercitu comparato, Senatores iſtos in Capitolio obſedit, eorum ordinem qui recens acquiſitæ libertatis Populo Romano fundamentum erat, abolere contendens. Bello civili eo impeditiſſimo tempore domi flagrabat Eccleſia Romana: quo domeſticos hoſtes nitebatur ſubjicere, foris autem Arnaldi Brixienſis perditiſſimi hominis hæreſis libertati Eccleſiæ, ejuſque temporali dominio adverſa vigebat. Interea mortuo Lucio extra Cardinalium Collegium Eugenius III. ſufficitur; erat enim Abbas Monaſterii Sancti Anaſtaſii trium fontium Ordinis Ciſtercienſis. Sed ipſe, quum tutus in Urbe morari nequiret, Viterbium proficiſcitur: Ubi conſtitutis, quæ ad præſentem Eccleſiæ ſtatum pertinebant, miſſiſque literis ad Ludovicum Francorum Regem, alioſque Chriſtianos Principes, eos ad opus vere ſanctum, ac pium excitare non diſtulit. Pertinacem Romanorum in male cœptis temeritatem ægerrimo, ut par erat, animo ferens, juſtis armis ulciſci, atque rebelles ad priſtinum Eccleſiæ obſequium, ac fidem traducere conſtituit. Tiburtinos itaque, ceteroſque Latinos populos ad arma adverſus ſeditioſos impulit, ut Eccleſiæ cauſſam tuerentur: quorum fultus ope facile votis potitus eſt. Romani ſiquidem tametſi dies aliquot acerrime reſtitiſſent, patriæ nihilominus, & fortunarum ſuarum jacturam veriti conſilium de reſiſtendo Pontifici, ad pacem petendam verterunt: propoſitis, pactiſque conditionibus. Has inter illæ potiſſimum fuerunt, ut Magiſtratum Patricium abrogarent; Urbis Præfectum reſtituerent, Senatores Pontificia auctoritate deligerent, ex Urbe demum Arnoldum ejicerent, ut referunt Sigonius, & Cohellius in notitia Cardinal. loco recitato.

VII. Hujuſmodi pacta cum Eugenio III. & Romanis con-

conſtituta, illo vita functo, Clemens III., qui Piſis Summus Pontifex eſt renunciatus anno MCLXXXVIII. rata habuit, & comprobavit. Id enim ab ipſa creationis die potiſſimum in animo habuit, ut cum Romanis Civibus pacem firmaret, quæ ob inſtitutum Senatorum ordinem, & Patricium Magiſtratum jam per quinquaginta, & ultra annos exulaverat. Porro Piſis diſcedens Pontifex Romam petit, atque honorifice ab omni populo exceptus pacis conditiones pepigit, quæ ut ſcribit Cincius Camerarius in libro cenſuum S. R. E. a Ciacconio in vita Clementis III. relatus hunc in modum conſtabilitæ ſunt. Primum; ut Urbs Romani Pontificis ſubjecta eſſet imperio, & poteſtati; deinde, ut abrogato Patricio Magiſtratu Præfectus reſtitueretur; ut Senatores annui Pontificis eligerentur auctoritate, ipſique in Pontificis verba jurarent, & Sacramento Fidem, pacem, & ſi opus eſſet, Eccleſiæ Romanæ ſubſidium, opemque promitterent; ut Populus Romanus Baſilicam Vaticanam, & redditus S. Petri, quos civili bello durante occupaverant, libere, & integre reſtituerent: ut vectigalia, & redditus publici in poteſtate eſſent Pontificis; eorumque tertia pars ſolum uſibus populi cederet; ut Romanæ Eccleſiæ, & Pontificis Max. majeſtatem, honorem, atque poteſtatem Senatus, Populuſque Romanus debite coleret, atque defenderet: ut Romanus item Pontifex Senatoribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, Senatuſque Miniſtris conſueta donaria, ſeu largitiones, quas *Presbyteria* vocabant, ſtatis temporibus tribueret; ut idem certam annuam penſionem pro murorum Urbis reſtauratione perſolveret; Tuſculum ſolo æquari Pontifex permitteret, & infra certum tempus Populum Romanum ad eam expeditionem adjuvaret, ea tamen lege, ut eo diruto, atque vaſtato, ager, & homines in poteſtatem eſſent Eccleſiæ Romanæ. Is itaque pacis conditionibus ultro citroque propoſitis, comprobatis, & Sacramento a Ro-

Digitized by Google

a Romanis firmatis, diuturna parta Eccleſiæ quies eſt, atque tranquillitàs, ut refert in Clemente III. Ciacconius, & pluribus rem illuſtrans Baronius ad dictum annum MCLXXXVIII. *tom.* 12. *Annalium*, Cencii Camerarii verba deſcribit.

VIII. Præterita vero mala, ac detrimenta Eccleſiæ Romanæ importata recolens Nicolaus III. Pontifex Maximus, quum peregrina regimina auctoritate Senatoris, vel poteſtate Patricii a Romanis ſeditioſis invecta plura Eccleſiæ attulerint infortunia, atque jacturas pepererint, præſertim quando ipſi id regimen conferrent Imperatori, qui Pontificibus, & Cardinalibus vim inferebat; ut hujuſmodi abſurdis obſtrueret in poſterum aditum, utrumque omnino ſuſtulit, edita de re ipſa peculiari conſtitutione, quæ recenſetur in cap. *Fundamenta de Elect. & Electi poteſtate*. Qua irritam pronunciavit, & caſſam quamcumque ab Romanis electionem expletam Capitanei, Senatoris, PATRICII, aut alio quocunque appellarent nomine, qui Urbis haberet regimen, & imperium: præcipuo juſſu vetans, ne Imperatores, Reges, aut alii tametſi ſacræ & excelſæ dignitatis ad ea munera, & poteſtatem hujuſmodi gerendam aſſumerentur, niſi accederet præcipuus Apoſtolicæ Sedis aſſenſus. Secus factas electiones irritas eſſe decernit: eligentes, electos, eoſque, qui quoque modo in iis electionibus ſeſe immiſcuerint, anathemate percutit, additque poſtremo: *Quælibet mandata, præcepta, ordinationes, ſtatuta, quæ fecerint, omneſque ſententias, quas tulerint, & quid penitus in contractibus, & obligationibus, ſeu quibuſvis aliis Urbis nomine, vel tanquam Senatores, Capitanei, PATRICII, aut Rectores, vel Officiales ipſius egerint, irrita prorſus ex nunc, & vacua nunciamus.*

OCTA-

OCTAVIANI GENTILII

De Patricii Appellatione in Municipiis, & Coloniis antiquis, & poſtremis temporibus uſurpata

LIBER QUARTUS

De Patriciorum in Municipiis, & Coloniis origine.

CAPUT I.

SYNOPSIS.

I. *Municipia, & Coloniæ a Romanis deductæ, in iis Cives erant Romani. Et qui?* II. *Eamdem ipſi in Coloniis, & Municipiis Romanæ Reipublicæ rationem, ac imaginem referebant.* III. *Idem, ac Romæ Senatus conſtitutus. Qui in ipſum adſciti erant* Decuriones *primum, & inde* Senatores *dicti.* IV. *Henricus Doduvellus, & Taciti interpres Senatoris nomen his minime congruere aſſerentes confutati.* V. *Decuriones a Curia, quam adibant potius dicti. Curia nihil aliud erat, quam Senatus. Accurſius Curiam pro aula Principis explicans rejectus.* VI. *Decuriones* Patrum *quoque vocabulo in Coloniis, & Municipiis appellati.* VII. *Ex his Patriciorum origo in Coloniis, & Municipiis. Patricii nomine, ut Romæ, Decurionum filii jure appellati.* VIII. *Joannis Jacobi Draconis de hujuſmodi Patriciorum origine, errores caſtigati. Equites in Coloniis, & Municipiis, ut Romæ erant.* IX. *Coloniæ equeſtres, & Coloniæ Patriciæ deductæ. Et in antiquis nummis*

mis inſcriptæ. X. *Corduba in Hiſpania Patricia Colonia, a quo deducta, & cur Patricia nuncupata*. XI. *Ant. Auguſtini de ejuſdem denominatione opinio rejecta, Patricii Trevirenſes, & Vultureni*. XII. *Patricii Coloniæ Aſculanæ in Piceno Oppidum conſtruunt, quod montem Patricium vocant; Ughellii de tempore ejuſdem conſtructionis opinio confutata.*

I. JAm, Deo dante, provinciam differendi, illuſtrandique Patriciorum originem, munera, decora, tam domi foriſque, fortunam variam, tribus prioribus libris, etſi non pro rei dignitate, at pro virili ſaltem parte exequuti ſumus: gravemque tractationem, multis, gravibuſque difficultatibus circumſeptam abſolvimus. Nunc oſtendere in animo eſt, non ita ſolum Romæ atque Byzantii id Patricii nomen viguiſſe, quin etiam in aliis quoque Civitatibus eadem ratione, ac jure fuerit propagatum: Qua in re primum eſt animadvertendum, præſtantiſſimum illud Romuli inſtitutum, quo victas gentes in populi Romani amicitiam, ipſamque Civitatem adſcivit, vel Colonias Romanas deduxit, a ſequentibus Regibus, & Conſulibus ſtudioſiſſime ſervatum fuiſſe; quæ res tam inſigne Reipublicæ, atque Imperii incrementum attulit, ut conſtitutis ubique Coloniis, & Municipiis Cives Romani longe, lateque fuerint propagati. Externæ propterea gentes, vel victæ, vel ſponte in Populi Romani ſocietatem admiſſæ pro earumdem in Rempublicam meritis, aliæ omnino erant liberæ, aliæ fœderatæ, aliæ ſtipendiariæ, aliæ fundi populi, aliæ Latinæ, aliæ Civitatem Romanam adeptæ: Illarumque incolæ Cives Romani dicebantur, cum jure ſuffragii, vel ſine ſuffragio, alii Municipes, alii Coloni, aliæ demum erant Urbes, aliæ Præfecturæ, aliæ ſine ullo Civitatis jure, ut fuſe docet, & oſtendit Panvinus de Imperio Romano, de-

que

que jure Romanæ Civitatis diſferens. Et Jo. Gottl Heineccius *antiquitat. Romanar. cap. 5.* Illi porro Cives erant Romani, qui in Coloniis, & Municipiis habitabant, de quibus Aulus Gellius *lib. 16. cap. 13. Municipes*, inquit, *ſunt Cives Romani ex Municipiis ſuo jure, & legibus ſuis utentes, muneris tamen cum Populo Romano honorarii participes, a quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, aut ulla Populi Romani lege adſtricti, quum nunquam populus eorum fundus factus eſſet. Sed Coloniarum alia neceſſitudo eſt. Non enim veniunt extrinſecus in Civitatem, nec ſuis radicibus nituntur, ut municipia, ſed ex Civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura, inſtitutaque omnia Populi Romani non ſui arbitrii habent.* Porro, etſi Municipes cum jure ſuffragii omnibus Romanorum Civium potirentur privilegiis Coloniſque eſſent præſtantiores; utpote qui Romanis ſubjecti legibus minus liberi videbantur; nihilominus Coloniæ ob amplitudinem, majeſtatemque Populi Romani, quam referebant æque potiores, ac præſtantiores putabantur. Hoſtibus enim victis, agrique, & regionis parte mulctatis, in eorum agris ab iis captis, ut magis magiſque Romanorum imperium ſtabilirent, vel novas Urbes condebant, vel in antiquitus conditas pulſis incolis, novos Cives per Triumviros ad id creatos Roma deducebant, quotquot agro colendo ſufficerent, qui novis Colonis dividebatur.

II. Hi ſtatim ac in Coloniam erant deducti adminiſtrandæ Urbis rationem Romanæ Reipublicæ more ſervabant; ſtudebantque cura longe potiſſima, ne qua in re ab Urbe principe, ac matre differrent, ſeu publici Magiſtratus, ſive munera, atque decora ſpectentur. Solemni enim more receptum fuit; ut Coloniæ Deorum ſimulacra, formam Templorum, Sacra, Ritus, Antiſtites, Symbola, Feſta, leges, habitus, circos, ſtadia,

Capitolia, Theatra, maxime vero Magiſtratus antiquæ patriæ conſtituerent, & retinerent, ut Valeſius ad excerpta Polybii, Spanhemius de præſtantia numiſmatum præclare docuerunt veterum Scriptorum teſtimoniis & petitis ab retroacta antiquitate; quæ non ita pridem illuſtravit etiam doctiſſimus Cardinalis Noriſius in Cænotaphiis Piſanis, quo in opere de antiquis Coloniarum juribus ſupra præconium benemeritus eſt. Hinc factum, ut Coloniæ quaſi effigies parvæ, ac ſimulacra Populi Romani appellentur apud Gellium *lib. 16. cap. 13.* Et Lipſius *lib. 1. de Magiſtrat. Roman. cap. 3. Colonis*, inquit, *formam, quaſi novæ Reipublicæ dabant: ſic tamen, ut omnia Romam, & Urbem Matrem referrent: ipſis quoque locis, fora, capitolia, templa, Curiæ pro illa imagine eſſent.* Municipia itidem, eadem, aut ſimilia viarum, locorumque, & Magiſtratuum nomina, Sacra, Rituſque, quibus Urbs Urbium, Roma communis patria, ut a Modeſtino, & Athenæo vocatur, ſplendebat, partim adulandi ſtudio, partim ambitionis ſenſu, locis, foris, & Magiſtratibus ſuis imponebant, adeout ſenſim totus fere Romanus Orbis uno Magiſtratus regeretur genere.

III. Illud autem præcipuum fuit in deſignatis Coloniis, & Municipiis, ut quemadmodum Romæ primum a Romulo conſtitutus fuit Patrum Senatus; ita in eiſdem quoque Urbibus idem eſſet Senatus; qui lectus ex Coloniarum Viris nobilibus publica navaret negocia, ac recte, riteque cuncta diſponeret, inſignemque ſplendorem, & auctoritatem præſeferret. Qua de re non inepte Juſtinianus *in novella* 38. *Veteres*, inquit, *qui Rempublicam ordinati ſunt, ad exemplum Regiæ Urbis in qualibet Civitate, nobiles congregandos, Senatumque conſtituendum eſſe cenſuerunt, qui publica negocia tractaret.* Scite propterea Jo. Gottl Heineccius *antiquit. Roman. cap. 5. num.* 123. ſcripſit: *Illud adhuc obſervandum*

dum de Municipiis, in pleriſque eam fuiſſe inſtitutam; Reipublicæ formam, quæ imaginem quamdam ſpeciemque Reipublicæ Romanæ referret. Quemadmodum Romæ Senatus. Hujus itaque publici Concilii, Senatuſve cauſſa decima Colonorum pars, cum aliquem in locum deducerentur, deſcribebatur: qui autem Senatum ex iis delectum conſtituebant, *Decuriones* ſunt appellati, ut habetur *in lege pupillus* 239. §. *Decuriones ff. de Verbor. ſignificat.* In eamdem ſententiam eam legem explicat Guido Pancirolus *de Magiſtrat. Municip. cap.* 1. Nec aliter Antonius Auguſtinus in libro ſingulari ad Modeſtinum *de excuſat. Tutorum* ſentit. Hi propterea nihil admodum a Romanis Senatoribus differebant; quare, & ipſi non immerito *Senatores* dicti, & eorum decreta *Senatuſconſulta* appellata fuerunt, non in lapidibus dumtaxat municipalibus ambitioſis, ſed ab ipſis Romanis Scriptoribus, & quidem graviſſimis, Cæſare, Cicerone, Livio, Tacito, Plinio, aliiſque. Scite propterea advertit Panvinus de Imperio Romano de Coloniarum jure ſermonem habens: *Ut Romæ erat Populus, & Senatus, ſic hi novos colonos in Decuriones, & Plebem dividebant, Decuriones Senatus, plebs Populi Romani imaginem referebant.* Et Guido Pancirolus *de Magiſtrat. Municip. cap.* 1. *Hi Decuriones*, inquit, *ſuæ Patriæ, veluti Romæ Senatores negocia tractabant.* Cujacius in paratitlis *ad libros ff. in libro de Decurionibus & filiis eorum: Decuriones ſunt Senatores Municipales*: Idem cenſet Joannes Jacobus Draco *de origin. & jure Patric. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 20. Procopius Cæſarienſis ſermonem inſtituens de priſca lege addicendi Senatui quartam partem bonorum ejus Senatoris, qui abſque maribus diem obiiſſet, hæc habet in hiſtoria arcana *cap.*29. *fol.*83. *Priſca lex eſt, ut cujuslibet Civitatis Senatorum, qui maribus abſque liberis diem obiiſſent, quarta bonorum parte, Senatui addicta, hæredibus cætera fruenda ſupereſſent.*

IV. Nec quidquam cauſſæ eſt, cur Henricus Dodwellus *prælect. 3. ad Spartianum* de re ipſa dubitaret, & Taciti interpres *lib. 3. annalium anno XVIII. ad vocem Senatoris* vehementer hæreret. Adeo enim id nomen frequens fuit, & uſurpatum priori, atque ſequenti ætate, etiam quando Imperatorum avaritia onus curiale graviſſimum effecit, & intollerabile, ut eodem nomine ab Imperatoribus ipſis fuerint nuncupati. Sic poſt fugatum Sextum Pompejum, & exauctoratum Lepidum, quum milites miſſionem ab Auguſto in Sicilia peterent, is, quo eos ſub ſignis in caſtris contineret pollicitus eſt unicuique in Patriis *Senatoriam*, *ſeu Decurionis dignitatem* ſe collaturum, ut liquet ex Appiano *lib.5. de bello Civili pag.* 744. Pacatus *in panegyr. de laudibus Theodoſii* laudat apud Hermonam: *Conſpicua veſte nivea Senatores*: Theodoſius Imperator *in leg.* 85. *de Decurion.* *vetat Decurionem* (*& ſi ſic dici oportet*) *Curiæ Senatorem plumbatarum ictibus ſubdi*: Conſtantius Imperator in nobili illa conſtitutione ad Gregorium *leg.* 1. *Cod. de natural. liber.*, ita ſcribit: *Senatores*, *ſeu Præfectos*, *vel quos in Civitatibus Duumviralitas*, *vel Sacerdotii ideſt Phœnicarchiæ*, *vel Syriarchiæ ornamenta condecorant placet maculam ſubire infamiæ*, *ſi ex Ancilla &c. ſuſceptos liberos in numero legitimorum habere voluerint*: Ex hoc porro factum eſt, ut Senatores Romani diſcriminis cauſſa, Senatores Urbis, vel Populi Romani, eorumque Senatus maximus; Municipiorum vero, & Coloniarum minor in legibus ipſis appelletur, ut conſtat *ex leg.* 27. *Cod. Theodoſ. de Decurionibus*. Majoranus *in novella* 1. *Curialium cœtum*, inquit, *recte appellavit antiquitas minorem Senatum*: Caſſiodorus *lib. 9. variar.* Minorem Senatum, ac nervos, vireſque Civitatum dixit; quo nomine vocat etiam Pancirolus *de Magiſtrat. Municip. c.* 1. & Bulengerus *de Imperat. & Imperio Romano lib.3. c.*10. Deſignatum diſcrimen animadvertens: *fuit*, inquit, *Sena-*

Senatus duplex, major Romæ, minor Decurionum, in aliis Urbibus Senatores iterum duorum generum erant, Senatores Urbis, qui, & Senatores Populi Romani dicuntur. Alii Senatores in Municipiis, Decuriones, Curiales, quorum cœtus minor Senatus nuncupatur: In vetuſtis inſcriptionibus apud Gruterum *pag.* 127. legitur, *SENATUS P. Q. TIBURT.* Viennenſis Senatus meminit Avitus in homilia de rogationibus: ipſa vero Vienna Urbs Senatoria appellabatur, ut Savaro notavit ad Sidonii *librum* 4. *epiſt.* 2. Ceterum, uti animadvertit recitato paullo ante loco Heineccius *num.* 131. eodem tum municipia tum Coloniæ gaudebant Decurionum, ſeu Senatorum Concilio publico, nihilque in lapidibus frequentius eſt ſiglis: DEC. COL. quemadmodum in iiſdem marmoribus etiam SENATORES COLONIARUM occurrunt apud Reineſium *inſcript. p.* 132.

V. Nec profecto ambigendum eſt: ipſos Civitatum Decuriones jure, meritoque Senatorum nomine fuiſſe vocatos. Tametſi Pomponio teſte, Decuriones ex eo dicti fuerint, quod Colonorum decima pars Concilii publici cauſſa deſcribi ſoleret, veriſimilius nihilominus, ac probabilius cenſeo, eos a Curia potius Decuriones appellatos fuiſſe: Curia enim erat Senatus, ideoque, quum eorumdem muneri congrueret, promiſcue tum Decuriones, tum etiam Senatores, & Curiales appellatos liquet ex lege *Curiales* 21. *& leg.* 39. *& leg. fin. Cod. de Decur.* Caſſiodoro *variar. lib.* 6. *cap.* 14. *& lib.* 9. *c.* 22. *verſ. Curia Romana*. Quamobrem Antonius Auguſtinus in libro ſingulari ad Modeſtinum *de excuſat. Tutorum pag.*227. editionis Lugdunen. cum iis diverſis nominibus ab Juſtiniano Imperatore, Plinio, Holloandro, Theophilo, Plutarcho, aliiſque indiſcriminatim dictos fuiſſe animadvertiſſet, addit: *Mirandum non eſt ſi in ſimili re, ſimilibus nominibus uterentur. Sed & eadem ratione ſunt ex Græcis, qui* βουλευτὰς *Senatores appellent* τὴν βουλὴν *Senatum,*

tum, *tamen hoc a Juriſconſulto*, *& Juſtiniano uſurpatur*, *atque ita arbitror hoc capite de Decurionibus tractari*, *quos municipales Senatores appellare poſſis*. Et pag. 245. in eodem tractatu: *Decurionum*, ait, *ordini*, *quem etiam Curiam appellant*, *unde Curiales dicti ſunt hos intra numerum conſtituere*, *eſſe permiſſum*. *Quod ſi hunc Senatum appellare velis non repugno*, *dum aliarum Civitatum Senatum intelligas*, *quam Romanum*: Id quoque cenſet & Decianus *tract. Crimin. lib.* 4. *cap.* 14. Et Cohellius ad Bullam boni regiminis *cap.* 30. *num.* 7. *& ſeq. Curiales autem*, inquit, *dicebantur a Curia*, *quæ vox Senatum ſignificat*. Perperam tamen idem Cohellius recitato loco *num.* 13. Curiales a Decurionibus diſtinguit, quum paullo ante affirmaſſet ea Senatorum, Decurionum, & Curialium vocabula promiſcue uſurpata fuiſſe. Merito autem Guido Pancirolus *de Magiſtrat. Municipal. cap.* 1. Accurſii, aliorumque reprehendit errores, *qui in §. ultimo Inſtitut. de nuptiis*, *& in leg. ſiquis* 3. *Cod. de natural. liber.* Curiam pro Aula Principis interpretantur, cenſentque Spurium Curiæ oblatum legitimum effici, ſi Imperatori tradatur, aut etiam Præſidi, ſi illis ſerviat. In ea enim *lege ſiquis* 3. Theodoſius Imperator Curiam, Decuriones, & Curiales Civitatum pro iiſdem ponit.

VI. Hinc patet expreſſam ipſos retuliſſe Romani Senatus Imaginem; neque abs re ampliſſimum Senatoris nomen aſſumſiſſe conſtat, verum etiam honorabile Patrum vocabulum ſibi adſciverunt, ut hac item in parte nil differrent a Romanis ipſis Senatoribus, quos liquido patet fuiſſe ab ætate Senatores ab auctoritate autem Patres appellatos. Enim vero *Patrum* nomine Decuriones honeſtatos legimus *in leg. unum Cod. de ratiocin. oper. public. & de Patribus Civitat.* Multoſque eſſe locos in Novellarum libro de Patribus Civitatum animadvertit Cujacius *in expoſitione novellæ* 85. nimirum *novell.* 17. 75.

85.

85. 104. 128. 160. Ex his vero cenſet Scriptor eximius illos præcipue eo nomine fuiſſe decoratos, quibus operum publicorum cura dabatur, quos alio vocabulo appellat Curatores Reipublicæ *ad tit.* 12. *de ratiocin. oper. public. lib.* 8. *Cod. tom.* 9. qui a Græcis quaſi Patres Patriæ & diſcuſſores pecuniæ, operumque publicorum interpretantur *in leg. Curatores ff. de damn. infecto, & leg.* 1. *ff. de ſolut. & liberat.* Utcunque autem ſit laudati Doctoris opinatio, certum eſt Patrum nomen Municipiorum, Coloniarumque Decuriones meruiſſe, ſive quod ex ipſis Curatores Reipublicæ legebantur, ut idem docet Cujacius *ad* §. *his datur tit.* 4. *de in jus vocando lib.* 2. *ff. tom.* 7. ſive quod imitatione quadam Romanorum Senatorum id ſibi nomen uſurpaverint. Qua de re ex recitata *leg. unum Cod. de ration. oper. publ.* Guido Pancirolus adducto loco *cap.* 1. ſcriptum reliquit: *Unde ſicut illi* (Senatores) *Romæ, ita hi Patres Civitatum nuncupabantur.* Eo Patrum nomine Horatius in epiſtola ad Villicum ſuum *lib.* 1. *epiſt.* Bariæ Sabinorum oppidi Senatores appellat:

Quinque bonos ſolitum Bariam dimittere PATRES.

Cenſet autem Vir Clariſſimus Juſtus Fontaninus *de antiquit. Hortæ lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. Decuriones Coloniarum, diſcriminis cauſſa non *Patres*, veluti qui Romæ aderant in Senatu decreta condentes, ſed ſolum *conſcriptos* appellatos fuiſſe, quod ex antiqua Tarraconenſi tabula evincit, in qua legitur: *PLACERE UNIVERSIS CONSCRIPTIS*: itemque ex alia, in qua legitur: *PLACERE CONSCRIPTIS*. Ejuſdem ſententiæ fuit & Cardinalis Noriſius in Cænotaphiis Piſanis *diſſert.* 1. *cap.* 3. Sed alio antiquo monumento melius inſtructus, quod nos quoque hic rurſus deſcribimus, etiam Patres Decuriones appellatos fuiſſe demonſtrat; ſcribens: *Decuriones Coloniarum, qui in Curia ſententiam dicebant non Patres, ſed tantum Conſcripti appellati; licet quidam Patres Patrum*

in

in allata ſuperius inſcriptione nuncupentur: Saxum id eſt, quod proſtat apud Gruterum *pag*. 49.

DEO CAVTE
FLAVIVS ANTISTIANVS
V. E. DE. DECEM PRIMIS
PATER PATRVM.

VII. His itaque neque fruſtra præmiſſis ; veriſimillimum nobis fit, Patricios quoque in Coloniis, ac Municipiis viguiſſe, & hujuſmodi nomen, ſicuti Romæ Senatorum filii fuerunt adepti, ita in aliis quoque Civitatibus earumdem Decurionum, Senatorumque filii jure pari uſurpaſſe. Sive quod iſti quoque, quemadmodum Romani, eſſent, Senatorum filii, ſive, quod eodem prorſus jure, & ipſi Patres ſuos ingenuos ciere poſſent, qua ratione Romæ Patricii Romani juxta non ineptam complurium Scriptorum ſententiam, de qua libro primo verba fecimus appellabantur. Profecto ſi ex hactenus dictis eadem Romani Senatus effigies, & imago erat in Coloniis, & Municipiis, atque in novas deductas Colonias Urbis parentis Magiſtratus, jura, ſacra, antiſtites, ceteraque fuerunt invecta; non abſurdum erit aſſerere eamdem ob cauſſam Patricios quoque fuiſſe propagatos, iiſdemque honorificis nuncupatos vocabulis. Ejus rei in tanta veterum monumentorum inopia, vix teſtem appello, quæ ſi hodieque ſupereſſent, ſubobſcuris conjecturarum indiciis non eſſet nobis elaborandum. Res enim eſt, cum nimia vetuſtate obſita, tum etiam difficultatibus ſatis obnoxia, quod raræ per eadem tempora eſſent literæ, nec quæ exſtiterunt, integræ ad poſteros fuere tranſmiſſæ. At id quidem nemini dubium fuit Patricios extra Urbem fuiſſe, eodem modo, quo Romæ erant. Eorum in Coloniis, & Municipiis origo, & originis tempus, nec explicatur, nec ſatis ab aliquo explicari, ac numeris omnibus illuſtrari poterit. Conji-

cere

Digitized by Google

cere tamen , non inepte poſſumus pervetuſtam originem illorum , eo ferme tempore , quo Patricii in Romana Republica ſplendidiſſime florebant, extitiſſe. Et quidem conſtans eſt eruditorum opinio , qua cenſent non aliter extra Urbem Patricios fuiſſe appellatos , ac propagatos , quam inſtar ipſius Romæ Terrarum dominæ , & Urbium principis ; Unde merito inferri licet ejuſdem imaginem , exemplum , effigiemque hac etiam in parte , qua Patricios reſpicit , quam proximam ipſi Reipublicæ fuiſſe . Certe Patricii vocabulum extra Romam uſurpatum veteribus Romanorum Patriciis maxime congruens , tum etiam ex ipſius Romanæ Reipublicæ viſceribus depromtum advertens Joannes Jacobus Draco *lib.3. cap.1. num.26. Hodiernus*, inquit, *Patriciatus ceſſit in locum, imo idem ferme eſt, cum veteri Romanorum Civium Patriciatu, quem induxerunt, & excoluerunt Romulus, Numa &c.* Et paullo poſt num.28. *Cum non paucis in Civitatibus familiæ Patriciæ exiſtimentur ex dignitate Conſulari, & Senatoria a Majoribus geſta. Hæc vero ex intimis veteris Reipublicæ Romanæ viſceribus depromta eſt. Quis nobilitatem Patriciorum ejuſdem juris pronunciare nollet? cauſa enim, & cauſatum, ut noſtri loquuntur ad paria judicantur*: num. 35. idem profert; & cap. 2. num. 1. *Exemplo*, ait, *veteris Reipublicæ præclariores Urbium celebrium indigenas Patriciorum appellationem ſortitos eſſe ex hactenus dictis conſtat*. Fuſe autem probat hos Patricios adeo fuiſſe ſimiles Patriciis Romanæ Reipublicæ, ut quum explicandum, vel ſolvendum occurrat aliquid de eiſdem ſubortum dubium, ſemper ad Patriciorum Romanæ Reipublicæ provocat exemplum. Idem ſentit Angelus de Nuce in notis ad Chronicon Monaſterii Caſſinen. Leonis Card. in. Epiſcopi Hoſtien. *lib.* 1. *cap.*3. *num.* 9. apud Muratorium in collectione Scriptorum rerum Italicarum. Accedit, & his Vir Clariſſimus Joſephus Roccus Vulpius Societ. Jeſu *in veteri Latio profano lib. 6. cap. 7.*

Digitized by Google

VIII. At paullo ante memoratus Joannes Jacobus Draco, quum inſtar Romanæ Reipublicæ Patricios alibi fuiſſe propagatos adverterit, veriſimilius poterat ipſi Reipublicæ proximiorem illorum originem tribuere; ut ſupra indicavimus. Putat nihilominus *lib.3. cap.* 1. *n.*3. temporibus Henrici Aucupis Imperatoris illos ſubortos, quem primum operam dediſſe cenſet, ut nobiles, præcellenteſque familiæ crearentur, ab eiſque derivaſſe multarum Civitatum Patricios. At vero eo tempore, ut infra oſtendemus, potius renovatum hujuſmodi vocabulum fuiſſe, favente temporum felicitate, & auctoritate Principis, poſtquam diu latuit inter barbaros mores; quam natum, ac primum in alias Urbes invectum, dicendum eſt. Si vero rigidis Catonianis audax fortaſſe conjectura noſtra videatur, non tantum veteris ævi caligo aſſertum utcunque tuebitur, verum etiam ratio. Dubium ſiquidem non eſt primarium Coloniarum, & Municipiorum ordinem fere ab exordio deductionis lectum plerumque fuiſſe ex nobilibus, atque Patriciis ipſis Romanis, propterea, quum ipſimet Coloni eſſent Patricii, ne Patriæ ſuæ jura, & inſtituta, tum etiam proprii generis externum decus amitterent, decora omnia, quæ Romæ obtinebant in Coloniis propagaverunt; eoſdem proinde ordines, idemque Patricium genus conſtituerunt, & retinuerunt. Idipſum animadvertit Euerardus Otto *differt. juris publ. & privat. differt.* 9. *cap.* 18. ſcribens: *Cives earum* (Coloniarum) *Cives erant Romani*, *aut Civitate donati*. *Ordo primus*, *qui his præpoſitus ex nobilibus*, *Patriciiſque Romanis erat lectus*, *qui ſimiarum inſtar Urbis Matricis inſtituta Populo*, *& Principe connivente imitabantur*: Equites profecto in Coloniis, & Municipiis fuiſſe certum eſt. Ovidius ſe equeſtri familia Sulmonæ natum teſtatur *lib.*4.*Triſt. elegia* 10.

Siquid ideſt; uſque a proavis vetus ordinis heres
Non modo fortunæ munere factus eques.

Ci-

Cicero in Arpini Municipio equeſtri gente natus eſt, unde & a Juvenali *ſatira* 8. *verſ.* 283. dicitur.

Hic novus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis Eques.

Cæſar lib. 3. *bello civil. cap.* 71. memoriæ prodit eodem die duplici prælio deſideratos Equites Romanos notos C. Fulginatem Placentia, A. Graccum Puteolis, M. Sacratinum Capua. Cicero in Planciana 18. cum quædam municipia nominaſſet ait: *Nunc a Municipiis adſunt Equites Romani publicæ cum legationis teſtimonio.*


IX. Omnem vero dubitationem aufert, quod tum Coloniæ equeſtres, tum etiam Coloniæ Patriciæ dictæ reperiuntur antiquitus: Quapropter validum inde argumentum emergit, utrumque ordinem in Municipiis perinde, atque Coloniis viguiſſe; quod ſcite expendens Lipſius *de Magnitud. Roman. lib.* 1. *cap.* 67. pronunciat: *Et prudentiſſime eos cenſeo novum ordinem Coloniis impleſſe. Quarum alia, atque alia genera tamen erant, & quædam Romani, aliæ Latini, quædam & Italici Juris; reperio, & PATRICIAS ET EQUESTRES denominatas.* Nonnulla antiqua numiſmata cum inſcriptione COLONIÆ PATRICIÆ referunt Antonius Auguſtinus *in dialogo* 8. *antiq. Roman. Hiſpanarumque*, loquens de nummis veteribus Hiſpanicarum Urbium, præſertim vero Tarraconenſis, itemque Beticæ Luſitaniæ; ac Joannes Joii Vaillant *in numiſmat. æreis Imperat.* Tamayus autem Salazar *tom.* 4. *Martyrolog. Hiſpan. die* 21. *Auguſti pag.* 542. Ex Grutero ſequentem inſcriptionem recenſet.

VALERIÆ CIPATINÆ
TVCCITANÆ SACR.
COLONIÆ PATRICIÆ
FLAMINICÆ

COLONIÆ AVG. GEMELLÆ
TVCCITANÆ FLAMINIÆ
SIVE SACERDOTI MVNICIPI
CASTVLONENSIS.

De Patriciis porro Coloniarum verba facturis uberrimam materiam præbebunt hujuſmodi ſaxum, atque indicata antiqua numiſmata a memoratis Scriptoribus producta. Verba numiſmatis, quod loco citato exhibet Auguſtinus hæc ſunt: *PERM. CÆSAR. AUGUSTI* hoc eſt permiſſione Cæſaris Auguſti. In ipſo corona civica apparet, in cujus medio: *COLONIA PATRICIA*. Coloniæ nomen integrum in eo legitur, quod aliis in nummis compendioſe per litteras *C* vel *COL* inſpicitur: Alter nummus in antica parte ſequentia habet verba: *CÆSARIS AUG. IMPER.* in averſa vero tres haſtæ videntur, quibus pro militiæ ſignis utebantur, quarum media aquilam in apice geſtat, adjectæque inſpiciuntur literæ *COLONIA PATRICIA*. Diverſis ſignis ornata numiſmata ſacris, vel militaribus cum eadem Patriciæ Coloniæ inſcriptione recitatus recenſet Joannes Vaillant. *Pagina autem* 59. nummum refert in quo viſitur caput Auguſti ſine lauro cum verbis: *PERM. CÆS. AUG.* in averſa parte corona quercea, & inſcriptio: *COLONIA PATRICIA*. Alterum *pagina* 60. in quo Auguſti itidem Cæſaris caput nudum cum inſcriptione: *PERM. CÆS. AUG.* in altera parte exſtat inſcriptio: *COLONIA PATRICIA*: itemque apex, & ſimpulum, quæ ſunt inſtrumenta Pontificum: Tertium, in quo Cæſaris Auguſti caput nudum abſque lauro cum verbis: *PERM. CÆS. AUG.* in altera parte aſpergillum, lituus, & patera, itemque inſcriptio: *COLONIA PATRICIA*. In quarto *pag.* 61. eodem modo Auguſti caput, & Aquila Legionaria inter duo ſigna militaria. In quinto denique idem caput, eadem verba, & in averſa parte *COL. PATRIC. L. E. V. X.* in cujus medio

dio Aquila Legionaria item inſpicitur. En porro lectoribus ipſa numiſmata ex laudato Vaillantio hic ære inciſa repræſentata.



X. Coloniam iſtam Patriciam memorati Scriptores non aliam, quam *Cordubam* in Hiſpania Bæticæ primariæ ſatis inſignem Urbem putant eſſe intelligendam, quam *COLONIAM PATRICIAM* vulgo fuiſſe antiquitus appellatam teſtimonio Plinii arbitrantur: Id nonnullæ apud Gruterum antiquæ inſcriptiones comprobant, in quibus *COLONIA PATRICIA CORDUBA* dicta reperitur. Eam Urbem a Marcello conditam, vigente adhuc Romana Republica, auctor eſt Strabo *lib.* 3. *pag.* 141. Sed a quonam Colonia fuerit deducta, non una eſt Scriptorum ſententia. Hiſpani ab Auguſto Cæſare fuiſſe deductam arbitrantur; ſed recitato loco Antonius Auguſtinus a Marcello id factum cenſet. Joannes Vaillant *pag.* 61. *Corduba*, inquit, *a Marcello condita Reipublicæ tempore Colonia deducta. Patricia vocata eſt. Ab Au-*

Digitized by Google

Auguſto Hiſpania tandem pacata, & Colonis bello imminutis veteranorum ſupplementum accepit, cui etiam cudendæ monetæ facultas ab eo conceſſa eſt, cujus beneficii memores Cordubenſes PERM. AUG. in omnibus ſuis nummis inſcripſerunt: Coloniam vero Patriciam ex eo dictam fuiſſe conjici poteſt, quod præcipue Patricii in eam fuerint invecti, qui inſtar Romanæ Reipublicæ eam colerent, atque habitarent; id ex ipſo Strabone liquet: ſcribit enim auctor graviſſimus *Inhabitaruntque eam ab eo* (Marcello) *delecti Romanorum, & Indigenarum Viri, primamque eo iſtis in regionibus Coloniam Romani deduxerunt*: Quæ verba in eamdem ſententiam explicat Vaillantius *pag. 59. Per delectos Romanorum Viros intelligendi ſunt PATRICII, a quibus Colonia Patricia videtur vocata*. Sed illud quoque ad rem noſtram adnotandum cenſui, non tantum Romanos Patricios in eam Coloniam fuiſſe deductos, adeout inde Patriciæ nomen ſumſerit, ſed etiam indigenas primores, Romanis fuiſſe additos, & promiſcue allectos, atque ita partim ex Romanis, partim ex indigenis ipſis novus conſtitutus fuerit Patriciorum ordo, a quo deinde Patriciæ vocabulum Urbi acceſſerit. Æque proinde Patricii, ac Romani cenſendi erunt indigenæ lecti ex primoribus, ut unum univerſi conſtituerent ordinem, communemque incolerent Urbem. Perſpicue id prodit Strabo: dictiſque congruens videtur interpretatio *delectis Romanis* expreſſa a Joanne Vaillantio, ut nimirum, & ipſi cenſerentur, & intelligerentur Patricii indigenæ. Et ſane Patriciæ nomen Cordubæ inditum, quod Romani dumtaxat Patricii in ea degerent, dici nequit; ſi enim Marcellus, qui eam condidit, atque deduxit, Patricius non erat, nec eo tempore familias Romanas Patricias ob bellorum clades pœne extinctas deducere poterat; ab his Civitati nomen accedere minime poterat. Unde Auguſtinus id expendens hæc habet: *Cur Patricia cognominata Corduba?*

duba? an quia Patriciis tantum Romanis Cordubæ degere licebat? ſi M. Marcellus eam condidit, vel Coloniam eo deduxit, vel nomen Patriciæ indidit, non credam; cum Patricius ipſe non eſſet, hoc illi cognomentum idcirco dediſſe; neque etiam rem ita geſtam, ut Patricios tantum eo deduxerit, quandoquidem civilibus bellis teſte Cornelio Tacito Romanæ familiæ extinctæ pene erant.

XI. At minime nobis arridet Auguſtini opinatio, qua ideo Patriciæ cognomentum habuiſſe credit; quoniam Corduba fuit Veteranorum, honeſtorumque hominum, qui uti Patrum honore digni habiti fuerunt, eo ferme modo, quo Juſtiniani ævo Patricii loco Patris honorabantur. Quam enim extranea, & incongruens ſit hujuſmodi interpretatio tum ex temporis ratione, quo eadem a Marcello eſt condita, & Colonia deducta fuit; tum quod longe ante Juſtiniani ætatem, nimirum a tempore Auguſti Cæſaris nominata eſt Patricia, cognoſcere quiſque facile poteſt. His enim temporibus Patricii vocabulum, non idem, ac Patris ſonabat, eo ſenſu, ac ſignificatione, qua ſumebatur, tempore Juſtiniani; ea enim ætate nota evaſit inſignis dignitatis: Sed ſignificabat quemquam eſſe Senatoris vel filium, vel nepotem, vel ut ajunt noſtri Juriſconſulti *deſcendentem*. Quocirca, ſi jam ante Juſtinianum Colonia Patricia eſt appellata; ab illis Patriciis cognomentum ſumſiſſe dicendum eſt, qui inſtar Romanorum Patriciorum fuerunt in ea Colonia propagati. Confert huic noſtræ opinioni celebris mentio, quæ de Patriciis Vulturenis habetur a Cajo Sempronio de diviſione Italiæ edit. Pariſiis anno 1588. apud Gillios inter comentaria Reipublicæ Romanæ Onuphrii Panvini *pag.* 62. in eo enim legitur: *Et quidem omnem tranſpadanam regionem Theſeorum prolem fuiſſe inter omnes auctores convenit, manentque veſtigia, Urbs Mantua, lacus Hetruſca origine dictus Larius, quod a Patriciis Vulturenis omnia ea loca principio poſſeſſa fuerint uſque Veronam;*

nam; Sic apud Germanos Treveris Urbs antiquiſſima, inter ceteras alias Romanorum auſpiciis conditas Urbes, Coloniaſque deductas non ſolum Magiſtratus, jura, ſacra, ceteraque perſimilia Romanis accepit; ſed etiam Municipes ſuos Patricii decoraſſe nomine conſtat. Quamobrem in vita S. Felicis Archiepiſcopi Trevirenſis, qui floruit circa annum CCCLXXXVI. laudantur Conſules, Patricii, & Senatores Urbis Trevirenſis, ut refert Euerardus Otto *diſſert. jur. publ. & privat. diſſert. 9. cap. 2.* §. 11. *Non mirum eſt*, inquit, *in vita S. Felicis Archiepiſcopi Trevirenſis circa annum CCCLXXXVI. Conſules Patricios, & Senatores Urbis Trevirenſis laudari*.

XII. His accedit inſigne, ac celeberrimum inter Picentes noſtrates monumentum Patriciorum Coloniæ Aſculanæ gentis Picenæ caput non immerito nuncupatæ, quos conſtat non ignobile condidiſſe oppidum cui nunc Mons altus nomen eſt, Sixti V. Pontificis Maximi patria, dignitate, & honore Urbis ab eo auctum. Hoc ab exordio ab ipſis Patriciis conditoribus ſuis MONS PATRICIUS appellatum, ex vetuſtis documentis refert Ughellius in Italia ſacra *tom. altero* de Epiſcopis Montis alti ſermonem inſtituens: *Mons altus*, inquit, *Picentium nova Civitas Sixti V. Pontificis Maximi patria; Eum condidere PATRICII, quos nonniſi de Aſculana Colonia fuiſſe conſtans eſt memoria. Quemadmodum vero mons ipſe leniter acclivis geminum caput attollit, ut vel unum in duplicem, vel duplicem in unum collem agnoſcens, ita geminam dividentes in regionem, Montem Patricium alteram a ſe ipſis; alteram vero, Montem ſimpliciter, quem deinde Accolæ a loci parvitate ſubtracto cognomine Montalbellum nuncupaverunt*. Idipſum refert Comes Emmanuel Fontana in Italia nobili, & virtute prædita, Italico ſermone vulgata, ubi inter ceteras Piceni Urbes de Monte alto verba facit. Certus ejus fundationis annus apud antiquos incertus eſt. Ughellius autem allato loco

putat

Digitized by Google

putat ante Luitprandi Regis ætatem fuiſſe Urbem conditam, quo tempore Aſculanos Patricios conjectat, in illum coiviſſe montem, ut ab hoſtium incurſionibus, ipſorum virtute munita adverſus inſultus valide, fortiterque reſiſteret, indeque Civibus, & fortunis recentioribus auctum oppidum Patricii voluiſſe illuſtrare cognomine. Sed longe ante Luitprandi Regis ætatem id oppidum exſtructum fuiſſe ex impoſito Patricii cognomento, necnon ex temporis ipſa ratione conjiciendum eſt. Quandoquidem ea tempeſtate, ac etiam diu ante Luitprandum, quum Patricii nomen dignitatem ſignificaret, qua tunc Viros præſtantiſſimos Orientis Imperatores ornabant; tanti, taleſque Patricii eſſe in Aſculana Colonia minime poterant, illique ipſi haberentur, qui Byzantii primum ab Imperatore eam dignitatem adepti, Aſculum convenerint, eodemque Coloniam deduxerint, oppidum conſtruxerint; & ab eorumdem dignitate Patriciatus, Patricium Montem nuncupare voluerint. Certum enim eſt ex his, quæ libro altero diximus ea dignitate illos fuiſſe ornatos, qui domi conſilia Imperatori præſtare in imperio adminiſtrando debebant, & mereri in ipſa aula, vel qui cum præfectura ad alias Urbes, vel in caſtra mittebantur, foris Patricii eſſent; adeo enim frequens, ut domi, foris non erat ejus dignitas, quæ plerumque Viris Principibus extra aulam concedebatur. Quamobrem veriſimilius credimus, Patricios Aſculanam Coloniam, eo tempore, quo Montem altum conſtituerunt, inſtar Romanæ Reipublicæ incoluiſſe; nec alios conſequenter eſſe exiſtimandos, quam vel filios, vel deſcendentes a primis illis Coloniæ Senatoribus; qui eodem modo, quo Romæ Senatum in Colonia ſua adibant; adeoque jure, meritoque ſibi eamdem Patricii appellationem indidiſſe, communemque feciſſe oppido. Ceterum id Patricium nomen diu oppidum ipſum retinuiſſe liquet ex pluribus antiquis monumentis, præſertim vero ex di-

plomate Urbani IV. quo Farfenſi Monaſterio a pluribus Summis Pontificibus conceſſas immunitates confirmat. Habet enim: *Item Caſtrum, quod dicitur Caſiniani, item Caſtrum Porchiæ, Caſtrum Ripæ tranſonis cum Eccleſiis, & omnibus pertinentiis ſuis, Caſtrum Montis, Caſtrum MONTIS PATRICII Caſtrum Montis Doveneti:* Hoc ita factum affirmat Cæſar Octavius in patriæ ſuæ hiſtoria, & cum eo Ughellius recitato loco, ut omnino: *Idem Summus Pontifex ibi nomina Caſtrorum Montis alti, & MONTIS PATRICII retinere voluerit, non quod ea tempeſtate talibus deſignarentur nominibus; ſed quia in aliis Pontificum diplomatibus ea reperiuntur nomina.*

De Decurionum, & Patriciorum Ordine.

CAPUT II.

SYNOPSIS.

I. *Senatores in Coloniis, & Municipiis Ordinis ampliſſimi nota deſignati.* II. *Ordinis nomen ab Artificum quoque cœtibus uſurpatum. Proprie deſignabat Patricios.* III. *Eadem in Decurionibus merita pro adeunda Curia, requiſita, ac in Romanis Senatoribus.* IV. *Ipſi a plebe diſtincti.* V. *Decuriones nobiles erant. Domi nobilis quid importet.* VI. *Decuriones jus habebant comitiorum, & condendi decreta: his aliquando juncta plebiſcita.* VII. *Decurionum decreta* Senatuſconſulta *appellata: Nota, qua illa edebantur.* VIII. *Primus Curiæ, & Decemprimi ex Decurionibus lecti, ut Romæ Princeps Senatus.* IX. *Decurionum inſignia.*

I. JAm ſatis ex ſuperiori capite conſtare arbitror Senatores, atque Patricios in Coloniis, & Municipiis inſtar

inſtar Romanæ Reipublicæ conſtitutos fuiſſe, ac propagatos. De ipſis modo, eorumque juribus ſermonem hic inſtituemus. Porro non injuria iidem dicti fuere, *nervi, & viſcera Civitatum*, eoque nomine, quo Senatores Romæ in celeberrimo Orbis theatro fulgebant, in ſuis Civitatibus ſunt nuncupati. Hinc quemadmodum Romæ *Senatus*. *ORDO AMPLISSIMUS*, & Senatuſconſulta *ampliſſimi ordinis decreta*, *conſultaque*; *& Conſules ampliſſimi* in Pandectis appellantur; pari modo *Ampliſſimum ordinem Puteolanorum* vocat Cicero pro Cœlio: *Senatum Ampliſſimum* Treveris Vopiſcus in Floriano; NOBILISSIMUS ORDO CONSENTINUS eſt apud Barrium *de ſitu Calabriæ lib.2.cap.6.pag.79.*quem nuper eruditiſſimis notis illuſtravit Vir Cl. amicus noſter Thomas Aceti, aliaque de re ipſa exempla recenſet Heineccius *antiquit. Romanar. cap.5.* Sic etiam *Ordo* appellatur *in leg. 13. & penultima ff. de Decretis ab ordine faciendis leg. generaliter 3. §. Spuriis ff. de Decurion. leg. 1. in princip. ff. de Magiſtrat. convenien. leg. nemo 14. leg. 17. & 32.* cum multis aliis *ff. de Decurionibus*. In epiſtola quoque Cæleſtini Papæ ad Epiſcopum Narbonenſem legimus: *Nullus invitis detur Epiſcopus, Cleri, Plebis, & Ordinis conſenſus requiratur*: Pulcherrimam, nec diſſimilem inſcriptionem Coræ in antiquo Volſcorum oppido repertam nuper vulgavit Vir Clar. Joannes Vignolius poſt diſſertat. de Columna Antonini Pii *pag.* 319. Eam legit, atque recenſuit præſens Coræ Joſephus Roccus Vulpius Soc. Jeſu, & ſuo *De Coranis Libro*, qui eſt Veteris Latii ſeptimus ſic diligenter recenſitam inſeruit *pag.* 143. primæ edition. Quam propterea ad hujus exemplum hic exhibemus.

TI. CLAVDIO TI. F. ROMANO IVSTO
OMNIBVS HONORIBVS CORÆ FVNCTO
ORDO POPVLVSQ. CORANVS BENE-
MERITA EIVS.

 Unde

Unde emendandus eſt Vignolius, & alii quicumque aliter ac ſic, lapidem ex relatu amicorum deſcripſerunt. Alia exſtat Septempedæ inſcriptio in vetuſto lapide, qui nunc in foro majori ſpectatur, relata a Joanne Baptiſta Cancellotto in vita S. Severini Epiſcopi Septempedani, itemque ab Ughellio in Italia Sacra in Epiſcopis S. Severini, quam e re ducimus hic rurſus deſcribere.

MAGNO PRINCIPI
FLAVIO VALERIO CONSTANTINO
NOBILISSIMO
ORDO SEPTEMPEDANORVM
D. N. M. F.
PVB.

Huic eam quoque adjicimus, quam Coletus in additionbus ad Italiam Sacram laudati Ughellii non ita pridem Venetiis vulgavit agens de Septempedanis Epiſcopis.

IMP. CÆSARI.
L. DOMITIO AVRELIANO
PIO F. AVG. INVICTO
P. M. TRIB. POT. CONS.
PRINC. P. P. IVVEN.
OR. SEPT. PVB. D. D.

Saxum vero quod ſequitur, viſitur in foro Civitatis Interamnæ.

IVLIO EYBYLIDÆ
CY. CORR. TVSCIÆ XVIRO
PROEFECTO ÆRARII S. SATVRNI
OB ILLVSTRIA IPSIVS MERITA, ET
AMOREM IVSTA CIVES ORDO
INTERAMNATIVM PATRONO.

II. Eo nomine, illuſtriſque ampliſſimi Ordinis nota vulgo appellatum Senatum Municipalem, & Decurionum

Digitized by Google

num cœtum animadvertunt Pancirolus *de Magiſtrat. Municip. cap.* 1. Cardinalis Noriſius *in Cænotaphiis Piſanis diſſertat.* 1. *cap.* 3. ac Juſtus Fontaninus *de antiquit. Hortæ libro* 1. *cap.* 3. *a num.* 7., quod pluribus antiquis inſcriptionibus a Grutero, aliiſque, relatis, comprobant; eademque appellatione quandoque ipſos etiam Decuriones indicatos fuiſſe, conſtat ex ſequenti monumento veteri apud Gruterum *pag.* 19.

PRO SALVTE
COLONIAE. ET. ORDINIS
DECVRIONVM. ET. POPVLI.
TVDERTIS &c.

Id ordinis nomen vilium etiam artificum cœtus, & corpora ſibi uſurpaſſe tradit idem Noriſius, qui ea verba Cænotaphii: *Per conſenſum omnium ordinum*: putat eſſe intelligenda de Decurionibus, & ceteris Artificum corporibus, atque Collegiis. Sic apud Gruterum *pag.*391. 1. legitur; *Ex decreto ordinis Piſcatorum*, *&* *Urinatorum totius Alvei Tiberis*. At Ordinis nomen proprius cœtum Decurionum deſignaſſe, plebejorum vero, & artificum ſocietatem paſſim Collegia, & corpora nuncupata fuiſſe conſtat ex innumeris a Grutero recitatis inſcriptionibus; ex titulo item *de Navicul.Cod.Theod.lib.*3. & de pluribus Collegiis per totum *lib.* 14. quod animadvertit ejuſdem *diſſertationis* 1.*cap.*3. Cardinalis Noriſius. Non abs re inſuper ex relatis inſcriptionibus animadverto: colligi facile poſſe ordinem magis proprie, congruenterque Patricios deſignaſſe; quando enim Decuriones deſignantur, vel etiam artes, non uno in lapide juncta videntur ipſi Ordini Decurionum, & Artium nomina: nimirum: ORDO DECURIONUM. ORDO NAVICULARIORUM. Propterea non inepte fortaſſe cenſeo ORDINEM abſolute, & abſque addito, unice deſignare *Patricios*, qui in Senatu, uti Romæ,

præ

præ ceteris ſententiam rogabant. Diſtincte proinde legitur ORDO, DECURIONES, MUNICIPES, in vetuſta inſcriptione apud Philippum Cluverium *Ital. antiq. lib. 2. pag. 633.* quam refert, & Vir Clariſs. Juſtus Fontaninus *de antiquit. Hortæ lib. 1. cap. 3. num. 7.* Habet enim.

ORDO SPOLETINORVM. DECVRIONES
ET MVNICIPES.

Ejuſdem ſententiæ fuiſſe videtur Joannes Bodinus *de Republica lib. 1. cap. 6.*, ubi quum narraſſet legislatorem ita Civitatem diſtribuere oportere, ut Cives ordine, & cenſu diſtinguerentur a ceteris, pro Ordine ſumit eam Civium partem, quæ vel conditione, vel ſexu a reliquis diſcreta eſt; additque: *Conditione quidem nobiles a Patriciis; Equites a plebejis, ſexu vero fœminæ a viris, ſtatu denique ingenui a libertinis*: Pari modo Patriciorum ordinem appellat Maximilianus Fauſt. *in Conciliis pro ærario claſs. 5. conſil. 78. ordine 137.* ſcribit enim: *Ubi cum hoſte debellatum eſſet ex eorum numero viginti, qui optime meriti crederentur, ad Patricium ordinem, traducerentur*: & conſ. 35. claſs. 14. ordin. 983. *Idem nobis contigiſſe videmus, ut cum Sacer, ac Patricius ordo Fortunis, & opibus locuples*: Nec aliter Vir Clariſs. Nicolaus Coletus *in addit. ad Ughellium de Epiſcopis Sancti Severini*, poſt recitatam Septempedani Municipii antiquam inſcriptionem: *Urbs hæc*, inquit (Septempeda) *regebatur nobilium Patriciorum cœtu, quem ordinem Septempedanum allatæ inſcriptiones appellant*: Ordinem Patriciorum eadem ſententia Fulvius Fontana hunc ipſum Ordinem Septempedanorum appellat in epiſtola dedicatoria ad ſtrenuum Virum Angelum Cancellottum Equitem S. Stephani, & Patricium Septempedanum, præfixa operi de origine S. Militiæ S. Stephani Italico ſermone vulgata.

III. Nec

III. Nec quidquam cauſſæ eſt, ſi in tanta veteri monumentorum inopia teſtis appellari vix poſſit, qui hujuſmodi Patricii nomine exteros Municipes indicaverit, eoſque per ordinis notam fuiſſe complexos. Neceſſe præterea non erat id importune ſcriptis notare, quod cuique notum erat. Atque ita quidem ſe rem habuiſſe ſatis aperte ſuadere videtur conjectura ducta ex eo, quod Municipalis Senatus Romanæ Reipublicæ referret imaginem; vel ſaltem, quod ita frequens extra Urbem apud ipſos non fuerit ejus nominis ambitio, ob reverentiam Senatus Romani; qui tot nominibus longe, multumque ceteros aliarum Urbium dignitate, potentia, auctoritate, amplitudine, & majeſtate anteibat. At ſi in re ipſa ad illud provocare licet exemplum, ut idem eſſet ac Romæ Coloniarum, at Municipiorum Senatus; certe id quoque non inepte dicendum erit: nobiliores illos Municipes, qui Patrem, avumque Decuriones oſtendere poterant Senatum, ſeu Curiam adiviſſe, eadem prorſus patricia conditione, qua Romanos ipſos, aditum ad Senatum ſuum habuiſſe. Proinde ad deſignandum nobilius ipſorum genus, ac conditionem Ordinis debuere indicari nomine, quo ipſa ſignificabatur Romanorum Senatorum conditio, ut nimirum eſſent Patricii, & Senatorum filii. Atque id quidem eo prorſus jure, quo Romæ poſt Plebi communicata Patriciorum munera, eique aditum ad Senatum conceſſum, ipſis tantum factum eſt proprium. Patricii ſiquidem, qui Senatores, & Patricii re ipſa erant, *Patricii*, & *Senatores* dicebantur; qui plebejo nati fuerunt genere, tametſi Senatores, hoc ſolum nomine nuncupabantur; atque ita per Ordinis vocabulum deſignabantur Municipes, & Patricii in Curia lecti. Hoc, ut conſtet clarius, animadvertendum eſt genus idem, ætatem, cenſum, honeſtatem, aliaque decora requiſita fuiſſe in Romanis legendis Senatoribus, ac in Decurionibus ſpectabantur, ut notat Guillelmus Fornerius *lib.* 1. *ſelect. cap.* 12., & poſt illum Eucrardus Otto *diſ-*

*diſſert. jur. publ. & privat. diſſert.9.cap.*1. §.2. De Cenſu Decurionum hæc habet Heineccius *antiquit. Romanar. cap.5.in notis ad num.*123.*Habebant ii* (Decuriones) *ſuum cenſum, non ſecus ac Romani Senatores*. Jam fuſe de Romanorum cenſu libro primo egimus, eumque adeo in Patriciis ſpectatum fuiſſe diſſeruimus: ut niſi ipſi eum cenſum haberent, qui, vel pro adeundo Senatu, vel pro equo publico merendo requirebatur, in plebem juſſu devenirent cenſorio. Dum vero pro re ipſa illuſtranda Salviani teſtimonium attulimus, non meminimus monere lectorem ejuſdem libros de Providentia, ſub quibus ipſum recitavimus, vulgo inſcriptos eſſe cum titulo *de Gubernatione Dei, & juſto judicio Dei* juxta poſtremam editionem Venetiar. apud Antonium Bartoli: In *lib.*autem 1.*pag.*8. ea verba leguntur, quæ a nobis ſuperius exſcripta fuerunt. Notat autem Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis Salvianum plurima opera ſcripſiſſe, nunc tamen dumtaxat exſtare libros octo de Providentia, & judicio Dei, & libros quatuor de Eccleſia ſub Timothei nomine. Addendus etiam Salviani teſtimonio eſt Tertullianus *in Apologetico cap.6.* qui ait: *Patricium, quod decem pondo argenti habuiſſet pro magno titulo ambitionis Senatu ſummovebant*: quem laudat & Balutius in notis ad dictum Salvianum.

IV. Ut autem, unde digreſſi ſumus redeamus quis jure negabit, genus etiam Patricium, quod Romæ oſtentabat qui Patre Senatore natus eſſet, reipſa ſpectatum fuiſſe in legendis Decurionibus, & Senatoribus Municipalibus, nimirum, qui Decurionibus, & Senatoribus eſſent orti; illoſque præcipuum in Curia conſtituiſſe Ordinem, quo a cetero populo diſcernerentur? Non impar profecto diſcrimen præſetuliſſe, uti Patricii Romani diſcernerentur a plebe, ex vetuſtis monumentis obſervat eorum Interpres accuratiſſimus Noriſius, qui in Cænotaphiis Piſanis *diſſert.* 1. *cap.*3. illa Cænotaphii Cajani verba expendens:

dens: *Plebem & Populum*: *Nomine Colonorum*, ait, *Civium, vel Populi ſejunctim a Decurionibus fuiſſe quandoque appellatos*. Apud Panvinum libro de Imperio Romano, plures, quæ rem ipſam illuſtrant, exſtant inſcriptiones; ubi autem de Coloniis agit *pag.* 747. has exhibet.

DECVRIONES ET PLEBS
COLONIÆ ANCONITANORVM.

Item pag. 748.

DECVRIONES, ET PLEBS
COLONIÆ ASCVLANORVM.

Proſtat, & inſigne edictum apud Gruterum *pag.* 228. in quo legitur.

DECVRIONES, ET POPVLVS CENETENSIS.

Quod illuſtrat Vir Clariſs. Juſtus Fontaninus *de antiquit. Hortæ lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 7.

V. Sed & parem Romanis, Municipales Decuriones oſtentabant generis nobilitatem: quare ſicut in Curia totam repræſentabant Coloniam, & Municipium, ita æque nobiles dicendi erunt, ut arguit Franciſcus Amaya *in rubrica Cod. Juſtiniani ad titulum de Decurion. lib.* 10. *num.* 5., & ex noſtris Cardinalis de Luca *de præemin. diſc.* 30. *num.* 3. cum aliis adductis per Sac. Rotæ Tribunal. in cauſſa *Aſculana nobilitatis ordinis Conſularis* 21. *Junii* 1708. §. *ad haſce cor. Molines*. Eos tamen ad Romanæ nobilitatis diſcrimen, *domi nobiles* dictos putat Stanislaus Santinellus *in diſſertat. de veter. Romanor. nobilit. cap.* 7. Saluſtii fultus teſtimonio in Catilinarii belli hiſtoria, ubi legitur: *Eo convenere Senatorii Ordinis L. Lentulus Sura. P. Antonius. Ad hæc ex Coloniis, & Municipiis domi nobiles*: ita nimirum, Romanorum nobilitas ab illa Coloniarum, & Municipiorum diſcernebatur, quæ veluti minus ſplendida eo diſcrimine

Ooo eſt

Digitized by Google

eſt indicata, ex quo addit idem Scriptor: *Hoc autem in uſu eſſe ſolet apud alios Scriptores Romanos, ut per illud domi nobiles, ſimileſque loquendi formulas velint tantum peregrinam nobilitatem a Romana diſtinguere*: & paullo poſt: *At domi nobilis, quamvis a multis ſumatur ad deſignandam peregrinam nobilitatem ab Romana diſtinctam, proprie tamen deſignabat etiam exiguam nobilitatem, qua quis in ſuis oppidis, & regionibus nobiles appellabantur*. Ceterum licet domi nobiles in Municipiis, & Coloniis Decuriones fuerint nuncupati, non ideo minori nobilitatis ſplendore pollebant; propterea quod illud *domi* verbum ad deſignandum quo loco nobilitatem ſuam quiſque trahebat, uſurpatum videtur; ac ita, Municipiorum, Coloniarumque nobiles judicarentur. Cicero *pro Sext. Roſcio Amerino c.* 15. *Sextus Roſcius*, inquit, *genere, nobilitate, & pecunia, non modo ſui Municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile princeps: & in oratione* 4. *in Verrem. Archagatum Halernitanum hominem non ſolum domi ſuæ, ſed tota Sicilia in primis nobilem vocari juſſit*: & paullo poſt de Melitenſi Diodoro verba faciens: *Homo*, inquit, *& domi nobilis, & apud eos, quo ſe contulit propter virtutem ſplendidus, & gratioſus*.

VI. Nec mirum ſi eadem ſpectabantur merita, in Decurione legendo, præcipueque genus a primis Decurionibus ductum, quæ in Senatore Romano ſpectari conſueverunt: Enim vero, & ipſi in Curia ſua, negocia, quæ illi Romæ in Senatu, agere, atque tractare debebant. Non diſpar præterea utrique pro locorum diſcrimine eſſe debebat auctoritas, nec minor poteſtas, ut res publicæ graviter, ſplendide, ac feliciter pertractarent; quod pluribus illuſtrat exemplis Guido Pancirolus *de Magiſtrat Municip. cap.* 1. ubi de eorumdem creatione, munere, & officio late differit: patetque toto titulo Codicis, & ff. de Decurionibus. Ipſis enim tum in Co-

Comitiis, tum in decretis condendis auctoritatem fuiſſe animadvertit Noriſius *in Cænotaphiis Piſanis diſſert.* 1. *cap.* 3. quod Auguſtum præſertim Imperatorem in omnibus ab ſe deductis Coloniis tribuiſſe, affirmat teſtimonio. Suetonii in ejus vitæ *cap.* 46., cujus hæc verba ſunt: *Excogitato genere ſuffragiorum, quæ de Magiſtratibus Urbicis Coloni in ſua quiſque Colonia ferrent, & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent*: Jus quoque condendi decreta penes ſolos Decuriones fuiſſe patet ex toto *titulo ff. in l.* 50. *de Decretis ab ordine faciendis*: Verum tamen eſt, aliquando eorum conſtitutis, ſi res poſtularet, plebiſcita quoque fuiſſe adjuncta, itaut plebs tametſi ab ipſis diſcreta, uti Romæ erat, nihilominus, & in Coloniis ipſa quoque ſententiam rogaret. Id aperte demonſtrat celebris Narbonenſium tabella recitata a Grutero *pag.* 229. in qua Auguſto Narbone plebs Narbonenſium, aram in foro decreviſſe legitur. Tres præterea Equites Romani e plebe, & tres libertini annua ſacra facere jubentur in honorem Auguſti. Id autem factum puto, vel quod judicia plebis Decurionibus Auguſtus conjunxit, ut explicat Noriſius, vel quia Decuriones conarentur plebejos a judiciis excludere, ſive quia diſcrepantes utrorumque ſententias idem Princeps compoſuerit: ſic Fontaninus *de antiquit. Hortæ lib.* 1. *cap.* 3. *In Coloniis*, inquit, *Decurionum decretis ſcita populi, & plebis adjuncta fuiſſe, ita quidem, ut & ipſa plebs ſententiam rogaret*: In rem ipſam utitur teſtimonio Jacobi Sirmundi *in prop. lib.* 51. *pag.* 3. qui inſuper vetuſtum deſcripſit ſaxum, quod nos quoque Lectoribus exhibemus.

PVBLIO CEIONO
IVLIANO
CORRECTORI TVSCIÆ ET VMBRIÆ
OB INSIGNIA EIVS GESTA ET INLVSTRE

ADMINISTRATIONIS MERITVM
ORDO NARNIENSIVM VNA CVM
CIVIBVS STATVAM COLLOCAVIT
PATRONO DIGNISSIMO.

Itemque altera apud ipſum occurrit inſcriptio, quæ eſt hujuſmodi.

ORDO VOCONTIORVM EX CONSENSV
ET POSTVLATIONE POPVLI.

VII. Merito autem Decurionum decreta Senatuſconſulta ſunt appellata non in lapidibus tantum Municipum, & Monimentis ambitioſis, ſed ut advertit Euerardus Otto *diſſert. juris publ. & privat. diſſert. 9. apud ipſos Scriptores Romanos Cæſarem*, *Ciceronem*, *Livium*, *Plinium*, *alioſque*: quod nos quoque ſuperiori capite paullo ante notavimus. Et ſane Modeſtinus Juriſconſultus *in leg. Julia ff. de Ambitu*: *Si in Municipio*, inquit, *contra hanc legem* (de Julia de Ambitu verba facit) *Magiſtratum*, *aut Sacerdotium quis petierit*, *per Senatuſconſultum centum aureis cum infamia punitur*: expreſſa decreta plerumque erant his litteris. *DD.* ſicut Romæ *S. C.* ut obſervat Pancirolus *cap. 5.* In Gruteriano autem opere hæ Siglæ paſſim occurrunt *L. D. D. D.* quas ita Noriſius explicat, nimirum: *Locus datus*, *decreto Decurionum*. Nec tamen his notis ad ſua deſignanda decreta, ſemper uſi ſunt: quoniam aliquando eorum placita ex pluribus lapidibus conſtat expreſſa fuiſſe iis verbis: PLACERE CONSCRIPTIS. PLACERE ORDINI. PLACERE SENATUI. In Tabula profecto Tarraconenſi apud Gruterum *pag.* 442. & 446. legitur: PLACERE CONSCRIPTIS, quæ verba uſurpata fuiſſe pro formula in decretis condendis cenſet Juſtus Fontaninus, eaque de re videre licet Briſſonium de formulis *pag.* 217.

VIII. Animadvertit præterea Pancirolus *de Municip.*

cip. Magiſtrat. cap. 1. Quod ſicuti Romæ Princeps Senatus legebatur, qui, ut in Africano ſcribit Plutarchus, & auctoritate, & rerum geſtarum gloria præſtabat, ita, qui in Colonia, & Municipio univerſa munera explevisſet *primus Curiæ* creabatur, decemque Decuriones, qui in ordine Curiæ primi ſequebantur *Decem primi* vulgo appellati fuerunt: quorum non rara apud Scriptores occurrit mentio. Cicero pro Roſcio Amerino: *Itaque*, ait, *Decurionum Amerinorum decretum ſtatim fit*, *ut Decemprimi proficiſcantur ad bellum*: Idem in quarta Verrina narrat, Lucium Metellum Prætorem Siciliæ ob depoſitas a Centurupinis L. Verri ſtatuas evocaſſe Centurupinum Magiſtratum, & Decemprimos: In Cod. Theodoſiano *leg.* 3. *de Epiſcop.* & *leg.* 54. *de Hæret.* nominantur Decemprimi. Gratianus Imperator *leg.* 2. *de quæſt.* decernens pœnam plumbatorum infligi poſſe Decurionibus, inquit: *Decemprimos tamen Ordinis Curialis ab immanitate hujuſmodi verberum ſegregamus*: Apud Gruterum inſuper *pag.* 348. 7. legitur Epitaphium Nicomedis Decemprimi. Antiquorum Scriptorum motus teſtimoniis Noriſius in memoratæ *diſſer.* 1. *cap.* 3. animadvertit eumdem Primorum Curiæ numerum non ubique fuiſſe. Cæſar enim *libro* 1. *bell. Civil. cap.* 35. evocavit ad ſe Maſſilienſium xv. *Primos* Tullius *lib.* 3. *de natura Deorum* laudat Chirographum *ſex primorum*: Et in novella Majorani ad Baſilium Præfectum Prætor. nominatur *quinque primorum* Curiæ ſubſcriptio. Hermogenianus antiquus Juriſconſultus: *Decemprimi*, inquit, *Tributorum exactioni*, *ita præerant*, *ut ſiquid detrimenti Fiſcus mortuariorum cauſa contraheret*, *ipſi ſuis ſumptibus reſarcirent*: Eorum meminit Firmicus *lib.* 4. *Metheſ. cap.* 2. & 12., & plura de ipſis congeſſit Reineſius *in epiſt.* 31. Laudantur quoque *Decemprimi domeſticorum in leg.* 7. §. 9. *de domeſtic. protect. Cod. Theodoſ.* & *pag.* 202. apud Gruterum leguntur *Decemprimi*, qui ad domum Auguſti per-

pertinebant, non autem ad Curiæ, ſeu Coloniæ ordinem. Decemprimos de quibus potiſſimum hic differimus, ex Decurionibus fuiſſe lectos, docet Alciatus in annot. *ad tres poſterior. libros Cod. titulo de muner. patrimon.* cenſetque munus habuiſſe mancipibus proximum, quos Aſconius Pedianus tradit Publicanorum fuiſſe Principes, qui decimas emebant a Fiſco. Sed ab his differre: *Tum quod ex Decurionibus Principibus eligebantur, & idcirco nobiliores erant, tum etiam quod illi ex portoriis, ut plurimum recipiebant vectigalia.*

VIII. Propriis denique inſignibus, ut a reliquis diſtinguerentur, quemadmodum Romæ Senatores, in ſuis Coloniis Decuriones utebantur; liquet ex marmore Veronæ reperto in ædibus Georgii Vallæ Polliculæ, editoque a Guidone Pancirolo *cap. 6.* Sic etiam apud Sponium Miſcellan. *erudit. antiquit. pag.* 164. legitur EXORNATO ORNAMENTIS DECURIONALIBUS. Qua de re Heineccius *antiquit. Roman. cap. 5. in notis ad num.* 123. opportune animadvertit. *In marmoribus municipiorum frequenter fit mentio ornamentorum Duumviralium, Ædilitiorum, Quatuorviralium, Decurionalium.* Quæ illa fuerint, non ſatis conſtare ibidem ingenue fatetur idem Pancirolus qui tamen limbo, aut aliquo prætextæ genere eos a ceteris fuiſſe diſcretos arbitratur: *Certe*, inquit, *veſtium ornatu a plebeis diſtinctos fuiſſe hæſitandum non eſt, quemadmodum Romæ Senatores ab aliis lato clavo diſcernebantur.* Et Heineccius recitato loco ſatis ex Livio *lib.* 34. conſtare arbitratur inter alia ornamenta prætextam fuiſſe Decurionibus permiſſam. Præ ceteris iis præcipue *Bigam* fuiſſe ex alio marmore Urbini reperto cenſet idem Pancirolus; ſed idipſum ſatis lucis minime ſuppeditat, quæ rem adhuc obſcuram, multiſque difficultatibus obnoxiam penitus illuſtret, aut ſaltem clariorem efficiat: *Cum in quodam marmore* (ſcribit Vir Eruditiſſimus) *Urbini apud D. Franciſcum legatur:*

BIGA

Digitized by Google

BIGA DECURIONUM, *quo privilegio omnes honorati potiebantur*, *tit. Cod. de honorat. veh. verum de hoc nihil certi ſtatui poteſt:* Conſtat etiam ob publicam lætitiam, veluti ob nunciatam victoriam, vel natalem Principis, Decuriones quandoque coronatos inceſſiſſe, ut Tertullianus libro *de Corona Militis* innuit. S. Ambroſius *in 2. ad Timotheum epiſtolam*, habitum Senatorum, tum Romæ, tum etiam in Municipiis penulam fuiſſe indicat, ſcribit enim: *Quos conſtat in ſocietatem Romanorum receptos, ut de cetero appellarentur Romani, idcirco neceſſe eſt, eos Curiam habere, in quam more Romanorum penulati conveniunt.* Atque hæc de Patriciorum, & Decurionum ordine ſatis.

De Municipalibus Magiſtratibus.

CAPUT III.

SYNOPSIS.

I. *Magiſtratus Municipales penes Decuriones erant, & quo tempore creati*. II. *Duumviri ex Decurionibus lecti, & qui?* III. *Duumvirorum auctoritas*. IV. *Duumviratus, ut Romæ Conſulatus. Conſules, Duumviri appellati. Reineſius, & Velſerus notati*. V. *Conſulum nomen ab Artificibus etiam uſurpatum*. VI. *Duumvirorum habitus, Faſces, aliaque cum Romanis Conſulibus communia*. VII. *Prætores Coloniarum, & Municipiorum; eorum majeſtas*. VIII. *Cenſores, Dictatores, Ædiles, & Interreges in Municipiis, & Coloniis*.

I. NOn abs re fore putamus, ſi poſt inſtitutum de Coloniarum, Municipiorumque Senatu, & Patriciis ſermonem de Magiſtratibus ab eiſdem geſtis, inſtar

ſtar Romanorum verba faciamus. Provinciam comparandi Romanos Magiſtratus cum Venetis diſerte ſuſcepit, atque complevit parvo libello Guerrinus Piſo Soacius, cui titulus, *De Romanorum, & Venetor. Magiſtratuum inter ſe comparatione*: In hoc potiſſimum oſtendit, ut Romæ, ita Venetiis Senatum, & reliqua Reipublicæ munera Patriciis fuiſſe commiſſa. Certum profecto eſt Municipales Magiſtratus Decuriones geſſiſſe, illoſque fuiſſe penes Patriciorum Ordinem: eoque modo, quo, ut dictum eſt, jus erat Patriciis Romanis Magiſtratus Reipublicæ gerere, ceteraque munera habere. Hinc ſcribit Ulpianus *lib.* 3. *ad edictum in leg.* 1. *in princip. ff. de Magiſtrat. conven. In omnes ſubſidiaria actio non dabitur, ſed in Magiſtratus, nec in fidejuſſores Magiſtratuum, aut nominatores, niſi ORDO in ſe periculum receperit, quo etiam caſu ſoli præſentes tenentur, nec ſi a Magiſtratibus Municipalibus tutor datus ſit, videtur per ORDINEM electus.* Idem libro 4. *de officio Proconſulis in leg. reſcripto ff. de Muner. & honor.* ſcribit: *Conſtitutio, qua cautum eſt, prout quiſque Decurio creatus eſt, ut, ita, & Magiſtratum adipiſcatur, totiens, inquit ſervari debet, quotiens idoneos, & ſufficientes omnes contigit.* Eas leges Antonius Auguſtinus in libro ſingulari ad Modeſtinum *pag.* 218. editionis Lugdunenſis explicans: *Ordinem autem*, inquit, *Decurionum, interpretatur, ut cum de Decretis, ab Ordine faciendis*: & paullo poſt recitato Ulpiani reſponſo: *Quod de Municipalibus Magiſtratibus dictum eſſe non dubito; hos itaque intelligo de Magiſtratibus conveniendis, & de periculo eorum, qui pro Magiſtratibus intervenerunt, & in §. Item, de Magiſtratibus conveniendis, atque aliis locis ſexcentis.* Non eodem die, eodemque tempore hi Magiſtratus creati reperiuntur, ac deprehenduntur. Exſtat enim *lex* 28. *de Decurionibus Cod. Theodoſ.* lata a Conſtante Imperatore, ſeu Conſtantino, uti contendit Gothofredus anno Æræ Chriſtianæ CCCXXXIX. in qua legitur: *Conſtitutioni-*

bus

bus perſpicue definitum eſt, Kalendis Martii nominationes fieri, ut ſplendidorum honorum, munerumque principia primo tempore procurentur. Auguſto autem imperante, qui Colonias a ſe præcipue deductas jure, & dignatione Urbi quodammodo æquavit, ut tradit Suetonius *cap.* 46. Novos Magiſtratus Kalendis Januarii munus primum iniiſſe cenſet Noriſius *in Cænotaphiis Piſanis diſſert.* 1. *cap.* 3.

II. Ex hoc porro illud facile conſequi videtur, ut tempus ſuſcipiendi Magiſtratus idem eſſet, & Coloniarum Patriciis, nec alio die, quam Kalendis Januarii eos adire conſueviſſe; quod etiam illa perſuadet ratio, quoniam Municipiorum Magiſtratus tum dignitate, & auctoritate, tum etiam nomine, Magiſtratibus Romanis perſimiles erant; ſimillimoſque mores, & ritus referre, atque ſervare ſtudebant. Et quidem primus Duumviratus fuit, quem ſolis Decurionibus gerere, uti Civitatis primoribus, & nobilioribus licuiſſe, demonſtrat Guido Pancirolus *de Magiſtrat. Municip. cap.* 1., & Alciatus in lib. 3. *diſpunct. cap.* 5. Ab eo arcebantur ceteri, qui Decuriones non erant: ii ſiquidem Plebejorum cenſebantur nomine. Quapropter Paulus J.C. *in leg. honores* 7. §. 2. *ff. de Decurion. Is*, inquit, *qui non ſit Decurio, Duumviratu, vel aliis honoribus fungi non poteſt, quia Decurionum honoribus plebeji fungi prohibentur*. Idem in leg. 1. ff. de Albo ſcribendo: *In albo*, inquit, *lex præponi debet, qui maximo honore in municipio functus eſt, ut qui Duumviratum geſſit*: & leg. in honorariis ff. de action. & obligat. *In Duumviros, & in Rempublicam etiam poſt annum actio datur ex contractu Municipalium Magiſtratuum*. Item in tractatu de damno infecto: *Duas*, inquit, *res Magiſtratibus Municipalibus Prætor injunxit, actionem, & poſſeſſionem, cetera juriſdictioni ſuæ reſervavit, ſi forte duratur non cavere, ut poſſidere liceat, non Duumviros, ſed Prætores permiſſuros*. Qui vero fuerint Duumviri Alciatus citato *lib.* 3. *diſpunctionum*, ita explicat: *Duum-*

viros in ordine Decurionum duos fuiſſe ex ſupraſcriptis conſtat, qui carcerum curam habebant, qui publica locabant, qui Reipublicæ negocia gerebant, qui faſcibus utebantur. In pluribus vetuſtis lapidibus, recitatis in Gruteriano opere hujus Magiſtratus occurrit mentio. Eo functos quoque Patricios Municipii Septempedani patet ex ſequenti inſcriptione relata a Nicolao Coleto in additionibus ad Ughellum ubi de Epiſcopis S. Severini ſermo eſt.

D. CATINIO C. F. CVRVO
DVO. VIR.

III. Duumvirorum munus, & auctoritatem accuratiſſimus Cardinalis Noriſius in Cænotaphiis Piſanis *diſſert.* 1. *cap.* 3. diligenter illuſtrat; ex cujus operoſis lucubrationibus pauca nobis adnotaſſe ſufficiat. Is primum oſtendit Duumviratum tantæ exiſtimationis, & honoris, apud ipſos quoque Romanos fuiſſe, ut a nobiliſſimis Senatoribus initus, geſtuſque plerumque fuerit. Siquidem Pompejus Magnus poſt debellatum Orientem ob amorem Juliæ relicta Roma, Duumviratum Capuæ geſſit, quemadmodum teſtatur Cicero in oratione poſt reditum ad Senatum: ad Duumviros in Coloniis ſpectabat potiſſimum, cauſſas ad Decuriones referre, eorumque de his rogare ſententiam. Eos in Tribunali jus dixiſſe ex ſaxis Gruterianis plane compertum eſt, meritoque Eminentiſſimus Noriſius id tuetur adverſus Gentilem *de juriſdiction. lib.* 2. *cap. de Duumviris*; quamvis graviora crimina ad Romani Senatus cognitionem delata fuerint, puta proditiones, conjurationes, veneficia, cædeſque dolo malo patratæ. Auguſtus autem ſolus potitus imperio, ſicuti Urbani ipſius Senatus poteſtatem ita, & Coloniarum, antiquiſſimam juriſdictionem ſpecie honoris non parum imminuit, ut ex Suetonio notavit Vir Clariſs. Juſtus Fontaninus *de antiquit.*

Hortæ

Digitized by Google

Hortæ lib. 1. *cap.* 2. *num.* 4. At licet exinde mixto Imperio Duumviri caruerint, fuerintque tribunali deſtituti, ſuggeſtus tamen editior iis extitit, quem juſdicentes occupabant, ut ab omnibus ſpectari poſſent, qui vulgo Tribunal appellabatur; ut liquet ex Suetonio *de clar. Rhet. cap.* 6., & Petronio *cap.* 71. quorum teſtimonio idipſum aſſeruit Euerardus Otto *diſſert. jur. publ. & privat. diſſert.* 9. *cap.* 1. §. 3. Quamvis autem, ut notat Alciatus in tres libros poſteriores Cod. Juſtiniani, tit. de privileg. eorum, qui in S. Palatio Militant, apud recentiores Juriſconſultos dubium ſit, an Duumviri jus gladii habuerint, eorum tamen ampliſſimam auctoritatem advertens, nonnullorum opinionem, qua cenſent jus gladii habuiſſe ex ipſis legibus probabiliorem arbitratur. Qua de re dolet Livium *lib.* 1. prætermiſiſſe id admonere, quum narrat judicaſſe Duumviros, ut Tergeminus Horatius furcis ſuſpenderetur, quod ſororem interfeciſſet. In aliquibus Italiæ Urbibus non Duumviri, ſed Quatuorviri Magiſtratum gerebant, & in una eademque Colonia modo Duumviros, modo Quatuorviros laudari in inſcriptionibus patet ex theſauro Gruteriano *pag.* 96. 1. 445. 2. 446. 4. 447. 7. & alibi paſſim, quod cum laudato Noriſio id factum putat loco paullo ante citato Fontaninus, ut nimirum Civium ambitioni ſatisfieret; *Quatuorviri* quoque inſtituti fuere, quo facilius hac ratione ad plures ſummos Coloniarum Magiſtratus Decuriones pervenirent.

IV. Hi Magiſtratus in Coloniis, & Municipiis eamdem, quam in Urbe Conſules Romani præferebant imaginem; quin imo progreſſu temporis idem Conſulum nomen uſurparunt. Cicero in altera agraria Capuanorum ſuperbiam exaggerans, qui ſuæ Urbis Magiſtratum, non Duumviros uti ceteræ Coloniæ, ſed Prætores nuncupabant: *Non ne arbitramini*, ait, *paucis annis fuiſſe nomen Conſulis appetituros*: Eruditiſſimus Chimentellus

tellus *cap.* 5. de honore Biſellii recte ſcribit Duumviros in quapiam ambitioſa Colonia Conſules nuncupari potuiſſe, quum eamdem Romanorum Coſs. effigiem, & ſpeciem referrent. Hinc laudatus Noriſius *diſſert.* 1. *cap.* 3. ad Cænotaphia Piſana literatum recitat lapidem Piſis effoſſum in quo COS. I. notatus legitur.

D. M. S.
FELIX HERCVLEO
EQ. P. ÆD. I. I. COS. L.
PONT. PERP.
REIP. PIS.

Poſt recitatam vero Chimentelli opinionem Doctiſſimus Cardinalis pronunciavit: *Qui quidem Scriptor, ſi epigramma, quod nondum e ruderibus erutum pedibus forte Piſis calcavit, vidiſſet, in eodem, ſuæmet opinioni triumphum ceciniſſet*: Caſaubonus in notis *ad pag.* 112. *Apologiæ Apulei*, & Philoſtrat. *de Viris Sophiſt.* exterarum Urbium Conſules produxit: quos etiam admiſit Gentiles *de juriſdict. lib.* 2. *cap.* 5. & quidem Auſonius ſe Burdigalæ Conſulem vocat, quum cecinit.

Diligo Burdigalam, Romam colo: Civis in hac ſum
Conſul in ambabus.

Quæ carmina Velſerus *lib.* 5. pro arbitrio invertit contra omnium vetuſtorum Codicum fidem; Merito proinde reprehenditur eodem loco a Noriſio. Reineſius vero *epiſt.* 31. putat Auſonium Poetarum more loquutum, ac metri cauſſa pro Duumviro *Conſulem* poſuiſſe; quod etiam repetit *lib.* 3. *variar. cap.* 16. ſcribens: *Conſules ſola Roma habebat incommunicabiles Municipiis, & Coloniis.* Verum, ut ſcite notat Chimentellus, ſi quædam Municipia, dictatorem juridicundo præferebant, jure, meritoque aliæ quoque Urbes Magiſtratus ſuos Conſulum nomine appellarunt, quum major certe dictatura Conſulatu fuerit. Hinc Coloniis, Municipiiſque hujuſmodi Con-

Conſulum vocabulum non injuria competiiſſe contendit Eucrardus Otto *in diſſert. 9. de Conſulibus extra Urbem*, qui in eis idem imperium, eamdem auctoritatem, eadem Jura prærogativa animadvertens ita ſcribit: *Quid ergo cauſæ eſt, cur dubitemus, quin in Municipiis, & Coloniis, ſplendidioribus Conſulum quoque nomen Duumviri aſſumſerint? & ab obnoxiis acceperint? Neque enim Rectores imaginarii erant, & in ſpeciem Civitatibus præfecti, neque Conſules pomœridiani, & otioſi: ſed annuam juriſdictionem exercebant, Ordinem cogebant, Decuriones conſulebant, & ſicuti Conſules bini Duumviri Romæ, ſic hi pro Conſulibus apud nos.*

V. Id quidem factum poſteriori illa ætate, vel Principis privilegio, vel Coloniarum ambitione, cenſet Noriſius. Hinc & Guerrinus Piſo Soacius *de Romanor. & Venetor. Magiſtr. inter ſe comparat.* Conſularem poteſtatem Venetiis invectam oſtendit ipſo Civitatis, & Reipublicæ initio; atque inde Sabellii fretus teſtimonio addit: *Ab ea regiminis forma, ſicut apud Romanos Conſules ſucceſſere loco Regum, ita apud Venetos, Duces ſucceſſerunt loco antiquorum Conſulum*: Nec mirum ſi Duumviri Conſulum ſibi inderent nomen, quod etiam viles artes uſurparunt; unde idem Soacius quærens cum Pirrho *de Magiſtr. lib.* 1. utrum horum exemplo aliqui ex Magiſtratibus hujuſmodi noſtri temporis jure Conſules poſſint appellari: Sentit, *nullum eſſe, qui ipſis comparari poſſit, & ſequitur Purpuratus num.* 79. *quamvis poteſtate antiquorum Conſulum non conſiderata, ſed derivatione vocabuli, quod Conſules Civitatum appellati ſint, quia Reipublicæ conſulere debent. Reperiuntur Conſules Civitatum, qui æquiparantur defenſoribus, & pariter reperiuntur Conſules artium*: Conſules profecto *artis lanæ* apud Taurinenſes fuiſſe docet idem Soacius; *Conſules artis* eodem teſte habebat etiam Verona antiquiſſima Civitas; *Conſules* item *Quateriorum* antiquiſſimi fuere

ſuere Brixiæ; Venetiis, ſi lis aliqua de mercimoniis intercedat, & ad mercaturam ſpectet, ſubſellia Judicum conſtituta ſunt, qui ex ea *re Conſules Mercatorum* appellantur. Septempedæ demum *Conſul Artium*, & *Conſul Mercatorum* reperiuntur; de quibus ſit mentio in patriis ſtatuti *rubrica* 28. *lib.* 1. Sunt etiam *Conſulis* vocabulo appellati in emporiis Maritimis, ut puta, Liburni, Januæ, Anconæ, & ceteris per Italiam, & in Orientis quoque ſolis regionibus, Græciæque Inſulis, viri illi, qui e qualibet Gente, & Natione, commercii publici ſuorum res curant. Ita Liburni ſunt Conſules Imperatoris, ſive Germaniæ, Galliarum, Hiſpaniarum, Venetorum, Januenſium, Britannorum, Batavorum &c.

VI. Hos tamen cum antiquis illis Conſulibus neutiquam eſſe comparandos animadvertit citato loco Soacius: Duumviris vero rectius hujuſmodi competiiſſe nomen, & cum antiquis Coſs. ſimilitudinem interceſſiſſe haud leve momentum oſtendit; eadem ſiquidem quibus Romani Conſules, ceterive Magiſtratus majores fere adhibuerunt honoris inſignia, aut ſaltem eorum imitatione in Coloniis, & Municipiis Duumviri, quam ſimillima præferebant. Ebur curule, licet Duumviris non fuerit communicatum; ejus tamen ſimulacrum habebat Biſellium, quod Valerius Chimentellus libro ſingulari evicit; quem ſecutus eſt Euerardus Otto dicta diſſert. de Conſulibus extra Romam: De honore biſelli celebre monumentum exſtat Interamnæ, domi familiæ de Mazzincollis, quod hic exhibemus.

T. DEXIO M. P. MENDANO
MILITI VETER. HONORE BISELLI
AC EQVO PVBL. ONORATO M.
DEXIVS DVPPLICAR. LEG. XXV.
PATRI OPT. CLAVDIA PROBA VIRO
KARISS. CVM LACRIMIS CONTRA VOTVM
P. P.

To-

Togam purpuream prætextam, Livius adeo manifeſte, Municipalibus Magiſtratibus attribuit, ut nemo merito poſſit ambigere, quod patet præcipue *ex lib.* 34. Lictores item Duumviri habebant, ſed non item faſcium uſum, uſque ad Tiberium, ut Juſtus Fontaninus *de antiquit. Hortæ lib.* 1 *cap.* 2. exiſtimat. Quis autem neſcit Lictores cum faſcibus inter prima inſignia Conſulum extitiſſe? Sic Sanctus Lucas in actis Apoſtol. *cap.* 16. *verſ.* 357. Magiſtratibus Coloniæ Philippenſis tribuit lictores, & virgas; Narboni Coloniæ Martialis *lib.*8. *epigr.*72. *lixas, & virgas*, quin imo ipſi Imperatores Arcadius, & Honorius *in leg.* 53. *de Decurion. Duumviris impune non liceat poteſtatem faſcium extra metas territorii propriæ Civitatis*. Annuum, ut Conſulatus Romanus, Duumviratum fuiſſe obſervat idem Euerardus Otto in memorata diſſertatione ex Canone quinquageſimo ſexto vetuſtiſſimi Concilii Illiberitani, ubi Chriſtianus, quo anno Duumviratum agit, ab Eccleſia ſegregari præcipitur, propterea quod cogeretur edere ludos, & ſpectacula publica; eiſque adeſſe cum religionis diſpendio; ubi legi merentur, quæ in rem ipſam conceſſit Gundiſalvus Tellez *lib.* 3. *pag.* 439. *edit. Lugdunen.* Huc ſpectat, *ex lex.* 16. *Cod. Theodoſ. lib.* 2. *tit.* 1., in qua reſpuentes Duumviratum ob immenſos ſumtus, quos idem Magiſtratus afferebat, præcipue in ludis, & ſpectaculis edendis, duplicati temporis, & Magiſtratus pœna damnantur; ac proinde integro biennio recuſatum onus ſuſtinere coguntur.

VII. Nec enim, ut advertit idem Euerardus §. 4. Conſulum tantum nomen ſibi uſurparunt Duumviri; ſed etiam ceterorum Magiſtratuum vocabula, quibus Romani Patricii ſuperbiebant, in ſuis Municipiis, & Coloniis, Decuriones ſumſerunt. Quum enim auctore Suetonio *cap.* 46. Coloniæ, & Municipia ab Auguſto Imperatore Regiæ Urbi pro parte aliqua eſſent æquatæ Præ-

Prætoris quoque nomen quod Juſtinianus Imperator ait proprium fuiſſe Imperii Romani *novel.* 24. 25. in Coloniis potiſſime eſt propagatum; Auctor Livianæ epitom. *lib.* 13. Henum Aſinium *Prætorem Maracinorum* memorat; Livius *ipſe lib.* 23. & Plinius *lib.* 17. *hiſt. natural. cap.* 11. *Prænestinorum Prætorem* laudat. Vetus inſcriptio apud Sponium Miſcellan. eruditæ antiquit. *pag.* 182. meminit *Prætoris Puteolani*; aliæ aliarum Urbium meminere Prætorum. Hinc Aufidius Luſcus *Prætor Fundanus*, ut amplitudinem, & dignitatem æquaret prætextam, latumque clavum, prunæque batillum aſſumſit; ſuoque nomine annum ſignavit ridente Horatio *lib.* 1. *ſatira* 5. Male autem Horatiani interpretes Gambinus, & Torrentius Aufidium exagitari putant, quod ſupra humanam conditionem ignem ſibi præferri voluerit, quos merito reprehendit eodem loco Euerardus Otto. Caſaubonus enim ab ipſo relatus ad Pollionis Claudiam veriſimilius prunæ batillum anſati, & geſtatilis foculi genus fuiſſe exiſtimat, quod pruna plenum Viris Principibus præferebatur, ad odores incendendos: ſed quid, ſi batillum pro inſtrumento, quo prunæ componuntur a Satyrico venuſte dictum putemus? ut nullam poteſtatem prætercivilem, ſed uſum domeſticum Scipioni iſti tantum cohæſiſſe judicaret. Id enim manifeſte affirmat Cicero contra Rullum: *Anteibant*, inquit, *Capuæ Lictores non cum batillis, ſed, ut hic, Prætoribus anteunt cum faſcibus duobus*.

VIII. Cenſoris præterea munere nullum Romæ fuit præſtantius. Plutarchus in Catone ſummum ei tribuit faſtigium, & cultum, & nos quoque *lib.* 1. hujus tractatus idipſum oſtendimus. Et tamen ſingulis Civitatibus ſui fuere Cenſores, qui ad Urbanorum exemplum *Quinquennales* dicebantur auctoribus Cicerone *actio* 2. *in Verrem*, Livio *lib.* 29. & Juniore Plinio *lib.* 10. *epiſt.* 173. Hoc idem patet ex pluribus lapidibus apud Grute-

rum

rum *pag.* 366. 2. *&* *pag.* 432. 2. & Sponium *pag.* 169. Dictatorem quoque ſummum in Republica Romana fuiſſe Magiſtratum vidimus; Livioque monente *lib.* 22. Conſules ad ſe obviam ire ſine faſcibus jubebat, ac duplo ampliorem Conſulari auctoritatem ejus fuiſſe, docet Peanius *Metaph. ad Eutropium lib.* 1. *cap.* 11. Eodem nomine Tuſculum, Ceræ, & Lanuvium Municipia antiquiſſima ſummum Rectorem ſuum nominarunt teſte Chimentello loco citato. Cato *dictatoris Latini* meminit in fragmentis *lib. de origin.* Apud Priſcianum *Dictator Albanus* legitur ex lapide apud Reineſium *pag.* 361. Spartianus autem in Adriano *cap.* 19. *In Hetruria*, inquit, *Præturam Imperator egit, per Latina oppida dictator, & ædilis, & Duumvir*. Quin imo quemadmodum plerumque ob Candidatorum ambitionem multi in Colonia, & Municipio erant Magiſtratus, ita creabatur, & Interrex, ut tradit Noriſius in Cænotaphiis Piſanis *diſſert.* 1. *cap.* 3. ubi hæc habet: *In quibuſdam Coloniis, quod nulli novi Magiſtratus creari poſſent, penes Interregem juriſdictionem fuiſſe indicat inſcriptio Narbonenſis apud Gruterum pag.* 354. 5., quæ digna eſt, quæ hic rurſus deſcribatur.

T. CORRINIVS C. F. PO
DVVMVIR. ÆDILIS
INTERREX.

Pag. vero 491. num. 10. recenſetur inſcriptio imperante Tiberio poſita.

ÆDILI III. AVGVRI INTERREGI

Interrex, qui Romæ, in Coloniis, & Municipiis juridicundo præerat, Senatum cogebat; eoque præſtabat jure, quod Reges, & Conſules ſummo cum Imperio Romæ exſequebantur. In illo tamen interregno Coloniæ Piſanæ, ut advertit Eminentiſſimus Noriſius ex Cæ-

notaphio Cajano, quum nulli eſſent Magiſtratus, Decuriones, ceterive Cives Piſani annuas inferias Cajo decreverunt, Legatoſque ad Auguſtum Cæſarem deſtinarunt, aliaque, quæ in eadem inſcriptione leguntur, edixere.

De Obſoleta Patricii appellatione.

CAPUT IV.

SYNOPSIS.

I. *Patricii nomen poſt translatum Imperium Roma Byzantium in Coloniis obſoletum.* II. *Patricia dignitas Curialibus quoque, ſeu Decurionibus conceſſa.* III. *Patricii nomen quomodo apud Romanos deſueverit: paucæ Civitates Senatum retinuerunt, hodieque retinent.* IV. *Septempeda Civitas eamdem priſcam ſui ordinis nobilitatem diu, conſtanterque retinuit.* V. *In ceteris fere Civitatibus Conciliarii ſuffecti loco Decurionum: quid ſit Concilium.* VI. *Qui altiſſimas Turres erectas domi habebant, Patricii habiti. Tituli, quibus antiquitus Conciliarii honeſtabantur.* VII. *Hi Patricii denominationi æquipollebant.* VIII. *Militis nomen quid deſignaret antiquitus. Joannes Bodinus notatus.* IX. *Pluribus in Civitatibus populares quoque in Concilio cooptati, & paullo poſt ejecti.* X. *In pleriſque nobiles, & Magnates penitus pulſi.* XI. *Ariſtocratia, & Democratia quæ?*

I. INvecta diuque ſervata eadem in Coloniis, & Municipiis Romanæ Reipublicæ ratio, variam ſequuta fortunam eſt, cum ipſa vigente Republica, & poſt ejus excidium, tum etiam poſt translatum Imperium Roma By-

Byzantium: maxime vero poſt illud a Pontificibus Maximis collatum Galliæ Regibus. Hic minime provinciam ſuſcipimus oſtendendi in tanta rerum, & temporum inconſtantia variationem Magiſtratuum, quam pro viribus ſuperiori capite exſequuti ſumus; ut earum Coloniarum, ac Municipiorum Magiſtratuum cum Romanis ſimilitudo validam demonſtrationi noſtræ conjecturam faceret, qua nimirum cuique perſuaderetur cum ceteris aliis Romanorum inſtitutis, re munere, nomine etiam in Colonias, & Municipia invectis Patricios quoque fuiſſe propagatos. At quemadmodum vidimus tali nomine, & honorifico vocabulo in aliquibus Municipiis fuiſſe eorumdem tantum Decurionum filios jure appellatos; in aliis autem licet non eamdem denominationem, eamdem tamen imaginem retuliſſe; in utriſque autem parum frequentem denominationem extitiſſe; ita minus uſitata, imo penitus obſoleta, & antiquata remanſit, poſtquam idem fatum habuit Senatus Romanus in Reipublicæ interitu. Tunc enim quum Patricii nomen, aliam induerit ſignificationem, paullatim a ſua origine deflectere cœpit: quemadmodum *cap.* 10. *lib.* 1. notavimus. Poſtremo Conſtantino Magno auctore fuit tandem ad culmen inſignis dignitatis evectum; nec Romæ Senatorum liberos, aut deſcendentes, nec foris Decurionum filios amplius Patricii deſignabat nomen, illa ſignificatione, qua prius uſurpabatur; atque hinc tum Romæ, tum in Coloniis, & Municipiis paullatim obſolevit.

II. Et quidem ſicuti Imperio translato celeberrima Romæ, atque Byzantii erat Patriciatus dignitas, qua Viri emeriti, ac præſtantiſſimi in aula Imperatoria decorabantur; ita in Coloniis, ac Municipiis fuit Curialibus, Senatoribus, ſeu Decurionibus illorum conceſſa ab Imperatoribus præſtantia. Diverſam tamen ſignificationem aſſumſit. Enimvero: Si quis antea in Coloniis Patricii nomen trahebat a Curia, vel Senatu, uti Ro-

mani; poſtea, qui inter Curiales ornatus erat Patricia dignitate ab onere Curiæ omnino eximebatur. Id liquido patet *ex leg. 66. Cod. de Decurion.* quam Juſtinianus Cæſar edidit, ut Curialium conſuleret commodis: *Curialibus*, inquit, *conſortiis conſulentes*, *cenſemus*, *ut nemo ſibi blandiatur*, *& non certis modis ſeſe liberum eſſe exiſtimet*, *ſed pro noſtra forma tantummodo ſciat poſſe libertatem ſibi Curialis competere conditionis*; *omnibus anterioribus noſtris*, *quos non comprehendit præſens ſanctio ex præſenti die antiquandis*. *Siquis igitur*, *vel ſummum Patriciatus honorem fuerit conſequutus*, *vel inſulis Conſulatus honorarii*, *aut ordinarii fuerit ampliatus*, *ut vel Conſul*, *vel Conſularis efficiatur &c. is gaudeat ſe hujuſmodi conditionis eſſe liberum cum facultatibus ſuis*, *ſuaque poſteritate*, *quam poſtquam promeruerit dignitatem*, *vel actum geſſerit ediderit*: Ex his perſpicue item liquet Juſtiniani ætate Decurionibus poſt latum diu Curiæ onus Patriciatum Imperatores aliquando indulſiſſe, qua dignitate ab onere, & labore Curiæ cum ſobole ſua, atque poſteritate, & bonis pronunciabantur immunes: *Hoc etiam* (addit Juſtinianus) *nos corroborantes intuitu laborum*, *quos multo*, *prolixoque tempore pertulerunt*, *intactum*, *illibatumque conſervamus*, *ut hi omnes fortuna Curiali liberentur cum ſua ſubſtantia*, *ſuaque ſobole*, *ſecundum ea*, *quæ prædiximus*. Ex ea porro lege ſatis ſuperque apparet, non aliter, quam ceteri Viri in Imperatoris aula emeriti, Coloniarum quoque, ac Municipiorum Senatores ornari conſueviſſe hujuſmodi dignitate. Erat autem in Imperio dignitas quam præcipua, ut fuſe pro viribus libro altero expendimus. Cum vero poſt ipſum jam typis impreſſum in alia Patriciorum jura prærogativa incidiſſemus, præter cetera, quæ ſupra retulimus; hoc loco referre propoſuimus, quod apud Jo. Gottl. Heineccium *antiquit. Roman.* juriſprudentiam illuſtrantium *lib. 1. tit. 12. num. 15.* Non

ita

ita pridem obſervavimus. Non minorem ſcilicet Patriciis fuiſſe auctoritatem animadvertit Scriptor eruditiſſimus, quam fuerit Præfectis Prætorio; ut quemadmodum hi proponebant edicta, quæ deinde in unum corpus collecta Τῶν Ἐπαρχικῶν nomine veniebant, ita idem jus fuerit Patriciis, quorum edicta collecta Τὰ Ῥαϊμαμα dicebantur.

III. Non mirum propterea, ſi tunc id Patricii nomen, tam Romæ, quam alibi ii, qui Curiam, & Senatum adibant, non uſurpabant; idemque paullatim omnino obſoleverit. Quandoquidem ea ætate poſtquam diu quis in Curia laboravit, ſedulamque, & utilem publico bono navavit operam, juſſu, & auctoritate tantum Imperatoris Patricius dici poterat. Sed non diſpar hanc dignitatem fatum involvit, poſt occupatum a Barbaris Italiæ regnum, ac renovatum Romanum Imperium: quo tempore privatis hominibus a Patriciatu excluſis, eo ſolum decorari meruerunt a Pontificibus Maximis Reges, & Imperatores: & tunc quidem, ut multis oſtendimus, longe aliam ſignificationem ab iis Patricii nomen aſſumſit. Collata proinde ea primum dignitate ab Romano Pontifice Galliæ Regibus in Urbem accerſitis, ut tuerentur Eccleſiam; nec Romani, neque alii occurrebant alibi, qui Patricii ab origine, vel a dignitate appellarentur. Novis præterea invectis moribus, noviſque inſtitutis multæ Urbes a priſco ſuo ſplendore deflectebant: accedentibus inſuper poſterioribus ſeculis in unaquaque fere Urbe pertinaciſſimis diſſentionibus inter Ghibellinos, & Guelphos exortis, quæ Italiam univerſam luctuoſis incendiis funeſtarunt, & cædibus. Inſueta propterea data Coloniis, ac Municipiis regendi forma, vel in ipſis contentionibus armis invecta, ſive a Nobilibus, atque potentibus ſtrenue propugnata, vel pertinacibus inter populares ſubortis diſſidiis ſenſim nata, aut violenter inducta, atque mutata. Conſtat certe paucas admodum Civitates antiquum Senatus, Senatorumque nomen

nomen retinuiſſe, & priſcam nobilitatem: alias autem, vigentibus adhuc popularibus factionibus, & Barbarorum moribus, penitus amiſiſſe. Quamobrem Civitates dumtaxat maximæ, quas Reſpublicas vocant, id nomen retinuerunt, & adhuc noſtris temporibus retinent, ut veterum teſtimonio obſervat Cohellius *ad bullam boni regiminis cap.* 30. *num.* 25. & Vir Clariſs. Joſeph de Proſperis *de regimine Civitatis Veliternæ*. Qui inſuper Velitris Senatum antiquo, recentique tempore omni ex parte Romano fuiſſe perſimillimum contendit. De antiquis Veliternorum rebus fuſe egit Joſeph Roccus Vulpius Soc. Jeſu in Hiſtoriæ Veteris Latii *tom.*4. *lib.*6. ubi de honeſtiſſima Veliternorum priſca Republica ejuſque Senatu, ac Senatoribus multa congerit. In Italia profecto florentiſſimas ſcimus viguiſſe Reſpublicas, & vigere hactenus, in quibus meritiſſime nomen, & munus Senatorum, ut Romæ antiquitus, ſervatur: iidemque publica fungentes poteſtate communi bono proſpiciunt. Ejus ordinis quamvis diſpari munere, & facultate ſunt Venetiæ, Janua, Luca, Florentia, itemque Bononia, in cujus inſignibus libertas inſcribitur, & in Æmiliæ partibus parva licet, ſed non ignobilis S. Marini Reſpublica.

IV. Præterea, ut hic quoque amori erga patriam Urbem locus ſit, ac ſatisfaciamus, Septempedam non infimæ quidem ab ultima origine, ac vetuſtate conditionis, atque inſigne Romanorum Municipium, ut relatæ a Grutero, & Ughellio plures Inſcriptiones teſtantur, memoramus. Ipſa certe inter tot rerum, & temporum diſcrimina conſtanter ſervavit ordinem Patricium, de quo ſuperiori capite mentionem fecimus; antiquam propterea nobilitatem retinuit, hodieque retinet, ut præ ceteris notavit Comes Emmanuel Fontana in Italia nobili de eadem Urbe verba faciens, nec ſiluit Ughellius in Italia Sacra de Epiſcopatu, & Epiſcopis S. Severini diſſerens, ubi hæc ſcribit: *In Piceno ſita eſt inter colles Apennino finitimos,* *vide-*

videturque hactenus retinere priſcam nobilitatem, *cum Municipium olim Romanorum ſpectabile videretur*, *teſte adhuc pulcherrima Inſcriptione*, *quæ legitur in vetuſto lapide in foro ipſius Civitatis*: Non omnino propterea Reipublicæ nomen, quo diu antea gaviſa fuit, amiſit: Etiam poſtquam ſe ultro Eugenio IV. Pontifice Maximo Apoſtolicæ Sedi vectigalem fecerat. Patet enim ex priſcis, recentibuſque ſaxis, quibus *Reſpublica Sancto-Severinas*, *Septempedanorum reliquiæ* memorata legitur; præcipue vero in ejuſdem patriis, & Municipalibus legibus, quas vocant *Statuta*, a pleriſque lectis, præclariſque Viris ſancita; qui tum liberam adminiſtrabant Rempublicam. Hæc non ita pridem publicam lucem aſpexere, rogatione de iis pervulgandis facta in generalibus Comitiis ab Octaviano Gentilio Avo meo non obſcuri nominis Juriſconſulto, & Mathematicæ peritiſſimo. Auctoritas porro Magiſtratuum, Conſulis, Concilii in illis conſtabilita legibus, tum leges ipſæ pro bono Reipublicæ, ac pro libertate regiminis latæ clare demonſtrant abſolutum, ac veluti liberæ Reipublicæ eidem fuiſſe imperium. Referre tamen juvabit procemii verba, quibus poſt recenſita nobilium Civium nomina ad ea jura evulganda lectorum libertati ſuæ plauſum, & acclamationem ediderunt, quæ iſta ſunt: *Ad honorem*, *ſtatum*, *& triumphum*, *& exaltationem Communitatis*, *& populi S. Severini*, *ejuſque Comitatus*, *Fortiæ ac diſtrictus*, *& ad honorem magnificorum DD. Conſulis*, *& Priorum præſentium*, *ac futurorum hujuſmodi Civitatis*, *& diſtrictus*, *augmentum*, *unionem*, *exaltationem*, *& perpetuam conſervationem præſentis pacifici*, *& popularis ſtatus dictæ Civitatis S. Severini*. Id vero peculiare, ac præſtantiſſimum eſſe videtur, quod in publicis teſtamentorum, & contractuum tabulis, quas noſtri inſtrumenta vocant, plerumque ſubſcriptus, ac rogatus occurrit *Notarius Reipublicæ*, quemadmodum legi in multis hujuſmodi tabularum a Patruo meo dilectiſſimo Bernardo Gentilio collectis

exem-

exemplis. Ne quis vero credat id ſibi proprio jure uſurpaſſe licebit animadvertere pacto conveniſſe cum Eugenio IV. Pontifice Maximo, ut vel deinceps in modum Reipublicæ regeretur, ac gubernaretur, quemadmodum liquet ex capitulis initis inter ipſam, & Apoſtolicam Sedem, anno MCDXLV. in calce *lib.* 4. Statutorum expreſſis. Simili etiam denominatione, ac jure potitur Æſina Civitas in Piceno, in qua natus fuit Federicus II. Imperator. Is enim Romanis permittentibus Pontificibus, multis ipſa de cauſſa decoravit juribus prærogativis, & privilegiis. Inter quæ illud recenſetur potiſſimum, ut Regio ſcilicet diademate ſtemma ſuum ornare poſſet; ſibique titulum, nomenque Reipublicæ adſcribere; Quamobrem hodieque ſibi titulum præfigit: *Reſpublica Æſina libertas Eccleſiaſtica*, ut refert Comes Emmanuel Fontana in Italia nobili, de ipſa inter alias Piceni Urbes verba faciens.

V. Sed, ut eo revocetur, unde paullulum declinavit oratio: Illæ Civitates, quæ malis iis temporibus Senatus, Senatorumque nomen amiſerunt, pro eo illud *Concilii*, & *Conciliarii* exceperunt; ut ſcribit paullo ante recitatus Cohellius ad bullam boni regiminis *cap.*30. *n.* 25. Idipſum aſſeruit Joſeph de Proſperis *de Regimin. Civit. Veliternæ part.* 1., ubi hæc habet: *Cum autem hodie in Italia pauca quædam loca, nomen Senatus retineant, ut ſunt Civitates maximæ, quæ vocantur Reſpublicæ; in aliis Civitatibus loco Senatorum ſucceſſerunt Decuriones, ſeu Conciliarii; & quemadmodum Senatus proprie dicebatur locus, in quem Senatores coibant ad decernendum quidquid pro recta Reipublicæ adminiſtratione videbatur expedire; teſte Pomponio Juriſconſulto in leg.* 2. §. *deinde ff. de orig. juris; ita apud nos locus ille, in quo Conciliarii, ſeu Decuriones conveniunt, Concilium appellatur.* Atque Illmus Archiepiſcopus Dominicus de Zaulis ad *Statutum Faventiæ tom.* 1. *rubrica* 2. *lib.* 1. *num.* 5. *In locum*, inquit, *Decurio-*

curionum, *ſucceſſerunt Magiſtratus*, *&* *Antiani*, *&* *Conſiliarii Civitatum*. Ipſi porro iidem, ac Decuriones habentur a *Gloſſa in leg. 2. de Decurion. & filiis eorum*, ubi idipſum ſentiunt, & affirmant Joannes de Platea, Lucas de Penna, & Amaya in rubrica *ad ipſum titulum n. 5.* & Loſeus de jure univerſitat. *p. 1. cap. 3. n. 39.* Nomen verò Concilii, quamvis diverſa, ac multiplici ſignificatione ſumi poſſit, nihilominus, ut ad rem noſtram pertinet, nihil aliud deſignat, quam *convocationem*, *ſeu conventum multorum Civium in loco certo auctoritate Superioris pro rebus ad Rempublicam pertinentibus coactum*: quemadmodum ſcite prodit Boer. *de auctor. Magiſtrat. in addit. num.* 164. Ex eoque memoratus Cohellius *eod. loco cap.* 31. ſubinde monet ea ſignificatione cum littera *C* hoc eſt Concilium eſſe ſcribendum, quod alio modo explicat; nimirum, eſſe *convocationem prudentum ad exquirendum conſilium*; & id colligit, probatque ex Textu in *C. multis* 17. *diſtinct. leg. 1. & ibi Gloſſa verbo Concilium Cod. de Sacroſ. Eccleſiis*. Cujus ſententiæ jampridem fuit Lucas de Penna *in leg. Si quod num. 1. Cod. de Legation. lib.* 10. At Cohellius latius ejuſmodi definitionem illuſtrat: tum multa cumulat *num.* 100. *& ſeq.* ſcribens de iis, quæ in publicis ſunt agenda, & tractanda Conciliis: Qui autem hujuſmodi adeunt, habentque Concilia, teſte Zaulo ad Statutum Faventiæ *citato loco n.* 35. *Civitatem repræſentabant*, *&* *repræſentant hactenus*, *habent enim gubernium*, *&* *adminiſtrationem rerum publicarum*, *itaut facere poſſint ea omnia*, *quæ facere valet Civitas univerſa*. Id quoque ex Textu *in leg. Municipibus ff. de condit. & demonſtrat. leg. Municipes ff. ad Municipal.* plene confirmat Knipſchildt *de jure*, *& privileg. Civit. Imper. lib. 5. cap. 1. num. 5. cum ſeqq.*

VI. Hi porro Conſiliarii in unaquaque exinde Civitate conſtituti, ac late propagati antiquato jam Senatorum, & Decurionum nomine, multo minus ſequioribus

ac barbaris temporibus, denominati fuere Patricii. Interea vero illud eſt præ ceteris obſervatione digniſſimum, quod circa hoc idem, ut opinor, tempus, quo Patricii nomen ab uſu receſſit, ad deſignandam tamen hujuſmodi qualitatem, Viri potentes in Italicis præſertim Urbibus, altiſſimas ipſi Turres, atque Pyramides, quas hodie pleriſque in locis adhuc videre licet, in ſuis domibus erigebant. Qui eas habebat erectas, habebatur Patricius. Has fortaſſe inter funeſtas illas ſupra indicatas populares procellas, Plebejorumque factiones nobiles viri pro ſua defenſione parabant: Id tamen veſanæ opinioni, ſtultoque furori tribuit Gaudentius Merula *lib.* 4. *memorabilium*, *cap.* 2. hæc ſcribens: *Erat olim veſana quædam perſuaſio præterito tempore per Urbes Italicas, ut is Patricius haberetur, non qui eſſet morum, & literarum candore conſpicuus, ſed qui Turrim haberet erectam. Hoc furoris genere laborabant Novarienſes Sympolites mei, Ticinenſes, & Nolani in Liguſtrico littore.* Nonnulli tamen inſignes, illuſtreſque tituli illis jure ſunt conceſſi, qui Concilium adibant, ac Conſiliarii munere fungebantur, iique Patricii fere nomini æquipollebant, & reſpondebant. Hi erant *Potens*, *Miles*, *Magnificus*, *Nobilis*, *Honorabilis*, *Magnates*, & id genus, quibus ad popularium, ac plebejorum diſcrimen Primores Civitatum decorabantur. Ejuſmodi appellationis plura poſſent produci exempla, ex quibus unum de multis contentus ero in medium afferre ex rubrica 61. *lib.* 1. Statutorum Civitatis S. Severini, ubi legimus: *Nullus nobilis, vel popularis ingredi poſſit in poſſeſſionem alienam ſine licentia*: & infra: *Contrafacientes ſi miles, ſive potens, aut filius, aut nepos, vel de progenie militis, & potentis puniatur.* In publico autem monumento ſecundæ inventionis ſacri corporis S. Severini Epiſcopi Septempedani ſecutæ anno MDLXXVI. ubi deſcribitur ſolemnis progreſſio cum ſacris exuviis per Urbem facta, habetur: *Toto Clero, Magiſtratu, Magnatibus, & popu-*

populo comitantibus. Hujuſmodi documentum nuper vulgavit, inſeruitque appendici ad ſuam primam Diœceſanam Synodum Præſul Clariſſimus, atque Illmus Dionyſius Pieragoſtini, qui poſt multos pro Eccleſia exantlatos labores Archiepiſcopatu Lucenſi ultro eidem oblato, recuſato, Septempedanam noſtram Eccleſiam ſumma cum laude, & commiſſi ſibi gregis profectu moderatur ac regit.

VII. His titulis, qui antiquitus inſigniti reperiuntur iis probatam eſſe generoſam nobilitatem pronunciavit Tribunal S. Rotæ Romanæ *deciſ.* 282. *part.* 4. *rec.* cujus hæc verba ſunt: *Concurrunt quoque inſtrumenta antiquiſſima, in quibus progenitores D. Marci bonorabiles, nobiles, & magnifici denominantur, quod non leve eſt nobilitatis ſignum, & multum confert ad illam probandam*. Quamobrem hanc ipſam deciſionem referens eadem S. Rota in cauſſa Aſſiſien. *Habitus die* 28. *Junii* 1717. §. *Neque ulla cor. Foſcaro*; affirmat hujuſmodi ea tempeſtate adhibitos titulos unice Viris competiiſſe Patriciis. *Necnon etiam*, inquit, *in inſtrumentis publicis conſequutos fuiſſe* (Aſcendentes Alphonſi Bini prætendentis habitum Sacr. Religionis Hieroſolymitanæ) *denominationem ſub iis titulis, qui ea tempeſtate privative ad Viros Patricios competebant, quibus omnibus concurrentibus ambigendum non eſt, quin reſultet ſpecifica generoſæ nobilitatis probatio*: Ex his clare patet, homines nobiles, de quibus agitur, quamvis antiquitus non fuerint appellati Patricii, pro Patriciis nihilominus Sacrum Tribunal habuiſſe, & accepiſſe, qui nimirum antiquitus recenſitis deſignabantur, atque honeſtabantur titulis: Non diſſimili quidem ratione, quod ſicut inter eos, ac populares, ſive plebejos non parum intercedebat diſcrimen, ita eamdem referebant antiquorum Patriciorum imaginem, qui hujuſmodi titulis præ plebejis honeſtabantur. Id propterea genus titulos, quibus Ger-

Germaniæ primores decorabantur antiquitus, expendens Joannes Jacobus Draco *de orig. & jur. Patric. lib. 3. cap. 2.* oſtendit; ipſis non alios, quam Patricios indicatos fuiſſe honorifica appellatione varia, varioque vocabulo, quod generis ſplendorem aperiebat, perſonæque teſtabatur nobilitatem, atque præſtantiam. Quæ ſane vocabula Germanico ſermone aperuit Philippus Khnipſchildt *de jurib. & privileg. Civit. Imperial. lib. 2. cap. 29. num. 49.*

VIII. Et quidem nomen Militis præ ceteris præcipuum ac præſtantiſſimum, non pro quolibet bellatore, aut pro eo, qui caſtra ſequebatur, militiæque dediſſet nomen, accipiebatur, ut proprie Latinus indicat ſermo; ſed medio, atque inferiori ævo nomen erat dignitatis, & honoris Nobilibus dumtaxat, ac generoſis attributum hominibus; idemque propemodum deſignabat, ac hodie *Eques*, *aut Patricius*, ut conſtat ex Riccardo *in Chronico ad annun MCXCII.* pluribuſque antiquis monumentis explicat, & illuſtrat Bernardinus Campellus *hiſt. Spolet. lib. 27. cap. 58. num.* 1399. Et antiquioribus quidem temporibus, nimirum ab anno DCCCXXXVII. idem evincit *lib. 16. num.* 20. ex Camillo Peregrino in hiſtoria Principum Longob. *ad capitular. Sicardi pag.* 79. *num.* 7. probatque Tiraquellus *de nobilit. cap.* 37. *n.* 81. Id nomen fucum feciſſe puto Joanni Bodino *de Republ. lib. 3. cap.* 8. qui fortaſſe Peruſinos, & Florentinos milites appellatos legens; eos nobilitatem a militia duxiſſe opinatur, itaut, qui inter ipſos militare cœpiſſet ex ignobili, nobilis efficeretur. Florentinos autem, auctore Macchiavello nobilitatem ſuam triplici conſtituto ordine a reliquis diſcreviſſe idem notat Bodinus hæc ſcribens: *Florentini, priuſquam unius dominatu omnia tenerentur, non tantum nobilitatem ab ordine ſacro, ſed etiam nobiles a plebejis, & plebejos triplici rurſus ordine diſcreverant; quorum, qui opibus præſtabant*

bant grandes appellabantur: ſecundo cenſu populares: tertio ſex ipſa plebis.

IX. At quamvis ii, qui illuſtribus, atque honorificis hiſce deſignabantur titulis primores patriæ eſſent, ſolique publicum adirent Concilium, non ſecus, ac priſci Senatores, Decurioneſque; exortis tamen pleriſque in locis inter ipſos, & populares inteſtinis diſſidiis a publicis muneribus, a Concilio, & Senatu, aut paullatim exacti, vel promiſcue cum plebejis ad publica, & præſtantiora Reipublicæ munera aſſumti fuerunt; vel armis, & contentionibus ab illis ea uſurpata, vel ad ſedandas hujuſmodi civiles factiones auctoritate quoque Romani Pontificis, aut proprii Principis utrique ordini communicata. Et quidem non ſecus, ac in Romana Republica, Plebs Patriciis infenſa Senatum adire, Magiſtratus gerere cum Patriciis contentionibus pertinacibus alicubi, in Italia præſertim obtinuit. Nova hinc forma publicis Civitatum data Conciliis. Apud Septempedanos Plebejorum diſſidia contra nobiles, ac potentes viribus prævalentia, in cauſſa fuerunt, ut plebs auſa fuerit decreta, legeſque adverſus ipſos rogare: penituſque occupato publici Concilii loco vetuerit etiam, ne ipſi alicubi conventus facerent. In libro, quem reformationum vocant anno MCCCXXVII. *pag.* 35. de re ipſa ſequens decretum legimus: *Nobiles, & potentes in eorum domibus nullam congregationem hominum faciant, & quod populares, & artifices teneantur ire ad palatium Communis*: Hinc Comes Leonardus Francus *in lib. manuſcripto de antiquit. Septempedanis* nobis communicato a Patruo noſtro Bernardo Gentilio de ipſa Urbe patria non uno nomine optime merito hæc habet: *Pro ſtatu illo priſco nobilium hæc adnotanda cenſui, videlicet anno Domini MCCCXXVII in S. Severino regiminis reformatio Eccleſiaſtica in ſtatum popularem contra nobiles directa.* Hæc tamen violenta, & iniqua publici regiminis, ac Ma-

Magiſtratus ratio, diu non viguit: matureque plebs compreſſa a publico eſt depulſa Concilio: tum primoribus, ut ſequenti capite demonſtrabimus, Civitatis muneribus Patricius ordo reſtitutus.

X. Eumdem profecto exitum, atque fatum non habuit Civitas Interamna multis nominibus in Umbria nobilis, atque conſpicua, ad cujus nobile Concilium quum ſemel populares obrepſiſſent, ac vice miſeranda promiſcuum effeciſſent, eos adhuc patitur, ita mandante conſtitutione peculiari Pii IV. quam tamen explicans Rota cor. Roxas *deciſ.* 229. iis, qui ante ipſam conſtitutionem generoſa nobilitate potiebantur nullum præjudicium intuliſſe affirmat. Eamdemque quoque fortunam patitur vetuſtiſſima Urbs Peruſium, in cujus Concilio, & Decemvirorum Magiſtratu plebeji perinde, ac nobiles admittuntur, principe tamen inter ipſos loco Patriciis ſervato. Summi enim Pontifices prudenti conſilio ad extinguendas civiles diſſentiones permittere conſueverunt promiſcuam nobilium, & plebejorum admiſſionem ad potiſſima quæque Urbium munera, & publicum regimen, vel quandoque plebejos dumtaxat in Concilium cooptari. Sic Martinum V. in Forolivienſi Civitate plebem ad publica munera aſciviſſe teſtis eſt Sigiſmundus Marcheſius *in ſupplem. hiſtoriæ ejuſdem Urbis pag.* 236. In Civitate Urbis veteris anno MCCCXLVI. Conſulum, quod tum vigebat, antiquato conſeſſu, ſancitum fuit, ut populare eſſet Concilium plebejis refertum; addito etiam præcepto, ne quis nobilis aſſumeretur ad publica obeunda munera, ut legitur in ejuſdem Chronico apud Muratorium in collect. ſcriptorum rerum Italicarum *tom.* 15. *pag.* 653. Idem contigiſſe pluribus conſpicuis in Etruria Urbibus præſertim Senis, ubi anno MCCCLXXXIV. laudantur *Priores artium, & Dux populi*, colligi poteſt ex ejuſdem ætatis monumentis apud ipſum Muratorium *eodem tom.* 15. *pag.* 289. Idipſum in ple-

pleriſque Germaniæ Civitatibus contigiſſe fuſe narrat Sebaſtianus Munſter *Coſmograph. lib.* 3. *cap.* 65. & Lehman Chronic. Spiren. *lib.* 4. *cap.* 18. quas prioribus ſæculis a Patriciis, & nobilibus rectas hodie fere omnes in democratiam delapſas eſſe oſtendit Philippus Khnipſchildt *de jur. & privileg. Civit. Imperial. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 8. Is præterea ſcribit in Civitate Gamundia, licet prioribus ſeculis ſumma Reipublicæ apud Nobiles eſſet, diſcordia tamen, & ambitione inter præcipuas, nobileſque familias exorta, ab illis ad populum deveniſſe. Prout etiam Argentorati ſancitam fuiſſe legem, ne quis præcipuum ejuſdem Urbis Magiſtratum, quem *Ammeiſterium* vocabant, ſumeret, niſi ſe ex plebejis natum doceret. Narrat item *lib. altero cap.* 29. *num.* 42. Plebis Tribunos Brunſvicenſes, ut ad ſe totam Reipublicæ ſummam traherent, Patricios Urbe penitus expuliſſe, quos poſtea Albertus Dux eorumdem reſtituit. Quanta Halæ Saxonum inter Patricios, & plebem diſsidia exarſerint pro uſurpando regimine Civitatis late memorat Fabricius *lib.* 7. *origin. Saxon. ſol.* 785. Ejuſdem tandem eventum alibi habuiſſe Plebejos paſsim colligi poteſt ex ſcriptoribus aliis, qui peculiarium Civitatum, & Oppidorum ſcripſerunt hiſtoriam.

XI. Harum diſſenſionum cauſſa inducta paſsim fuit duplex regiminis forma; quarum alteram *Ariſtocratiam*, alteram *Democratiam* vocant. Democratia ea eſt, quæ regimen, ac ſumma Reipublicæ ſolis Plebejis attribuit; Cavent enim potiſsime Democratici, ne publica officia Viris concedantur Patriciis. Unde Chriſtianus Liebenthal *diſput. de tribus Form. Reipub. theſ.* 95. ſcribit complures Germaniæ Civitates prolapſas in Democratiam fuiſſe partim arcendo a regimine, partim opprimendo vetuſtiores nobilium familias, ut quam paucisſimæ ex iſtis in iis Civitatibus appareant, inter quas enumerat Lubecam, Bremam, Brunſvigum, Maydeburgum, & Fran-

Franfurtum; qua de re ſcribit etiam Philippus Khnipſchildt recitato loco *lib.* 3. *cap.* 46. *num.* 14. Contra autem *Ariſtocratia* eſt, quæ imperium credit Optimatibus, præcellentibus prudentia, juſtitia, ceteriſque virtutibus, ut docet *Ariſtoteles* 3. *politic. cap.* 5. *&* *lib.* 3. *Eth. cap.* 10. Optimates ex eo dicti putantur quod optimi ex omni reliquorum Civium numero lecti ſint, & qui ita præſunt, ut omnia ad illud referant, quod Civitati, ac ipſis utile eſt. Ipſique vocantur etiam *Patricii*, *&* *Seniores*, ut docet Alexander ab Alexandro *dier. genial. lib.* 6. 24. In eo regimine, quo pauciores fuerint, eo ſtabilior, atque diuturnior erit Optimatum ſtatus, cum concordia facilius inter paucos conſervetur, quam inter multos teſte Ariſtotele citato loco, & Bodino *de republic. lib.* 2. *cap.* 6. de qua regiminis forma plura videſis apud Philippum Khnipſchildt *lib.* 1. *cap.* 8. Is tandem *lib.* 3. *cap.* 48. *num.* 14. alteram, atque novam expendit Reipublicæ formam, qua dimidia pars Senatus ex Patriciorum ordine, alia ex plebe deligitur, quam nec Democratiæ, neque Ariſtocratiæ aſſimilari ullo modo poſſe contendit; eam tamen in aliquibus Germaniæ, aliarumque Regionum Civitatibus vigere, ſequenti capitulo demonſtrabimus.

De renovata appellatione Patricii.

CAPUT V.

SYNOPSIS.

I. *Nova regiminis forma ab Henrico V. in Germaniæ Civitatibus invecta; eaque alibi inducta.* II. *Concilium plurium Civitatum aliud generale, aliud particulare: quod Credentiæ, Cernitæ, alioque nuncupant nomine.* III. *Concilium Credentiæ Civitatis S. Se-*

S. Severini antiquis nobilibus reſtitutum : ejuſque nobilitas, & juriſdictio . IV. *Concilium Ravennæ Capuæ, Aſculi, aliarumque Urbium ex nobilibus ſolum conſtitutum .* V. *Patriciorum in Germania, Saxonia, Italia renovatio, & origo: Abaſuerus Fritſchi confutatus .* VI. *Non ante apud Italos Patricii nominati, quam ſæculo decimoquarto ineunte, iique poſtmodum ſequioribus ſæculis paſſim in publicis monimentis conſignati .* VII. *Patricii Lovanienſes a plebe Senatu expulſi anno MCCCLX., deinde pace cum ipſa compoſita reſtituti .* VIII. *Patricii Bruxellæ anno MCCCLX. Plerique aliarum Germaniæ Civitatum anno MCDLI.* IX. *Patricii in pluribus Germaniæ Civitatibus a Carolo V. lecti anno MDXXIX.* X. *Veneti Patricii dicti, & Qui?* XI. *Patricii Placentiæ anno MDXXX. peculiaribus Clementis VII. literis a reliquis Civibus lecti, eorumque munus .* XII. *Patricii Reipublicæ Francofurdenſis, & Auguſtæ Vindelicorum .* XIII. *Patricii Florentini tempore Reipublicæ, & Principatus .* XIV. *Patricii Maceratenſes in Piceno; Patricii Capuani, Scotorum, Danorum, Anglorum .* XV. *Patricii Lovanienſes in ſeptem familiis diſtributi . In Calatayeronis Magiſtratu Primus, Patricius vocatur .*

I. QUæ, popularium, & plebejorum ſeditio adverſus nobiles, atque potentes prævaluit in rerum publicarum adminiſtratione, diu non ſtetit; rebus enim in integrum reſtitutis, vi repulſa nobilium pleriſque in locis, & Urbibus extincta prorſus manſit : Poſteriori ſiquidem ævo literis, & bonis artibus, itemque moribus melioribus exculto, exactis paullatim a rerum adminiſtratione plebejis, nobiles Concilium Civitatis iterum ſibi vindicarunt; atque ita ſenſim priſtinus fuit ejuſdem ſtatus reſtitutus, eademque

 ferme

ſerme antiqui Senatus ratio, atque conditio: familii nobilitatis, ac generis ſplendor vindicatus, & aſſertus: Demum in tanto rerum diſcrimine, ac mutatione paullatim reviviſcens Patriciis nomen vigere iterum cœpit, ſuumque explicare pretium. Conſtat autem longe ante propiora nobis tempora in Germania, atque Saxonia Henricum Aucupem Imperatorem dediſſe operam, ut extinctis Hunnicis bellis, ac ſuperioribus Carolinis mutationibus, præcellentibus, nobilibuſque familiis, aliæ crearentur, ſubrogarenturque, ut ſcribunt Witichindus *lib.* 1. & Reinerus *de origin. nobilit.* itemque Petrus Heig. *quæſt. jur. Civil. & Saxon. part.* 1. *quæſt.* 2. *n.*65. quibus acceſſit Joannes Jacobus Draco *de origin. & jur. Patric. lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 3. Nobilibus itaque familiis in Germania lectis, & a reliqua populari turba ſecretis, nova inde forma regendi Urbes Imperiales ab Henrico V. eſt inducta; conſtituitque is ut non ab aliis, quam a Senatoribus, & Conſulibus ſuis gubernarentur. Id poſtea aliis fere municipalibus Civitatibus exemplo fuiſſe; ut in iis rurſus antiqua ex Romanæ Reipublicæ forma Magiſtratuum, & Senatus ratio, atque conditio renovaretur, auctor eſt Otto Friſingenſis *lib.* 2. *cap.* 13. cui adhæret Chriſtophorus Lehman *in Chronico Spiren.lib.*4. *cap.*13. Eorum teſtimonio citato loco uſus Draco in eamdem ſententiam hæc addit: *Poſtquam enim Henricus V. Imperator novam gubernandi Civitates Imperiales formam per Conſules, & Senatores induxit, qui poſt ea tempora in omnibus etiam municipalibus Civitatibus in uſu eſſe cœpit exemplo ab antiquo Romanorum regimine deſumpto &c. conſequutum inde eſt, ut præcipuæ, ac nobiles cujuslibet Civitatis familiæ in Senatorium ordinem reciperentur.*

II. Par in Italia regiminis forma progreſſa, & ſenſim in omnes fere ejuſdem primarias Urbes invecta in cauſſa fuit, ut paullatim inde primores earundem Cives pri-

priſtino Senatorio Ordini reſtituerentur; expulſis præterea a Concilio, uti ſupra dicebamus popularibus, atque plebejis, non aliis ad ipſum aditus eſſet, quam iis, qui ceteros, & nobilitate, & generis præſtantia anteirent. Curatum autem eo diſcrimine potiſſimum ab iis eſt, ut duplex ſubinde induceretur Concilium, quorum alterum ipſis, & popularibus commune foret, atque promiſcuum; alterum ipſis ſolis, nec aliis ex plebe communicandum; quo facilius nimirum illos expellerent, ſibique primarium in regenda Civitate locum aſſererent. Uſu porro in omnibus fere nobilibus, ac primariis Civitatibus receptum fuit; ut Concilium aliud eſſet Generale, in quo Cives omnes ad certa gravia, & ardua negocia pertractanda, vel conficienda convenirent, aliud Particulare, penes quod eſſet Urbis regimen, ſolique haberent nobiles: quaſi in ipſo antiqui Senatus imaginem referrent. Multa hujus generis exempla Italicæ Urbes nobis ſuppeditant, præſertim vero in Inſubribus, Æmilia Etruria, Umbria, Piceno, iiſque Provinciis, quæ nunc Neapolitanum Regnum conſtituunt. Singula hic recenſere ſupervacui laboris eſſet. Nonnulla tamen quæ argumento ſatis lucis afferunt, indicabimus. Anxani, quæ nobilis Frentanorum Urbs eſt, antiquitate, Civium ſplendore, Archiepiſcopali Sede, aliiſque nominibus clara, etiam furentibus Guelphorum, & Gibellinorum factionibus, inteſtinoque bello inter ejuſdem Urbis Cives, finitimoſque Ortonenſes, & Sulmonenſes mutuis cædibus, atque incendiis conflagrante, integer manſit nobilium cœtus ſecretus a Plebe, ac primus quidam *Concilii* nomine, altera *Univerſitas* appellata eſt. In ejus Urbis Archivo binæ Caroli II. & Roberti utriuſque Siciliæ Regum exſtant literæ ſubjectum præferentes titulum: *Judici Regio*, *Conſilio nobilium*, *&* *Univerſitati Lanzani fidelibus noſtris dilectis*. In hiſtoriis Anxanenſibus jampridem ſcriptis a Jacobo Fella, præſertim

vero capite xix. multæ recenſentur Neapolitanorum regum literæ ad Anxanenſes datæ: quæ ſequenti prænotantur titulo: *Nobilibus*, *& egregiis viris Syndico Conſilio*, *& Univerſitati Lanciani fidelibus noſtris dilectis*. *Syndicus* Primoris ordinis princeps erat, primuſque in Urbis regimine, ac nobilium virorum concilio, quemadmodum hodie, habebat partes. Cives ipſos paſſim *Nobiles*, *magnificos*, *ſpectabiles*, *milites* ſuis literis Reges appellant, omnemque honoris ſignificationem adhibent, ut illorum ſplendorem, nobilitatem, atque præſtantiam teſtatam faciant. Hoc idem conſilium virorum nobilium in pluribuſque Italiæ Civitatibus diverſum ſortitum nomen eſt, atque vocabulum; alicubi enim *Cernita*: Alibi *Credentia*: In aliis Urbibus *Regulatus* appellatum eſt nomine, quemadmodum innuit Campellus ad conſtit. Urbini *decreto* 23. *num.* 67. In Urbe noſtra Septempeda poſt tyrannicum Smedutiorum jugum excuſſum, Martino V. Pontifice Max. anno MCDXXVII. quum viri nobiles decreviſſent antiquum nobilitatis ſibi vindicare ſplendorem, in generali Concilio adverſus Plebejorum inſolentiam coram Provinciæ Præſide lege caverunt; ut conſtitueretur *Credentiæ Concilium*, apud quod plenum jus, & arbitrium eſſet in rerum publicarum adminiſtratione exceptis nonnullis arduis negociis, in quibus neceſſarium foret Concilium Generale, & omnium præſentia Civium, ut ex libro *Concilior. pag.* 36. nobis communicato a Patruo noſtro Bernardo Gentilio de Patriæ juribus prærogativis, & antiquis monumentis ſupra præconium optime merito. Maceratæ item, quæ in Piceno inter præſtantiſſimas Urbes merito habetur commendatione, & laude digniſſima nobile Credentiæ Concilium eſt inſtitutum, illudque ſolum tributum Viris Patriciis, ut conſtat ex *lib.* 1. *Statutorum* ejuſdem, de quibus infra pleniorem ſermonem habebimus.

III. Quo-

Digitized by Google

III. Quoniam vero diu ſine diſſidiis id permanere non potuit in pleriſque aliis Civitatibus, in quibus eadem invecta eſt forma, & ratio particularis Concilii, eam invidia plebis, nobilibus ſemper infenſa occaſione arrepta turbare tentavit. Opus proinde fuit, ut ſupremi Principis accederet auctoritas, cujus Imperio ubique fere præſcriptum eſt; ut primoribus dumtaxat illarum Civitatum inter ceteros lectis Concilium particulare, adeundi jus eſſet: Longe plura ejus rei afferri poſſent exempla, ſed illa conſulto omittentes, ne longius, quam par eſt, noſtra excurrat, & vagetur oratio, de aliquibus tantum, & quidem celebrioribus verba faciemus. Ingeſta paullo ante Patriæ noſtræ mentio iterum revocat, ut de ea cujus nomen pro virili parte propagatum cupio, ſermonem inſtituam. In ea ſiquidem anno MDXXXII. Cardinalis Ravennatenſis Sedis Apoſtolicæ in Piceno ab latere Legatus, cum non obſtante lege a nobilibus, jampridem lata conſtituendi Credentiæ Concilium, vidiſſet Urbi perniciosum futurum in eodem plebejos intrudi; ne ipſi diutius rerum adminiſtratione potirentur, antiquiorem formam ejus regimini reſtituit, plebemque a publicis muneribus arcuit, cenſuitque priſco diſcrimine Patriæ honores, & munera a ſolis nobilibus in poſterum eſſe gerenda. Sequens propterea de Credentiæ Concilio decretum edidit, quod ne fraudi Civibus eſſet, deſcriptum fuit in libro Conciliorum ipſo anno MDXXXII. *Super labefactatione, tranſgreſſione, & adulteratione dictorum ordinum, pro quanto poſſumus dictum regimen in meliorem formam redigere hoc præſenti, & perpetuo valituro edicto, ordinamus, quod S. Severini perpetuis futuris temporibus conſtitutum ſit, & intelligatur Collegium, quod Defenſorum, & REIPUBLICÆ Regulatus numerus appelletur, in quo numero ſint, & eſſe ſolummodo poſſint Conſules, Confalonerius, & Regulatores*: Exinde hujuſmodi cœtus viris ſolum refertus

ſertus nobilibus magna ubique exiſtimatione habitus eſt. Eodem anno MDXXXII. in epiſtolis, eidem, datis ab Epiſcopo Recanaten. & Maceraten. tum in Piceno pro S. R. E. Præſide, & ut vocant, Commiſſario legitur: *Nobilibus amicis noſtris Cariſſimis Concilio Credentiæ S. Severini*, intus vero: *Nobiles Amici Cariſſimi*: Reſpublica Florentina eodem anno literas ad idem miſit ſubjectis prænotatas titulis: *Nobilibus Viris Conſuli, & Prioribus, & Concilio Communis S. Severini*: Non impari erga ipſum uſus eſt honoris ſignificatione Franciſcus Sfortia in epiſtolis, quibus pacem cum Pontifice Maximo conſtabiliſſe nunciabat; in iis enim legimus: *Nobilibus Viris dilectis noſtris Poteſtati, Prioribus, & Communi S. Severini*. Hæc & id genus alia monumenta hodieque ſervantur in Archivo ejuſdem Civitatis; exempla vero cum autographis collata nobiſcum communicavit Bernardus Gentilius Patruus noſter; cui hoc etiam nomine gratiſſimum teſtamur animum. Quæ illi ſumma per Legatum aſſerta eſt juriſdictio longe ante ipſius decretum jampridem vigebat. Siquidem ab Urbano V. Pontifice Max. jus eligendi Prætorem cum facultate meri, mixtique Imperii, & gladii poteſtate conceſſum fuit, ut patet ex ejus literis datis Romæ apud S. Mariam Tranſtyberim XII. Kalend. Martii Pontificat. anno I. Clemens VII. jus cudendi monetas indulſit, quod ex ejus brevi dato Romæ apud S.Petrum MDXXIV. die III. Martii Pontific. anno I. liquido conſtat. Idem Pontifex municipales item leges, quas vocant *Statuta*, confirmavit, peneſque Cives ipſos Urbis regimen adeo firmum eſſe voluit, ut ne literas quidem ſuperiorum ad regimen quovis modo ſpectantes, executioni mandandas præſcripſerit, niſi prius in Generali lectæ Concilio innotuerint univerſis illas bono Reipublicæ prodeſſe; ut liquet ex Apoſtolicis literis deſcriptis ad calcem ſtatutorum. Sed ne longius, quam par eſt, lectoris otio abutar

Digitized by Google

tar in recenſendo tum priſca, tum recentia jura prærogativa, facultates, & auctoritatem patriæ Urbis, indicaſſe juvabit judicium S. Religionis Hieroſolymitanæ, quo cavit eas familias, quarum majores munus hujuſmodi Conciliarii, quos *Regulatores* vocant ſuſtinuerint, dignas haberi, quibus equeſtris habitus ejuſdem Religionis impertiretur; ut conſtat ex ejus proceſſu ſervato in Magno Urbis Prioratu Armario *V.* littera *E.*

IV. Nobiliſſimæ Campanorum Urbi parem formam jam tum ab anno Chriſtianæ Salutis MD. Comes Ripercurſiæ Regni Neapolitani Prorex tribuit; qui auctoritate ſua jus habendi, & adeundi publicum Concilium ſolis nobilibus eſſe voluit, quod antea alternis vicibus ob eorumdem defectum inter nobiles, & populares erat diviſum, ut refert Capycius Latro *conſultat.* 12. *num.* 28. ***Antea***, inquit, ***propter bella Civitas erat adeo nobilibus evacuata, ut in nonnullis cedulis quandoque duo, quandoque unus tantum nobilis deſcriptus videatur***. Ravennæ in Æmilia ceterarum Urbium facile Principis, ac nobiliſsimæ, perinde ac antiquiſsimæ Metropolis; Julius II. anno MDXI. Civitatis Concilium ex ejus primoribus ſpeciali privilegio decrevit eſſe legendum, cui jus publici explendi regiminis juxta municipalia jura, & leges, quæ tum decretæ, vel in poſterum eſſent decernendæ, conceſsit, referente Pariſio *conſ.* 10. *per totum lib.* 2. & Sacra Rota in celebri illa cauſſa *Ravennaten. prætenſæ Aggregationis ad locum Concilii* 7. *Junii* 1717. *cor. Anſaldo*. Privilegii verba in eadem deciſione deſcripta iſta ſunt: *Civitas Ravennæ regatur, & gubernetur, & manuteneatur per Superiores deputandos in Civilibus, & Criminalibus judiciis omnibus, & cunctis contingentibus, ac datis ſecundum ſtatuta ſua, ordinamenta, & decreta diſpoſita, & quæ ordinarentur, & diſponerentur publice in Concilio ejuſdem Civitatis*: Aſculi item, quæ in Piceno Civitas eſt præſtantiſſima ad ſedandas acerrimas diſcordias inter Cives exortas, Hierony-

ronymus de Rubeis Vir Romæ in utraque Signatura Referendarius, & Cameræ Apoſtolicæ Clericus a Paulo III. anno MDXXXVI. Legatus, ſuppreſſo antiquo Concilio *Ordinis* nuncupato, novum ex nobilibus conſtituit ab Nobilium numero appellatum *centum*, & *Pacis*, ut patet ex inſigni deciſione Sacræ Rotæ *in Aſculana Nobilitatis Ordinis Conſularis coram Molines*, quæ tomo 2. inter nuper impreſſas, eſt 1170. Nobilitas Neapolitana, Salernitana, Amalphitana, Surrentina, Barenſis, Tarentina, Tranenſis, Conſentina, Rhegienſis toto Terrarum Orbe celeberrima eſt, de qua ne injurii præſtantiſsimis Urbibus videamur, præſtat hic honoris ergo, uno tenus nomine eam laudare, quam pauca dicere. Unaquæque enim ſuos a Populo ſecretos habet Patricios, Senatum, ſeu Concilium diſtinctum, Ordinemque præcipuum, cujus jura præſtantiæ, & dignitatis tum antiquitate, tum etiam ſplendore commendantur: nec vulgaribus ipſimet Summi Principes honorificis ſignificationibus honeſtarunt; atque præconiis. Conſulto autem omittimus de aliis aliarum Regionum illuſtribus Civitatibus hic verba facere, quæ vel idem, vel certe non diſſimile obtinent genus regiminis. His vero nullam injuriam, nec nobis negligentiæ notam earum præteritio impinget: omnia enim, quæ ad rem ipſam pertinent, accurate, ac diligenter perſequi, præterquamquod videtur difficillimum, præſentis ſane non eſt curæ, neque propoſiti. Paucas e multis laudavimus, ut ex ipſarum ſtatu facile aliarum conditio, atque præſtantia innoteſcat. De aliis vero nonnullis paullo poſt mentionem faciemus.

V. A præſtantiori Concilio, publiciſque muneribus rejecta plebe, priſtinus quodammodo ſtatus Civitatibus videbatur ex integro reſtitutus, nimirum ſplendor Senatus, & antiqua regiminis forma, Magiſtratus, Nobilitas demum illibata aſſerta familiis; adeout referre expreſsius cœperint quam ſimillimam Romanæ Reipublicæ ſpeciem, & effi-

& effigiem, quæ pleriſque, ut vidimus, nativa fuit, ac pene a prima origine, quum Coloniæ, vel Municipia Romanorum exſtiterint. Atque hinc quoque evenit, ut qui ab renovata hujuſmodi publicorum Conciliorum forma, & ratione majores ſuos ciere poterant ſuum in præſtantiori illo Concilio habuiſſe locum progreſſu temporis dici, denominarique Patricii cœperint, eodem ferme modo, quo Romæ dicebantur, & quo in ipſis quoque Municipiis, & Coloniis appellatos fuiſſe vidimus. Sua porro cunabula novam iſtam Patricii appellationem in pluribus Saxoniæ, & Germaniæ locis habuiſſe ab illa Familiarum allectione ab Henrico Aucupe Imperatore facta, & ab ea regiminis forma per Conſules, & Senatores explendi data ab Henrico V., auctor eſt Draco *citato lib.3. de Orig. & Jure Patricior. cap.1. num.3.* tametſi ille non renovatum, tum temporis hujuſmodi Patricii vocabulum, ſed primam tunc habuiſſe originem perperam cenſeat. Ceterum utcunque is arbitretur, fultus teſtimonio Martini Cruſii *lib.3. Annalium Svevicorum par.2. cap.9. pag.8.* ait: *Familiis vero tum allectis, ſua quoque debent cunabula multorum locorum Patricii*. Multiſque Germanis nominatis Scriptoribus: *Hæc*, inquit, *procul dubio in inferiori Saxonia Patriciarum familiarum &c. ab Henrici Aucupis ætate & conſtitutione prima eſt origo:* & num. 14. non coævum, atque unum ab dicto Henrico Aucupe Patriciorum petitum exordium advertens, alterum ab Henrico V. refert: numero vero ſequenti hæc addit: *Ex quo recte colligimus antiquiſſimæ cujuſque Senatoriæ familiæ prolem Patriciam fuiſſe habitam, ſicuti olim in veteri Republica Romanorum receptum quoque erat*. Sic non diſpari jure, ac ratione diverſa in Italia quoque eamdem habuiſſe renovationem Patricios ſuos conjiciendum eſt, quum renovata regiminis forma, ipſi quoque habebant æqualem generis nobilitatem, ipſi quoque nobile, ac ſenatorium adibant Concilium; propterea que, qui ſuos ma-

jores tali potitos jure ciere poterant, jure, meritoque exiſtimandi eſſent Patricii. Sic Veneti eas familias Patricias vocarunt, quibus a prima illa quadraginta virorum allectione particulari decreto a Duce Petro Gradenigo edito, datum jus fuit adeundi Senatum, ut cum Arniſe de Republica *lib. altero cap.* 4. affirmat Draco *loco cita to num.* 55. *Factum eſt*, inquit, *ut in poſterum iis familiis, quibus tum aditus ad Curiam patebat, dignitas illa, ac libertas in hereditatem ceſſerit, & inde nobilitas Patriciarum familiarum originem traxerit, licet ante iſta tempora honoratæ, ac nobiles familiæ Venetiis extiterunt*: Huc ſpectat, & aſſertioni noſtræ plurimum confert, quod Rota Romana in citata deciſione Aſculana nobilitatis Ordinis Conſularis animadvertit de novo conſtituto Concilio *Centum*, *& Pacis*: illos nimirum, qui admitti velint in poſterum inter milites Sacr. Religionis Hieroſolymitanæ ad probandam ſui generis præſtantiam, & nobilitatem, alia non poſſe documenta proferre, quam majores potitos fuiſſe gradu Conciliarii in Concilio centum, & pacis; vocat autem *Aſculanos Patricios*, qui poſt conſtitutum idem Concilium ipſi ſunt adſcripti, ac ſubinde in nobiliſſima Civitate propagati. Ait enim: *Notabile ſuſcepit robur a lingua, ſeu Itala equeſtri natione S. Religionis Hieroſolymitanæ, qui prævia judicioſa duorum Equitum relatione, rem probe diſcutientium declaravit Patricios Aſculanos cupientes inter milites dicti ordinis cooptari, in poſterum &c. uti non poſſe poteſtariarum primi gradus*. Atque hinc Ahauſerus Fritſchi *in opuſc. var. part.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 2. ſuffultus teſtimonio Marq.Freher de origin.*Palat.part.*1. perperam cenſuit in Civitatibus Mediolanenſi, Aquilejenſi, Ravennate, Papienſi, & Agripinnenſi eos, qui Patricio vocabulo ſuam propagarunt nobilitatem proveniſſe ex illis illuſtribus Viris aulam Imperatoriam quondam ſequutis, quaſi eo jure Patricium nomen illis acceſſerit.

VI. Hac

Digitized by Google

VI. Hac in re illud quoque eſt advertendum, tametſi eo tempore, quo, ut vidimus melior, atque præſtantior data fuerit forma Conciliis Civitatum, ex qua renovati quodammodo poſſint exiſtimari Patricii; nec quemquam negare merito poſſe eum talem jure eſſe, & habendum, qui majores ſuos eo Conſiliarii, & Senatoris gradu ornatos oſtenderet: tamen non ſtatim hujuſmodi invaluit appellatio, longe poſt communi fere uſu recepta, & propagata eſt. Quamobrem licet Patricios in Germania, & Saxonia ab Henrico Aucupe, & Henrico V. ſuam habuiſſe originem probet Draco, eos nihilominus non illico, atque unice Patricios appellatos, ſed varios, atque diverſos ſortitos fuiſſe titulos, & varia vocabula idem oſtendit *in ejuſdem libri cap. altero*: Propterea tunc illi tituli, atque antiquæ appellationes æquipollebant denominationi Patricii; nec alii, quam Patricii re ipſa cenſendi erant, quales deinde, uti ab iis familiis, tum primum allectis, & ab illis, qui Senatum adibant, ducentes originem appellati fuerunt. Et quidem hujuſmodi Patricii vocabulum, licet exactam nos ipſi, aliique, diligentiam quærendo adhibuerimus, antiquius exemplum invenire minime potuimus ineunte ſeculo decimoquarto. Romæ certe id uſum jam tum obtinuiſſe, liquet ex duobus Epitaphiis olim exſtantibus in Liberiana Baſilica ex ms. Codice Inger. Cornelii Reſinæ ſervato in Bibliotheca Albana *pag*. 72. *&* 96. quem nobiſcum communicavit cl. Abbas Jo. Baptiſta Fiaſchettus.

HIC IACET CORPVS DOMINÆ THEODORÆ FILIÆ QVONDAM D. PETRI DE COMITE PATRITII ROMANI
VXORIS D. IOHANNIS...... QVÆ OBIIT ANNO D. MCCCXXIII. IN FESTO S. LVCIÆ.

HIC REQVIESCIT D. IACOBVS ARCHIONVS.... LLIÆ PATRITIVS ROMANVS QVI OBIIT ANNO D. MCCCXXXVIII. .... INDICT. .... IIII.

Sequenti ſeculo non Romæ ſolum, ſed paſſim alibi Viri nobiles Patricii ſunt appellati. Cæſar de Eugenio Caracciolus *in Neapoli Sacra pag.* 118. hanc ſepulcralem Inſcriptionem recitat.

BENEDICTVS PIGNONVS PATRITIVS
NEAPOLITANVS. MAGNÆ CAMERÆ
SVMMARIÆ LOCVMTENENS. HOC
SIBI SVISQVE P. ANNO DOMINI
MCCCCXX.

Vir Cl. Joannes Baptiſta Pollidori Patricius Anxanenſis virtute, ac eruditione præſtantiſſimus ſtudii noſtri, & argumenti conſcius, ſequens nobiſcum perhumaniter communicavit monumentum, quod ſupra portam antiquæ Eccleſiæ S. Mariæ oppidi Altini, quod in Marrucinis eſt poſitum, proſtat.

PIPPVS DE RICCIS PATRITIVS LANZANEN
IN HONOREM SANCTÆ DEI GENETRICIS
MARIÆ ET
SANCTI NICOLAI RESTAVRAVIT ANNO DOMINI
MCCCCXXX REGNANTE DOMINA IOHANNA
DEI GRATIA REGINA SICILIÆ ET HIERVSALEM.

In Arce Civitatis Ravennæ a Venetis Senatoribus a fundamentis exſtructa anno MCDLVII teſte Rubeo *in hiſt. Raven. lib.* 7. ad dictum annum, ſequens inſcriptio poſita eſt, quam operi noſtro humaniſſime contulit Vir Clariſs., & amicus noſter Marcus Antonius Monaldinus Patricius Ravennas.

SENATORES VENETI. D. PA. MAR.
ARCEM HANC BRANCALEONEM
INVICTISSIMAM DEO FAVENTE
EREXERVNT PRÆTORE ET CAPITANEO
IOANNE FALEDRO INSIGNI ET
OPTIMO PATRICIO.

In

In ſaxo relato ab Gaſparo Alvero ſub anno MCDLXX. Eccleſiam S. Franciſci ad Ripam deſcribente *parte altera fol. 252.* legitur inſcriptio ſequentis exempli.

PHILIPPVS BARBARICVS PATRICIVS
VENETVS EX ORDINE SENATORIO
INTER VII. APOSTOLICOS PROTHONO-
TARIOS ASCITVS HOC VIVENS SIBI POSVIT
AN. X. MCCCCLXX.

Laurentius Valle Romanus, qui florebat anno MCDLXX. ſæpe ſe in ſuis Opuſculis Patricium Romanum appellat, ut in opuſculo ſive declamatione de falſo credita, ementita Conſtantini donatione; in libris Comentariorum Grammaticorum, ſeu de elegantia linguæ latinæ in opuſculo de reciprocatione ſui, & ſuus ad Joannem Tortellium Aretinum Cubicularium Apoſtolicum. Proximam huic tempori inſcriptionem benigne contulit Vir Clariſs. & admodum Reverendus Pater Caſimirus Romanus lector emeritus in Conventu S. Mariæ Aracæli, quæ ita ſe habet.

IO. BAPTISTÆ RVBEO PATRITIO RO.
QVI VIXIT AN. XXXIX. MEN. X. D. V.
HIERONYMVS F. PVPILL. PRI. DVLCISS.
ET CHRISTOPHORA ALBERTONIA RE-
LICTA CVRATRIX CONIVGI AMATISS.
SIBIQVE POSTERISQ. SVIS POS.
OBIIT AN. SAL. MCDXXCIX.

Eodem exeunte ſeculo duo præterea occurrunt Epitaphia; in quorum primo recitato ab Eugenio *in Neapoli Sacra pag.* 31. legimus.

VINCENTIVS BARILIVS PATRICIVS NEAPOLITAN
VIR MILITARIS INSIGNIS NATVRÆ CONCESSIT
SALVTIS ANNO MCCCCXCIII.

Al-

Alterum deſcriptum a Nicolao Topio in Bibliotheca Neapolitana fol. 394. habet.

PROBO MARIANO ANT. MARIANI IVR. CONS.
F. PATRITIO AC CANONICO SVLM. DIVI ALEX.
VI. PONT. MAX. FAMILIARI.....
OBIIT ROMÆ... AN. SAL. MCCCCLXXXXVIII.

Sed & per hæc ipſa tempora non ſolum apud Italos, verum etiam apud Hiſpanos, & Vindelicos PATRICII nomen viris nobilibus familiare fuiſſe publica, nec obſcura teſtantur monimenta. In Templo S. Franciſci Patavii ad effigiem Beati Bernardini Feltrenſis, teſte Joanne Philippo Thomaſino pag. 229. *Inſcriptionum Patavinarum num.* 42. legitur.

BEATO BER. FELT.GEORG. HERVVART PATRICIVS
AVGVSTENSIS VINDELICORVM EX VOTO POSVIT
ANNO DNI M. CCCC. XCVIII. NON. MART.

Neapoli vero in Eccleſia Sancti Petri ad Majellam apud Eugenium Caracciolum *pag.* 121. ſequens exſtat Epitaphium.

ANTONIVS GACTO PATRICIVS VALENTINVS
VTRIVSQVE ALPHONSI ET FERDINANDI REGVM
SECRETARIVS SIBI ET VXORI BENEMERENTI
ET SVIS P.

Poſteriori ævo uſurpari frequentius cœpit. Apud memoratum Alverum *part.* 2. *fol.* 360. anno MDXXIII. ſequens inſcriptio occurrit.

GREGORIÆ CASTELLANÆ PATRITIÆ RO-
MANÆ IACOBI SCAPVTII EIVSDEM ORDINIS
CONIVGI.

Anno MDXXXVIII. apud eumdem ibidem *fol.* 348. legitur.

MAR-

MARGARITA MALETI PATRICIA
VERCELLEN.

Seculo vero ſequenti paſſim Patricii inſcripti ubique fere reperiuntur; anno ſiquidem MDCI. typis impreſſa videtur Oratio Victorii Mutii Licinianenſis ad Patricios, & Populum Alexandrinum. Patricios Firmanos in Piceno memorat S. Rota Romana *in deciſ.* 1055. *coram Molines*, qui anno MDCIX. juxta mandatum Concilii confecerunt inſtrumentum cum PP. Societatis Jeſu, ac nomine Civitatis ſe ſe obligarunt ad annuam præſtationem ſcutorum 500. eiſdem faciendam, quouſque ad meliorem fortunam pervenerint, ait enim: *Inſtrumentum ſtipulatum fuit ab octo Viris Patriciis*. Noſtros item Septempedanos Patricios memorant antiquæ tabulæ, ut vocant mandati procuræ anni MDCXXIII., quibus in generalibus Comitiis lecti fuerunt plerique Viri nobiles, qui nomine Civitatis apud S. Congregationem Sacrorum Rituum actorum, ſeu Procuratorum fungerentur officio pro agenda cauſſa beatificationis Vener. Servæ Dei Franciſcæ vulgo dictæ *del Serrone* Septempedanæ. In iis porro legitur poſt recenſita nobilium Virorum nomina: *Patricios omnes ejuſdem Civitatis*. Item Patriciæ Septempedanæ anno MDCXXXII. exſtat inſcriptio in Eccleſia S. Mariæ ad Mare Civitatis Firmanæ, ubi cum religionis cauſſa peregre profecta eſſet, vitam cum morte commutavit. Eam præſens exſcripſit Bernardus Gentilius Patruus meus, a quo acceptam hic repræſentamus.

D. O. M.
SEMPRONIÆ SCACCIÆ DE SEVERANIS
PATRICIÆ SEPTEMPEDANÆ
QVÆ RELIGIONIS STVDIO AD
TEMPLVM HOC SANCTÆ MARIÆ AD MARE
PEREGRE PROFECTA
VBI VELVTI APPVLSO PORTV

NA-

NAVIGAT. SVÆ CVRSVM ABSOLVENS
NATVRÆ DEBITVM SOLVIT
VIXIT A. L.
OBIIT A. D. MDCXXXII. PRIDIE KAL. IVL.
HOSPITÆ CARISS. HOSPITES P. C.

VII. Id autem paullatim factum, uti ſupra indicavimus feliciori illa ætate putamus, qua Barbarorum moribus expulſis, & purgato a plebeiis familiis cujuſcumque fere Civitatis Concilio, illi quorum majores diu ipſo gaviſi fuerunt, digne ſubinde ſunt habiti, qui Patricii nominarentur. Unde non uno, eodemque tempore æque coæva hujuſmodi nomenclatio in unaquaque Civitate eſt invecta; ſed paullatim, & in ſingulis poſt prius, illud, aut poſterius tempus uſurpata, quo in eiſdem melior, atque præſtantior data fuit forma Conciliis. Pleriſque propterea in locis vel Principis Supremi acceſſit auctoritas, vel ipſorum Civium patria jura condentium peculiaria decreta ſunt interpoſita, quibus hujuſmodi Patriciorum cœtus, vel ordo penitus ſecretus a populo magis magiſque conſtitutus eſt. Et primo occurrit antiquiſſima Lovanienſium Patriciorum mentio uſque ab anno MCCCLX. apud Franciſcum Hæreum *in annalib. Brabantiæ in Wenceslao, & Joanna fol.* 327. Hi poſtquam magna Plebis ſeditione opera Couterelli Lovanienſium Prætoris excitata, Patria, Senatu, & Magiſtratu pulſi, omne Reipublicæ regimen, honoreſque amiſerunt, juſſu tandem Principis ſunt reſtituti. Primum ſiquidem Wenceslao Duci Couterellus perſuaſit, ut Plebi Patricios objiceret, atque committeret, quo facilius eorum libertas opprimi poſſet. Hinc factum, ut Plebi in forum excitæ de injuria ſua, de Patriciorum duro in ipſam Imperio, de vectigalium oneribus, quibus premebatur præfatus idem Prætor, aperuerit ipſam indigne ab omni Magiſtratu, honoribuſque Reipublicæ eorum ambitione arceri: & niſi viribus Patriciorum obſiſtat, omnem mox liber-

libertatem ſuam peſſum ituram, tum vero ipſo connivente Duce occaſionem libertatis offerri. Plebs his verbis commota illico armis ad magnum forum tota ea nocte conſedit: Patricii vero nunciato per ancillam cujuſdam e ſuis Plebis motu Curiam occuparunt. Couterellus autem in Curiam admiſſus illico ſibi tradere claves Civitatis Patricios impulit, eoſque deinde in arcis cuſtodiam miſit: renovati mox de Plebe Magiſtratus. Ea ſeditione ſequenti anno MCCCLXI. adhuc Durante Plebeji veriti ne Patriciorum inſtantia Dux permotus Urbi copias admoveret, magis magiſque ferendæ, propulſandæque obſidionis congrua providebant. Interim Wenceslaus componendæ hujus diſcordiæ cauſſa coacto exercitu, Lovanio haud procul caſtra locavit menſe Octobris, ex quo metu adacti Couterellus, ceterique ejus factionis pro pace Legatos ad Ducem miſerunt, promittentes Patricios non ſolum in Urbe recepturos, ſed etiam de omnibus injuriis ſatisfacturos. Re propterea ad Principis delata Concilium, hæ pacis leges præſcriptæ fuerunt: *Ut inter Patricios, Plebejoſque injuriarum oblivio eſſet, ii qui ſeditionis auctores fuerant, Duci occurrentes nudis capitibus, aut in genua provoluti pacem expeterent. Senatus deinde ex Patriciis, & Plebe deligeretur: Scabini videlicet quatuor ex Patriciis, tres ex Plebe, undecimque utrinque jurati, ex quibus duo Conſules eſſent Patricii.* Idem Hæreus refert eodem loco, ſequenti anno ob maximam dicti Prætoris inſtantiam, viribus adhuc Plebis innixi, omnia ſibi arripientis coram Duce fremuiſſe Patricios, ut ſeditioſi plebeji coercerentur, ægreferentes patrios ſuos cum plebe Magiſtratus communicatos. Quare omnes deinde Urbe receſſerunt. Dux tandem magno nobilium, equitumque ſtipatus agmine, tantum Plebejis metum incuſsit, ut Couterellus, ſuique pacta incolumitate Patricios in Urbem ſe recepturos polliciti fuerint. Tum confirmare pacis leges ſuperioris anni Patricios, Ple-

Digitized by Google

bejorumque officiorum Decuriones Dux coegit, eoſque Sacramento adegit eas in perpetuum ſervaturos: quare Patricii duodecim, Plebs quadraginta obſides darent. His peractis Patricii omnes in Urbem maxima lætitia redierunt. Sed hujuſmodi pacta non ita diu ſervata fuerunt, quin altera ſeditio, & quidem ingenti Patriciorum clade anno MCCCLXXIX. excitata fuerit. Nec ante menſem Octobris ſequentis anni majori ſedato Plebejorum tumultu poſt duplicem conventum pro pace factum res eſt ad vadimonium perducta. Narrat proinde laudatus Hæreus eodem loco *pag.* 135. *&* 352. ſeditionis auctores perpetuo exilio punitos.

VIII. Non diſſimili modo, & Bruxella eodem anno MCCCLX. concuſſa eſt. Plebs ſiquidem e ſuo corpore mediam Senatus partem conflari volens, jam biennium ante permittentibus Patriciis metu majoris tumultus adactis, votis potita fuit; ſed inde rurſus infeſtior adverſus eoſdem iis penitus ſublatis omnes Magiſtratus invaſuram ſperans, novas in res inſurrexit. At Patricii in unum coeuntes, & jungente ſe cum iis Gerardo Wolſelaria, qui Lovanio Bruxellam advenerat, ne id ex malo in pejus diutius ſerperet, Decuriones ſingulorum officiorum primum in Curiam vocarunt, ut de cauſſa ſeditionis inquirerent; Plebe vero abnuente ſuos mittere Legatos, tum Patricii non modico ſuorum Clientum ſtipati agmine portam lapideam Civitatis occuparunt, ne alii cum plebe jungerentur: Prælium ingens hinc factum fuit, in quo complures ſeditioſi cæſi ſunt; quorum cæde Patricii firmius ſibi Reipublicæ honores refracta Plebejorum audacia conſtituerunt. Narrat enim laudatus Hæreus *eodem loco pag.* 338. *Patricii ante Curiam conſiſtentes partem ſuorum per porticum mœnium verſus cappellam miſerant, aliique ad aliam partem, quo facto, quo fugerent neſcii multi cæſi, complures vero capti pœnas ſuæ temeritatis variis ſuppliciis dederunt. Hic finis ſeditionis*

tionis Bruxellæ : Furentibus propterea hujuſmodi inteſtinis diſſidiis in aliis pleriſque Germaniæ Civitatibus, & præſertim uſque ab anno MCDLI. factum eſt, ut pragmatica ſanctio conſtitueretur, qua dimidia pars Senatus ex ordine Patriciorum eſſet, altera ex Plebe, ut demonſtrat Philippus Khnipſchildt *de jur. & privileg. Civit. Imperial. lib.* 3. *cap.* 46. *num.* 14. ſcribens: *Conſtat autem ex Chronicis, quod a tempore ſeditionis anno MCDLI. commotæ, nulla certe electio optimatum continuavit, quemadmodum enim ante ſeditionem Patricii, & nobiles in Senatu lecti, ita poſt eam vigore pragmaticæ ſanctionis conſtitutum eſt, ut dimidiata pars Senatus ex ordine Patriciorum poſthac ſumatur, altera pars ex Plebe ſuppleretur*. Certum eſt ob hujuſmodi furentes impetus plebis neceſſe fuiſſe, ut ipſa Concilio Civitatis adſcriberetur, quo componerentur incitati inter ſe Patriciorum, Plebejorumque animi: Patricios vero adhuc a Plebe fuiſſe diſcretos animadvertendum eſt, tum ex quo uterque ordo utpote inter ſe non obſcure diſtinctus Senatum implere deberet, tum & maxime, quod Princeps Patriciis, ac honorabilior in Senatu locus conceſſus inſpiciatur.

IX. In Auguſtæ Senatu, cum multæ ab annis retro centum ſeptuaginta Patriciorum familiæ defeciſſent, quas recenſet Cruſius *lib. Paralipom. cap.* 16. *fol.* 79., itaut non aliæ, quam octo ſupereſſent; ipſo jubente Senatu ad Patriciatus honorem anno MDXXXIX. Unus ſupra quadraginta emeriti Viri evecti ſunt, quos Carolus V. approbavit. Ipſis progreſſu temporis tredecim alios nobilium, atque illuſtrium nuptiarum favore acceſſiſſe, ut tum recentiores Patriciorum familiæ, quatuor ſuper quadraginta numerarentur, teſtis eſt Cruſius recitato loco, & Philippus Khinpſchildt *l.* 3. *c.* 16. Ex his familiis ſeptem deliguntur ſecretioris Concilii Senatores, & Reipublicæ Præſides, quorum unus Catholicus, alter auguſtanæ

Vuu 2 con-

confeſſionis eſſe debet, quemadmodum conventum fuiſſe in pace Weſtphalica narrat eodem loco *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 38. idem ſcriptor. Idem Carolus eodem teſte *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 89. in plurimis Imperii Civitatibus Tribus, quæ in iis vigebant, abrogavit, decrevitque Patricios ad earumdem adminiſtrationem adhiberi; ſicuti videre eſt, ut ipſe addit: *Ex ordinationibus Cæſareis Ravensburgi*, *&* *Biberaci*, *ubi Patricii reliquis Civibus præſerendi*. Idem quoque narrat recitato loco Norimbergæ Tribunos plebis adverſus Patricios ingens bellum excitaſſe, eoſque primum a Senatu expulſos partim impie trucidaſſe, partim in fugam vertiſſe; quorum tamen, pauciſſimos ſuperſtites eumdem Imperatorem in pristinum reſtituiſſe ſtatum affirmat.

X. Venetos quoque apud Italos Patricii appellationem uſurpaſſe conſtat. Eorum originem tametſi altius ab indicato decreto ſub Petro Gradenigo, edito repetat Draco *de origin. & jur. Patricior. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 15. Nihilominus tunc potiſſime apud eos id nomen invaluiſſe conſtat, quum bellum inter ipſos, & Januenſes imminebat: qua occaſione decretum fuit: *Ut quicunque e populo*, *pecunia*, *commeatu*, *militeve Rempublicam juviſſent*, *fore*, *ut ubi cum hoſte debellatum eſſet*, *&* *eorum numero triginta*, *qui optime meriti crederentur*, *ad Patricium traducerentur ordinem*, *quæ dignitas illis*, *eorumque poſteris rata perpetuo maneret*: *daturos ad hæc Patres operam*, *ut quinque aureorum*, *nummum millia*, *quotannis reliquis dividerentur*, *qui dignitatem non eſſent conſequuti*: Verba ſunt hæc Marci Antonii Coccii Sabellici in hiſtoria rerum Venetar. *lib.6. Enead.*2. Cui aliud non minus luculentum addimus teſtimonium ex Petri Juſtini *hiſt. Venet. lib. 6. pag.* 96., & Georgii Vechner. *in diſcurſu de nobilitat. cap.* 11. *thema* 27. *Nec eventus proviſionem deſtituit*, inquit Draco recitato loco; *finito namque bello triginta eorum*, *qui medio*

Digitized by Google

dio ardore belli Rempublicam privato ſumptu juverant Patriciatum ſunt adepti; *reliquis quina millia quotannis dividenda fuerunt decreta*: Conſtitutus proinde in Republica Veneta fuit triplex Civium Ordo, quorum Primus Patriciorum, alter Civium, qui Nobilibus Continentis equipollent, Plebejorum tertius eſt appellatus: quos ordines appoſite advertens Guerrinus Piſo Soacius de Romanor. & Venetor. Magiſtr. inter ſe comparat. *num.* 37. Senatus Romani veram imaginem Rempublicam Venetam appellavit. Eos autem ordines explicans Bodinus de Republica *lib.* 3. *cap.* 6. ſcribit: *Eſt igitur apud Venetos Patriciorum omnium primus, cum in eo inſint jura Majeſtatis. Patricios ſequuntur nobiles, qui extra Patriciorum album cenſentur. Poſtremo Plebeii; utrique tamen Cittadinorum veniunt appellatione*. Idem & de Januenſi Senatu, ejuſque Patriciis cum Romanis comparatis dixit Vir Clariſſimus Joſeph Roccus Vulpius e Soc. Jeſu *in Latio veteri lib.* 6. *cap.* 7.

XI. Sic etiam Placentiæ anno MDXXX. diſcretus fuit ordo Patricius a reliquis Civibus, inter quos pro adeundo Concilio publico acres diu exarſere diſcordiæ ab celeberrimis illis ſeditionibus, quæ inter Guelphos, & Ghibellinos ſævierc, ducentes initium. Enim vero, ut eas extingueret Clemens VII. Joannem SS. Coſmi, & Damiani Diaconum Cardinalem Salviatum in Gallia tranſpadana Apoſtolicæ Sedis Nuncium, cum peculiari poteſtate Placentiam legavit: qui præter alia, quæ ad Cives, ad pacem, publicamque tranquillitatem, revocandos neceſſaria comperit, id primum ſtatuit; ut omnes Placentini Cives ante vigeſimum nati annum, ſeu nobiles, ſeu mercatores honeſtioris notæ, ſive artifices eſſent, nullo diſcrimine deſcriberentur a quatuor Viris, qui totius Civitatis judicio eſſent præſtantiores. Ab his ex totidem illuſtribus Urbis familiis, nimirum Scotorum, Fontanenſium, Landenſium, & Anguiſſolarum delectis factum

factum fuit, ut qui majoribus Guelphis nati eſſent, in claſſem Scotorum, vel Fontanenſium arbitratu eorum, qui nomina darent, adſcriberentur: eos vero, qui a Ghibellinis parentibus genus ducerent, claſſi Landenſium, vel Anguiſsolarum, prout magis ipſis placeret, addicerentur. Qui vero nec in una, nec in altera reperirentur claſſe, hi arbitratu quatuor Virorum in eam conjicerentur, in qua plus, vel amicitia, vel cognitione valere videbantur. Porro ita primum Cives univerſi ſunt diſtributi, non quidem, ut quiſque uni ex deſignatis claſſibus addictus, quatuor illis familiis eſſet obnoxius; ſed ita factum fuit; ut Civibus omnibus in eas claſſes diviſis commodius, aptiuſque publica munera diſtribuerentur. Quamobrem per ſingulas claſſes terni libelli conficiendi erant, ut in iis hoc ordine Cives deſcriberentur: nimirum, ut primi nomina Primorum, quos magnificos vocabant, continerent; alteri Patriciorum; tertii vero Mercatorum, & Artificum honeſtiorum nomina comprehenderent. Poſtremo ex quatuor illis claſſibus Decemviri eligerentur, & ex ſingulis unus magnificus, unuſque Patricius; itaut octo eſſent nobiles, reliqui vero Artifices honeſtiores ex duabus ex illis claſſibus; qui poſtea congregarent, ac conſtituerent centum quadraginta Viros, iſtique per biennium *Antiani* futuri eſſent. Quæ omnia perſpicue conſtant ex Brevibus literis ejuſdem Clementis VII. datis Romæ apud S. Petrum anno MDXXX. XI. Kalen. Januarii, quas recitat Joannes Petrus Creſcentius *in corona nobilitatis Italiæ*, *part. 2. narrat. 5. cap. 7. fol.* 251., ubi de Placentiæ Concilio verba facit. Referre tamen juvabit Pontificiarum literarum partem, quo magis magiſque res ipſa fiat notior; *Ternis libellis per ſingulas claſſes confectis, itaut primi nomina primorum, quos magnificos vocant, Marchiones Comites, Equites, Doctores; alteri Patriciorum; tertii Mercatorum, & Artificum honeſtiorum nomina comprehenderent. Et ut*

ex

ex quatuor claſſibus Decemviros eligerent, & ut ex ſingulis ſcilicet magnificum unum, & Patricium unum, itaut octo eſſent nobiles, & duo Mercatores. Alter ex claſſe Scotorum, vel Fontanenſium, alter ex Landenſium, vel Anguiſſolarum claſſe; & ita magnifici eſſent ex propriis quatuor familiis, reliqui Patricii, vel Mercatores, aut ex familiis ſuis, aut ex deſcriptis. Qui quidem Decemviri componerent, congregarent centum quadraginta quatuor eorum, qui per duos annos Antiani futuri eſſent, & ex eorum numero ſingulis menſibus ſorte eligerentur. Prodit deinde Creſcentius normam eligendi hujuſmodi centum quadraginta quatuor Conſiliarios, inde natam Placentiæ, & exacte ſervatam; oſtenditque a qualibet claſſe conſtanter magnificos fuiſſe lectos, atque Patricios.

XII. Illud etiam hic animadvertimus, non ubique Patricios inter Cives primores fuiſſe habitos, eoſque principem habuiſſe locum; juxta peculiarem ſiquidem regionis morem, & conſuetudinem, vel primas, vel ſecundas habebant in Republica partes; quemadmodum memorata Clementis VII. conſtitutione Placentiæ ſervatum vidimus, ubi ſupra Patricios Comites, Marchiones, Doctoreſque, uti magnifici ex uſu Civitatis conſtituti leguntur. Non ita tamen alibi, ubi Patricii, primi in ordine cenſentur. Idipſum videre licet in Imperatoria Civitate Argentorati, aliiſque Germaniæ locis in quibus teſte Philippo Khnipſchildt *de jur. & privileg. Civit. Imperial. lib. 2. cap. 29. num. 14. Quidam nobiles utpote gradu Superiores a Patriciis familiis diſtinguuntur*. Venetiis certe, ut alias ſileamus Urbes, primum ordinem Patricii obtinent. Præterea ab iſta Venetorum conſtitutione nihil differre videtur Reſpublica Francofurtenſis ad Moenum, cujus Cives in tres ſunt ordines diſtributi; primus eſt Patriciorum, quorum ſocietatem *veteris Limburgi* vocant: alter eorum, qui nullis ſe ſe vili-

Digitized by Google

vilibus exercentes artibus proximi exiſtimantur Patriciis. Tertius demum reliquos Civium nomine complectitur, ut refert Joannes Jacobus Draco *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 17. *Eadem allectio*, inquit, *videtur obſervari in Republica Francofurtenſi ad Mænum, quæ ſi novos creat Patricios, receptione id peragit in Patriciam veteris Limpurgi ſocietatem: etenim oppidi ejus Cives diſtributi ſunt in ordines tres. Primus eſt Patriciorum illa, quam dixi, ſocietas; in alterius ordinis quaſi Collegium, vel ſodalitium cooptantur ii, qui proximi Patriciis, manuariis ſe ſe artibus non exercent, ſed ſolum negociationes tractant, majores, tum reditus patrimoniorum habent ampliores. Reliqui Cives in ſuas quiſque Civitates tranſlati ſunt, ſuaque habent monopolia*. Idem recitato loco, teſtimonio Martini Cruſii *lib.* 11. *annalium Suevicorum par.* 3. *cap.* 14. *pag.* 639. Auguſtæ Vindelicorum Senatum circa annum MDXXXIX. veteribus fere Senatoribus extinctis, quadraginta familiis refertum fuiſſe narrat, quas novos Patricios vocat: ait enim: *Auguſtæ Vindelicorum Senatus veteribus ad partem extinctis circa annum Chriſti MDXXXIX. novos Patricios quadraginta circiter familias allegit*.

XIII. Eadem Patriciorum denominatio, idemque diſcrimen a ceteris inferioris notæ Civibus, invecta Florentiæ fuit, tum vigente Republica, tum etiam poſt Mediceorum conſtitutum dominatum. Ipſi enim Reipublicæ munera, ac officia ſoli obibant, de quibus teſtimonium perhibet S. Rota in cauſa Mellevitana *Habitus* 12. *Aprilis* 1720. §. *e vetuſtioribus cor. Herrera*. Ea enim gentis Marucelliæ nobilitatem commendans pro obtinendo habitu Religionis Hieroſolymitanæ, ipſam verſatam in iis muneribus fuiſſe animadvertit, quæ tum Republica vigente, tum etiam tempore Principatus Viris Patriciis dumtaxat competebant: *Apparebat*, inquit, *Gentem Marucelliam tum tempore vigentis Florentiæ Reipublicæ*

Digitized by Google

publicæ, *tum etiam tempore Principatus in iis muneribus verſatam fuiſſe*, *qui ſolis Patriciis Viris*, *& ſanguine claro illuſtribus*, *juxta regionis conſuetudinem demandari conſueverunt*. Proinde quum Coſmus I. Magnus Hetruriæ Dux Franciſcum, & Paullum Mediceos de Athenis conſanguineos ſuos Florentina Civitate quaſi jure poſtliminii donaſſet, omnium jurium, & privilegiorum compotes, atque participes fore declaravit, quibus Patricii Florentini originarii potiebantur, in gerendis Magiſtratibus, ceteriſque obtinendis honoribus, ac dignitatibus, ut patet ex ejus edito de re ipſa diplomate recitato a Joanne Chriſtiano Lünig in Codice Italiæ diplomatico *tom.* 1. *de Magno Hætruriæ Ducatu cap.* 3. *diplo.* 58., quod datum fuiſſe apparet Kalen. Octobris anno MDLXVII. cujus verba, quæ propius rem noſtram attingunt, ſunt ſequentia: *Nos itaque prædictis*, *atque aliis juſtis cauſſis animum noſtrum moventibus ex certa ſcientia*, *conſulto*, *& de noſtræ ducalis poteſtatis plenitudine utrumque veſtrum*, *noſtra Florentina Civitate*, *veluti germana patria vobis quaſi jure poſtliminii debita*, *donamus*, *& quorumcumque Magiſtratuum*, *honorum*, *& dignitatum*, *quibus Cives*, *& Patricii Florentini originarii potiuntur*, *participes ſore decernimus*.

XIV. Et Maceratæ, quæ in Piceni noſtri Provincia inter clariores, nobilitate, & ſpendore Urbes viget; proptereaque a Sixto V. Pontifice Maximo in conſtitutione 19. incipiente *Romanus Pontifex* jure, meritoque *inſignis* appellatur, Patriciorum cœtus conſenſu populi eſt conſtitutus, penes quem jus, & arbitrium eſſet regendi Urbem, & de rebus publicis diſponendi, uniſque Patriciis jus eſſet ad nobile Concilium Credentiæ adſciſci; ut patet ex rubrica 6. ejuſdem *Statutorum lib.* 1. Quam quidem ſingularem, ac præcipua dignam memoria conſtitutionem referre juvabit, ut eximiæ Civi-

tatis conditio fiat ſcriptis noſtris ſeræ poſteritati notior: *Hac ratione motus populus Maceratenſis omnem curam regendi, & de rebus publicis diſponendi tranſtulit in nonnullos Patricios, & nobiles Viros, prudentia, ætate doctrina, ac rerum experientia ceteris merito anteponendos. Hi igitur tempore novi regiminis eligi debeant, eorumque officium cum vita deficiat &c. Hi ergo ſic electi Concilium Credentiæ repræſentent, & ad ſonum Campanæ coram magnificis DD. Prioribus ſe præſentare teneantur.* A Camillo Peregrino in hiſtoria Principum Longobardorum *in notis ad Chronic. Comitum poſteriorum Capuæ* memorantur Patricii Capuani, quos non alios olim fuiſſe animadvertit, quam, qui ex ejus Dynaſtis eſſent progeniti. De præcepto autem Pandulphi Principis verba faciens pleraſque familias Patricias affirmat fuiſſe propagatas a quibuſdam, quos memorat, Viris nobilibus, eidemque Principi arcta ſanguinis neceſſitudine junctis; ſcribit enim: *E nobilibus Viris hic memoratis, & Pandulpho Principi conſanguineis, qui exædificandi caſtri in Monte Malconi poteſtatem a Principe acceperant, atque* (verbo dicam proprio, & antiquo) *Dominicalia terræ adtributæ trifariam, ut reor, poſſidere, emerſiſſe Patriciam in Urbe Capua gentem olim dictam Capuanam, quam gravi atteſtatione Campani item Patricii Vincentii Trapatii Rathæ, certe ſcio ætatem perduxiſſe ſuam ad tranſactum prope ſæculum, quo defecit vetuſtiſſimæ nobilitatis decor.* Ceterum deinceps adeo frequens apud alios fuit hujuſmodi Patricii appellatio, ut vix ſit Natio, quæ paſſim illam non adhibuerit; adhibeatque, ut nobiles a plebejis ſecernat, generiſque præſtantiam eo vocabulo palam faciat. Neque tantum finitimas Italiæ regiones iſthæc ingenui honoris nota pervaſit, uſuque eſt recepta; ſed vel a remotiſſimis, ipſiſque a nobis diviſis toto orbe Brittannis uſurpata. Certe a Bodino *lib. 1. de Republica cap. 6.* laudantur Patricii Anglorum, Scotorum, Danorum-

norumque. *At ne inſula quidem*, inquit, *Patriciis Anglorum, Scotorum, ac Danorum ſine venia Principis exire licet*. Laudatus Philippus Khnipſchildt eodem loco *numero* 14. præter illos, quos nos quoque ſuperius recenſuimus, memorat Patricios illuſtrium Rerumpublicarum Noricorum, Skedſtadis, & Hagentæ. *In lib.* autem 3. *cap.* 3. *num.* 39. *&* 40. recenſet quatuordecim familias, quas Patriciatus dignitate donavit Ferdinandus II. Imperator anno MDCXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

XV. Præterea, quamvis id nomen ex hactenus dictis ſatis, ſuperque pateat, eos omnes jure ſibi adſciviſſe, qui Concilii publici gratia inter Urbis primores lecti erant; diverſo tamen jure alibi Patricii conſtituti fuerunt; adeout hujuſmodi denominatione potirentur aliquæ familiæ, ac gentes nominatim, vel qui principem in Reipublicæ Magiſtratu locum obtineret. Enim vero apud Lovanienſes, & Bruxellenſes, quorum ſupra meminimus progreſſu temporis, ut reor, receptum eſt, ut ſeptem dumtaxat familiæ appellentur Patriciæ, ex quibus Magiſtratus quotannis deligitur; ut videre licet in obſervationibus Eugenealogicis, & heroicis incerti auctoris complectentibus materiam gentilitiæ nobilitatis, jus inſignium, & araldicum, rerumque in ſuprema Brabantiæ Curia, editis Coloniæ Agrippinæ anno MDCLXXVIII. *cap.* 14. *lib.* 1. *pag.* 36. Qui genus ſuum ab omni prorſus vili exercitio immune ſervaverint, ſoli in ſeptem illis familiis aſſumi queunt, qui enim (tametſi ortum ab illis ducant) ſe ſe artibus mechanicis exercuerint, & contaminaverint, ab his excluſi cenſentur; nec admitti ullo modo poſſunt, ſine prævia, ut vocant *rehabilitatione, ſeu quaſi nobilitatis, vel potius capacitatis reſtitutione*, quam ſupremus in Brabantia Senatus ſolet indulgere; qua quis priſtinum jus recuperat, familiæque ſuæ Patriciæ, a qua deſcivit, rurſus poteſt adſcribi. In rem ipſam hæc leguntur: *Si tamen, quis ex ſeptem illis fami-*

liis ortum ducat, & ipſe, ejuſve parentes mechanicis ſe ſe exercitiis contaminaverint, itaut nobilitatis privilegia amiſerint, certum eſt in illas Patricias Tribus admitti non poſſe, niſi prævia ad hoc rehabilitatione: In Civitate Calatayeronis Syracuſanæ Diœceſis Patricii appellatio reſidet penes Senatus, ſeu Magiſtratus Principem: Ejus namque Univerſitas per ſex Viros repræſentatur; quorum primus Patricius, qui & *Patricius Civitatis* dicitur; alii quinque *Jurati* appellantur. De his verba facit Sacra Rota in cauſſa Syracuſana Præpoſituræ coram Muto poſt diſceptationes Eccleſiaſticas Advocati Pitonii poſtea emeriti Auditoris ſa. me. Benedicti XIII., & in altera Syracuſana Præpoſituræ 27. Aprilis 1731. coram Corio Sacræ Rotæ Decano; ejus enim Senatus jus habet præſentandi Præpoſitum inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Juliani, ejuſve Patricius, uti caput, & Princeps ex antiqua Proregis conſtitutione habet in præſentando pinguiorem vocem, ut ex recitatis deciſionibus conſtat, in quorum altera coram Corio §. *Quibus fundamentis*, legimus: *Interfuerunt duo Jurati, & Patricius, qui ratione præeminentiæ duas habet voces*.

De his, qui jure Patricii appellandi ſunt.

CAPUT VI.

SYNOPSIS.

I. *Patricii denominatio noſtris temporibus uſurpata cuinam ſit referenda. Benedictus Pereira confutatus.* II. *Variæ de Patricii vocabulo definitiones.* III. *Ut quis jure ſit dicendus Patricius, requiritur, ut majores ſuos poſſit oſtendere habuiſſe locum in Concilio, & Senatu Civitatis.* IV. *Patricii a Nobilibus differunt; & qui nobiles exiſtimentur; Philippus Khnipſchildt*

pſchildt rejectus. V. *Patricii dicuntur habere generoſam nobilitatem pro conſequendis habitibus militaribus, pro quibus quæſita nobilitas minime ſufficit*. VI. *Generoſa nobilitas, quamvis pluribus modis alicui eſſe poſſit, trahitur nihilominus a Conſiliarii officio, aliiſque præcipuis Civitatis muneribus*. VII. *Ut quis jure denominetur Patricius, requiritur, ut ad Concilium patriæ ſuæ Plebejis non ſit aditus*. VIII. *Quamdiu majores ſuos Conſiliarii munere functos eſſe oſtendere opportet eum, qui jure dicendus eſt Patricius*. IX. *Patricii nomen proprie competit Urbanis nobilibus; non iis qui in Pagis, aut Caſtris degunt*. X. *Qui more nobilium iis in locis vivunt potius Gentiles homines appellandi, quam Patricii*.

I. POſtquam vidimus variis in Urbibus Patricii nomine decoratos fuiſſe primores earumdem Cives; inſtituti ratio poſtulare videtur, ut ad ejuſmodi vocabuli, frequentius ætate noſtra uſurpati explicationem progrediamur: tum quinam jure appellari poſſit Patricius, inquiramus. Joannes Jacobus Draco *lib*. 3. *cap*. 3. *num*. 8. Morem diu ſervatum eſſe animadvertit ubique fere locorum appellandi nobiles Urbanos Patricios ad eorum diſcrimen, qui more nobilium in Terris, Pagis, vel Caſtris degunt, vel qui nobiles ab aliqua dignitate cenſendi ſunt. Scribit enim: *Accedit mos inveteratus, juxta quem ubique ferme locorum obtinet diſtinctio, ut nobiles Urbani dicantur Patricii; campeſtres, vero, ſeu ruri degentes Equitum, ſive ſpecialium nobilium nomine veniant, qui mos pro veritate habendus*. At non ideo ubique locorum ab Urbanis nobilibus jure uſurpari poteſt ejuſmodi denominatio, quæ, ut hoc capite oſtendemus, plura exigit. Et primum quidem eſt animadvertendum: Patricios hodie, eo ſolum ſenſu eſſe intelligendos, quo anti-

antiquitus in Romana Republica habebantur; ut enim communiter Patricii nomen nunc uſurpatur, ejuſdem ſignificatio nec Conſiliariis Principis, nec Imperatoris Patribus, nec Romanæ Eccleſiæ Advocatis congruit, nec talem ſibi adſciſcit, qualem juxta temporum diſcrimen, & Romani Imperii variationem habebat antiquitus, quod jam fuſe ſuperioribus libris demonſtravimus. Hinc non recte Benedictus Pereira *in elucidar. S. Theologiæ moralis, & juris lib.* 1. *elucidat.* 1. *ſect.* 3. *num.* 214. cenſet dici Patricium: *quemcunque nobilem de Civitate ad Principis conſilia præſtanda, inſtar patris admiſſum*. Verum, quum Patricios, eos jampridem fuiſſe dictos ex Romuli inſtituto obſervaſſet, qui a primis Senatoribus ducebant originem, illiſque hodiernos Patricios comparaſſet; adeo longe ab illorum ſignificatione diſcedere non debebat, ut maxime diverſam, atque alienam ab illis, hodiernis Patriciis affigeret, qui re ipſa eamdem qualitatem, illiſque par munus, ac dignitatem referunt, ut pluribus in locis oſtendit Joannes Jacobus Draco *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 26. Joannes Thomas Freig. *in quæſt. polit. lib.* 3. *cap.* 1. Georgius Vechner *diſc. de nobilit. cap.* 2. *them.* 21. Scite quoque in rem ipſam Angelus de Nuce in notis *ad Chronic. Monaſt. Caſſinen. lib.* 1. *cap.* 1. *Demum*, ait, *Patres conſcripti, communis fere omnium P. P. nuncupatio, ſive adſcripti eſſent Patribus, ſive ex primis Patribus genus ducerent: Ex his dicti ſunt Patricii, quo ſenſu Patricius Neapolitanus, Patricius Romanus &c. nempe ex familia, & gente Patricia, quæ nunc accipitur pro nobili, & illuſtri, cum olim ad ſe invicem pertineret*. Optime Philippus Khnipſchildt *de juribus, & privileg. Civit. Imperial. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 49. ſcribens: *Patriciorum*, ait, *appellatio imitatione quadam ex Republica veteri translata eſt ad eos, qui adhuc hodie in Civitatibus inſignioribus eminentem dignitatem, & excellentiæ gradum obtinent*. Idem de Patriciis Venetis, Patriciis antiquis

quis Romanæ Reipublicæ eos comparans habet Guerrinus Piſo Soacius *de Romanor.& Venetor.Magiſtrat.inter ſe comparat. num.*31. & de Januenſibus Vir Clariſs. Joſephus Roccus Vulpius e Societate Jeſu *Vet. Lat. lib.* 7. *cap.* 7. gentem Octaviam illuſtrans.

II. At quiſnam hodie ſit Patricius? non una apud eruditos Viros definitione concluſa res eſt. Varias enim Draconem tradidiſſe video: primumque affirmaſſe *in proœmio lib.* 3. Patriciam dignitatem una exprimi definitione vix poſſe; utpote quæ ex conſuetudine quarumlibet Civitatum æſtimanda ſit; quare eodem loco plures ſcriptores ita Patricios definiiſſe prodit, nimirum: *Qui longam majorum indigenarum ſeriem oſtendere poſſunt.* Capite autem 3. *num.* 196. proponens ſibi quæſtionem, an quis duarum Civitatum Patricius ſimul eſſe poſſit, docet Patricios alios non eſſe, quam digniores, ac præſtantiores ejus loci Cives; quare addit: *Qui duobus in locis, quod multi faciunt, Patriciatum ſibi arrogant, neceſſario duarum eſſe Civitatum profitentur Cives. Scilicet Patricium eſſe præſupponit Civem eſſe; cum Patricius nil aliud ſit, quam dignior, ſive præſtantior Civis.* Quæſtionem poſtremo concludens neminem ſcilicet duarum ſimul Civitatum eſſe Patricium poſſe hæc iterum de Patricii definitione verba ſubjicit: *Patriciatus eſt dignitas, & privilegium quibuſdam Civibus primariis jure debitum; jam conſtat, qui privilegio alicujus Civitatis frui cupit, in ea Civitate larem fovere debet, quocirca, ſicuti Patricii in duobus locis non habitant, ita nec duarum Civitatum Patriciatum jactare poterant*: Alibi autem Patricium accipit pro genuino in Republica Cive, nimirum *cap.* 3. narrans in Civitatibus Imperialibus olim Patricios tantum pro Civibus habitos fuiſſe. Franciſcus Serra *in Synonimorum apparatu littera P. Patricius*, inquit, *dicitur vir cujuſque Civitatis nobilis:* quod & cenſet Angelus de Nuce in notis ad Chronicon monaſt.

monaſt. Caſſinen. citato paullo ante loco. Hæ tamen, aliæque id genus definitiones nullo modo intrinſecam facultatem, atque ab aliis diſcrimen explicant hujuſmodi appellationis: quas tamen conditiones, juxta Philoſophorum ſententiam, cuilibet rectæ definitioni ineſſe oportet. Si enim, qui majores ſuos longo tempore indigenas alicubi poſſet oſtendere diu potitos Civica honeſtate, Patricius eſſet dicendus, nullum ejuſmodi denominatio inter nobiles, atque plebejos diſcrimen ferret; ſicuti nec inter Civitates, Terras, aut Pagos, vel Caſtra diſcrimen erit, ſi illorum omnium Cives indiſcriminatim appellarentur Patricii. At ſi eo recurri opus eſt, unde prima ejus nominis traxit origo, nimirum ad exemplum Patriciorum Romanæ Reipublicæ, dicendum profecto eſt; Patricios noſtri temporis, nec ab longo in aliqua Urbe, aut loco, domicilio, nec a Civica honeſtate hujuſmodi nomenclationem fuiſſe ſortitos; ſed quemadmodum Romani Patricii a Senatu, in quo patres ſuos ciebant allectos, id ſibi nomen ſumebant, ita a Conſiliarii munere per majores geſto veluti a fonte idem vocabulum hodie promanat. Quapropter illorum exemplo nos quoque brevem hanc de Patriciis noſtris definitionem ponimus: *Patricii ii ſunt, qui majores ſuos in Concilio nobili alicujus Civitatis diu locum habuiſſe ciere poſſunt.*

III. Hæc definitio complectitur, quidquid requiritur, ut quis jure appellari Patricius poſſit. Et primo quidem illud neceſſarium, atque præcipuum præ ceteris cenſemus, ut quis originem ducat ab iis, qui diu locum in Concilio, aut Senatu patriæ ſuæ habuerint, aut ejuſdem munera Patriciis dumtaxat, aut nobilibus, & illuſtribus Viris tribui ſolita geſſerint, vel ſaltem, ut proximo capite infra videbimus, nominatim inter Patricios ſit cooptatus. Quemadmodum enim ii ſolum Romæ Patricii dicebantur, qui a Senatoribus ducebant originem, vel qui nominatim inter Patricios erant allecti, ut Senatum

tum adirent; ita non aliis hodie Patricii vocabulum uſurpare licebit, quam qui parem in ſuis Civitatibus referunt a majoribus honeſtatem. Utrumque ſcite animadvertens Laurentius Valle in opuſculo *de falſo credita, & ementita Conſtantini donatione*: *Senator eſt*, inquit, *unus ex delectis Conſiliariis Reipublicæ*: *Patricius vero, qui e domo Senatoria ortum ducit*; *ita qui Senator, aut ex patribus conſcriptis non protinus, & Patricius eſt*: Recte quoque Draco *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 19. *Patricii*, inquit, *conditio æſtimatur ex majorum functionibus Senatoriis*. Scite quoque Philippus Khnipſchildt *de jurib. & privileg. Civit. Imperial. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 55. *Unde non inepta applicatio*, inquit, *& conjectura ſumitur, quod ii Patricii hodie vocentur, quorum Parentes jus ſellæ curulis habuerunt, ſive in ea, quam incolunt, Urbe Magiſtratus Senatorios ſuſtinuerint*; *nam ob eamdem cauſſam vocantur etiam Patricii, ex quorum tamen familiis Conſules, & Senatores leguntur*. Et num.71. *Cum Patricia dignitas*, ait, *magis in actu conſpiciatur, dum Civitates incolunt, Conſulatus, Senatoria, aliaque munera ſuſtinent*. Idipſum licet colligere ex Sacr. Romanæ Rotæ deciſione in celebri cauſſa *Ravennaten. prætenſæ Aggregationis ad locum Concilii edita die* 7. *Junii* 1717. §. *at etiam*: *coram Anſaldo*. Quum enim quidam de familia Baldrata locum in Ravennati Concilio obtinere contenderet, nec tamen ſecundum Patriarum legum decreta, cum majori ſuffragiorum numero fuiſſet adſcitus, nec cenſum haberet requiſitum: his motum cauſſis Sacrum Tribunal cenſuit eum jure non eſſe admittendum, cenſu potiſſimum inſpecto, qui ſatis non erat pro ſuſtinenda Patricia dignitate. Ejus deciſionis hæc verba ſunt: *Concilium Ravennatenſe ſplendet ampliſſimo centum, & viginti novem Conſiliariorum numero, qui muneribus publicis fungi poſſunt, & in omnem caſum publica utilitas ſi adeſſet, ea certe non expoſtulaſſet, ut ille locus*

prælative ad alios concurrentes, qui majora ſuffragia in eodem ſcrutinio reportaverant, præferatur Baldrato minus idoneo a generali Concilio reputato, & carente inſuper patrimonio ſcutorum decem millium requiſito pro Patricia dignitate ſuſtinenda: Ex quibus ſane liquet, iis Patricii denominationem jure competere, qui locum in Concilio actu habent, quemadmodum ejus habuere majores, vel qui cum ea honeſtate in Concilium cooptantur, ut inde poſteris ſuis proprius eam dignitatem transfundant.

IV. Et quidem hæc Patricii a Civitatis Concilio promanans denominatio ſecumfert ceterorum nobilium diſcrimen, qui tales exiſtimantur, vel quia more nobilium vivant, vel quia ſua ſibi virtute nobilitatem compararunt; nec tamen ipſi, aut majores ſui Conciliarii munus, aliaque patriæ ſubjerunt officia. In hanc ipſam, quam adſtruimus ſententiam, Joannes Bodinus *de Republica lib.* 1. *cap.* 6. *Civium*, inquit, *inter ipſos non minor, atque haud ſcio, major varietas reperiatur, de qua nonnihil antea diximus, modo Patricios inter, & nobiles, ſed etiam nobiles inter, & plebejos*. Notavitque idem diſcrimen in Germaniæ Patriciis Triſtetius *opuſc. tom.* 11. *part.* 3. *cap.* 15. *fol.* 25. Et Philippus Khinpſchildt *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 14. Qua de re, qui diu cum ſplendore, & divitiis in aliqua Civitate lares firmarunt, vel qui in maximis Urbibus, in quibus, Senatum non adeunt, magno tamen divitiarum ſplendore, ac illuſtri more vivunt, etſi nobiles habeantur, ac pleriſque in locis *Equites* vulgo appellentur; quum tamen eam nobilitatem, a Conciliarii, & Senatoris munere, & Patriæ conſpicuis magiſtratibus deductam non habeant a Patriciis differunt, nec jure ſunt Patricii appellandi, ut adverſus pleroſque aliter ſentientes jampridem animadverterat Draco *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 19. *Nec enim*, inquit, *ut quoſdam ſenſiſſe novi ad conſecutionem Patriciatus ſufficit in Civitate illuſtriori diu cum ſplendore nomi-*

nominis, *&* *opum degiſſe*, *&* *nobilem fuiſſe habitum*; *ſed requiritur*, *ſi antiquitatem reſpicimus*, *expreſſa in Patricias familias allectio*. Huc ſpectat, quod appoſite notavit de patria ſua Dominicus Taſſonus *ad pragmatic. de Antefato verſic.* 10. *obſervat.* 2. *num.* 40. ſcribens: *Nobiles regulariter in hac Civitate vocantur Equites*, *&* *inſulſe ſecundum Franciſcum de Petris in lect. feſtiv. lib.* 1. *cap.* 3. *neſcientes Equitum ordinem e plebe*; *Patricios vero e Senatu proficiſci*. Apud Germanos uſus invaluit, ut Equites ii appellentur, qui in villis degunt, & Caſtris: Patricio autem decorentur vocabulo, qui Urbes incolunt, iſtique illis nobiliores exiſtimantur, ut refert Ahaſuerus Fritſchi *in opuſcul. variis part.* 3. *tom.* 2. *cap.* 15. *n.* 6. ſcribens: *Hodie in Germania noſtra Patricii appellantur*, *Stadt Funckern*, *domi nobiles ratione ſcilicet a ſubjecto loco ſumta ad diſtinctionem virorum equeſtrium*, *qui Land Funckern dici ſolent*, *quod extra Urbes in pagis*, *&* *villis larem foveant*. Doctores quoque nobilium cenſentur nomine: quamobrem validum in jure ducitur argumentum de Nobilibus ad Doctores, ut late probat Eſcobar *de nobilitate part.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 9., *&* 10. Et profecto, quod Doctoratus dignitatem ſecum afferat, quæ indefinite nobilitatem parit etiam ad poſteros traducendam, modo ipſi ab ſordidis, & mechanicis artibus abſtineant, docuit cum multis aliis *Cardin. de Luca diſc.* 75. *de præeminen. num.* 8. *&* 10. *&* *Rota cor. Falconerio deciſ.* 1. *num.* 25. *ſub titulo de Donationibus*. Doctores autem cum Patriciis minime ſunt comparandi, nec ipſi quamvis ex propria virtute nobilitatem habeant, Patricii dicendi ſunt. Illi ſiquidem quæſitam, iſti generoſam dicuntur habere nobilitatem, quæ duo quantum inter ſe differant, facile quiſque intelligit. Rei natæ maxime conferunt, quæ prodit Campellus *ad conſtitutiones Urbini decreto* 33. *num.* 432. *Franciſcus Maria II. Urbini Dux æquat quidem hoc decreto Patriciis Viris ex*

Yyy 2 *nobili*

nobili genere natis Doctores, & Capitaneos præſtantiores, de quibus in eo, dum illis indulget nobilem gradum Vexilliferatus; verum non proinde, ex hac parilitate eis nobilitas indulta dici, ac cenſeri poteſt nativa, ſed acquiſita, ut de ſe patet; acquiſita inquam ex dono Principis ita decernentis, ſive ex propriis virtutibus, literis, ſeu bello parta. At ex his liquido patet Philippum Khnipſchildt non recte hujuſmodi vocabulum ſumſiſſe cuique nobilitatis ordini deſignando æque aptum, & congruum, quod *lib. altero de jur. & privileg. Civit. Imperial. cap. 29. num.* 49. *innuit* his verbis. *Apud Bodinum, & alios vocabulum Patricii valde generaliter tractari, & extendi ad omnes nobilitatis ordines*.

V. Ex hujuſmodi inter Patricios, & nobiles conſtituto diſcrimine diverſus etiam, atque præcipuus oritur effectus, qui Patriciorum conditionem magis magiſque commendat; nativa ſiquidem, ſeu generoſa illorum nobilitas eos habiles, aptoſque reddit ad conſequendos habitus Religionum militarium, ad quos ſuſcipiendos certæ requiruntur notæ præſtantiæ, quarum prima, atque potiſſima cauſſa eſt nobilitas generoſa; & quæ re ipſa provenit a Patricia honeſtate. Quare memorato paullo ante loco Campellus etſi tredecim attulerit nobilitatis argumenta, quorum vi facile quiſque equeſtribus ordinibus adſcribi poteſt, eorumque mereri cingula, num. tamen 283. ſcribit: *Potiſſima vero probatio, ut non ſemel innuimus, in proceſſibus pro habitibus militaribus, ea habetur, quæ deſumitur ex fruitione Magiſtratuum, & munerum eorum, quæ in patria a ſolis Viris Patriciis exercentur*. Id vero non aſſequuntur alii, qui, ut ſupra monebamus, propria virtute, bello, aut literis nobilitatem ſibi compararunt, ut docet eodem loco Campellus *num.* 533. *Patet igitur*, inquit, *ex ſupra deductis, quod ad ordines equeſtres non itur per nobilitatem acquiſitam, ſeu ex privilegio, ſed per illam gene-*

generoſam. Quod obſervavit, & Mandoſius *diſquiſit*. 3. *num*. 28. *in fine*. Hinc Joannes Jacobus Draco *in proœmio*: licet reſpectu Imperatorum, Regum, Principum, Comitum, ac Baronum Patricios conſtituere aſſirmet infimum nobilitatis gradum, ſupra quos Imperator, ac Princeps ſupremum, ac ſublimiorem conſtituunt, quod prodidit etiam Joannes Schonbon. *lib*. 1. *polit*. *cap*. 10. *pag*. 75. Nihilominus in qualibet Civitate nobiliores cenſentur, & exiſtimantur Viri Patricii, ut docet Joannes Georgius Berth. *in tractatu de ſecuritate*, & *ſalvoconduct. concluſ.* 225. *pag*. 676. Quos cum aliis multis refert Draco *cap*. 4. *num*. 3. *lib*. 3. ubi ſcribit: *Nec enim a nobilium privilegiis arcendi ſunt Patricii; cum jure civili nobiliores Civitatum, hoc eſt Patricii in magno pretio habeantur, & prærogativis nobilium fruantur*.

VI. Præterea generoſam nobilitatem ſupra ceteros Patricii ſibi conſtituunt, qua tales jure denominantur; nimirum, quod majores oſtendant, qui Conſiliarii munus, aliaque præſtantiora patriæ officia exercuerunt, continentique ſerie ad poſteros tranſmiſere: quod de Venetis Patriciis teſtatur Joannes Bodinus *de Republica cap*. 8. *pag*. 146. Et Caſſaneus in Catalogo gloriæ mundi, ipſos Patriciarum familiarum nobilitatem ab illuſtri vetuſtate earum gentium metiri, quæ in Concilio publico diu locum habuerunt; quod Draco *lib*. 3. *cap*. 1. *num*. 1. de ceteris quoque dicendum aſſerit: *Illud*, inquit, *clarius redditur Venetorum exemplo*, *qui ab illuſtri vetuſtate earum gentium*, *quæ publicis Conciliis*, *ac negociis intentæ ſemper fuerunt*, *nobilitatem familiarum Patriciarum metiuntur*: Nec aliter Sac. Rota in celebri illa cauſſa *Aſculana nobilitatis Ordinis Conſularis coram Molines deciſ.* 1170. pronunciat: *ſublato prætenſo nobilitatis diſtinctivo poteſtariarum primi Ordinis*, *S. Conſulta ſtabilivit de anno* 1676. *formulam fidei nobilitatis genero-*

ſæ

ſæ ab Antianis faciendam Nobilibus habitum Religionum militarium ſuſcipere volentibus, *mandando in illa exprimi ſolummodo Magiſtratum Conſulum*, *Antianorum*, *Concilii centum*, *& pacis*, *officium Pacerii &c.* In eadem deciſione præ ceteris conſulare munus, quod a Patriciis non minus, ac illud Conciliarii exercetur, expendens, generoſæ nobilitatis argumentum præferre affirmat; quod in pluribus Italiæ locis ſpectare licet, in quibus ad ejuſmodi munus ſolum Viri nobiles, atque Patricii eliguntur, ac de Civitate Faventiæ teſtatur Zaulus ad ejuſdem ſtatutum *lib.* 1. *rubr.* 1. *num.* 3. De Conſentia Caputius *de regimine Reipublicæ cap.* 3. *num.* 3. *v.* 13. de Tiſerno Guazzinus *de pace part.* 5. *quæſt.* 6. *ſub num.* 1. & Conciolus *ad ſtatutum Eugubi. lib.* 1. *rubrica* 38. *n.* 3. de Benevento *Rota cor. Cavallerio deciſ.* 440. de Verona *eadem Rota dec.* 313. *num.* 1. *part.* 13. *recent.* Et ut alias quamplures Italicas ſileamus Urbes antiquitate, & ſplendore præſtantes, idem demum ſervatur Septempedæ, ubi Conſulatus a Viris Patriciis dumtaxat exercetur, habeturque Conſul Concilii, & Magiſtratus caput. Hinc, quamvis nobilitas non ita rigide reſtricta ſit in exercitio munerum propriæ Patriæ, quæ ſolum Viris dantur nobilibus, cum alia generoſæ nobilitatis argumenta, ac inditia reperiantur, quæ recenſet Barboſa *de Canonicis*, *& dignitat. cap.* 13. *n.* 36. *& ſequentib.* lateque, Campellus *ad conſtitut. Urbini decreto* 30. *num.* 44. *cum pluribus ſeqq.* Ea nihilominus major generoſæ nobilitatis cenſetur teſſera, ac ſplendidius inditium, ſiquis majores ſuos oſtendere poteſt diu in Concilio Civitatis habuiſſe locum, ac functos eſſe patriis honoribus, quam probationis ſpeciem generoſæ nobilitatis jampridem laudavit *Rota dec.* 83. *num.* 1. *& dec.* 251. *num.* 2. *cor. Remboldo dec.* 68. *num.* 12. *cor. Coccino dec.* 88. *cor. Cavallerio*, *deciſ.* 150. *num.* 4. *&* 5. *part.* 13. *recent.*

VII. Sed hujuſmodi publica munera, ſeu Civiles hono-

honores, locuſque Concilii, ex quibus, qui illa obtinent Viri nobiles, Patricii nomen ſibi jure adſcribunt, ac generoſam nobilitatem ſumunt, ita ſunt hic intelligenda, ut popularibus, atque plebejis non ſint communia, & promiſcua: Hinc advertendum eſt, id quoque ad Patricii denominationem jure uſurpandam requiri, ut non ex omnis Civitatis Concilio, ſed ex eo ſolum nobili, & illuſtri, ad quod popularibus, & plebejis non ſit aditus, deſumatur. Nullo enim exiſtente inter plebejos, ac nobiles diſcrimine, dici non poteſt cuiquam eſſe generoſam nobilitatem, quæ vere, ac merito Patricium conſtituit, ut monuit Rota coram Roxas *deciſ. 29. num. 9.* nec jure quis ad plebejorum diſcrimen diceretur Patricius. Quare Rota in recitata deciſione, edita in cauſſa *Aſculana nobilitatis ordinis Conſularis*, refert judicium Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ de Patriciis Aſculanis cupientibus admitti ad ejuſdem habitum, nullam ab iis nobilitatem oſtendi poſſe ab exercitio Poteſtariarum primi gradus, quæ plebeiis quoque communes erant. Ait enim: *Aliudque notabile accepit robur a Lingua, ſeu Itala equeſtri Natione S. Religionis Hieroſolymitanæ, quæ prævia judicioſa duorum Equitum relatione rem probe diſcutientium, declaravit Patricios Aſculanos cupientes inter Milites dicti ordinis cooptari in poſterum uti non poſſe pro documento nobilitatis poteſtariarum primi gradus, uti promiſcuarum inter plebejos, & nobiles*: Quod tamen eſt intelligendum, niſi peculiaris accedat Supremi Principis conſtitutio, qua plebeji ad Concilii locum admiſſi æque nobiles, ac Patricii ſint dicendi, ut, explicando Pii IV. conſtitutionem, qua Interamnæ in Umbria plebem una cum nobilibus decrevit in Concilium eſſe cooptandam, S. Rota Romana *cor. Roxas dec. 29. num. 11.* decernit hic verbis notatu dignis, tum pro iis, qui in idem Concilium ex plebe cooptantur, tum maxime pro aliis, qui ante hujuſmodi coopta-

cooptationem generoſam jactabant nobilitatem ex longa majorum ſerie dicti Concilii loco potitorum : *Cum Pius IV. in dicta ſua conſtitutione facta ſuper aggregatione plebis cum nobilibus mandaverit omnes in poſterum reputandos eſſe nobiles, ac Patricios Interamnenſes ad ſedandas diſcordias, non venit ideo dicendum eſſe ſublatam nobilitatem antea habentibus ex præfatis, ſed potius populares fuiſſe nobiles creatos a Summo Pontifice de cujus poteſtate non eſt dubitandum*. Indubium enim eſt, quod nobilitas a Principis conſtituto, & lege procedit, & quem ipſe vult ad nobilitatem poteſt extollere, taliſque cum aliis nobilibus jure eſt habendus, ut docuerunt Albericus *in leg. Imperatores in principio ff. de Decurion.* Caſtrenſis *conſ.* 22. *num.* 2. *lib.* 2. Guidopapa *deciſ.* 146. aliique quamplures allegati a Tiraquello *de nobilit. cap.* 6.

VIII. Poſtremo illud quoque Patricii denominationi debet accedere, ut quis ejuſmodi Concilii locum diu majores ſuos obtinuiſſe oſtendat; ſicuti enim antiquitas eſt quodammodo cauſſa efficiens nobilitatis ita, ut probe docet Draco *lib.*3. *cap.*17. *num.* 4. *Patriciatus ictu oculi non naſcitur, ſed diuturnitate familiæ claræ vetuſtate, & longiori Civitatis incolatu conciliatur*. Ea ſane in re diverſæ ſunt Doctorum ſententiæ; variæ item regionum leges, & mores. Nicolaus Topius Vir Patricius, & Juriſconſultus in Tractatu *de Origine Tribunalium Civitatis Neapolis* nobilitatis inquirens originem *preludio* 1. *num.* 10. *libri primi*, non inficiatur quidem, eam nobilitatem veram eſſe, quæ vera virtute, ac labore eſt parta : *Attamen*, inquit, *extendi, ampliarique ad familiam non poteſt, præterquam ſi poſteritas eorum ſervando ſe, ac permanendo nobilibus in exercitiis, nobiliter vivendo ſaltem per centum perſeveret annos. Tunc omni proculdubio dici poſſet, & appellari familia, ſive Domus nobilis*: Ut ſubortas in Neapolitano Regno de-

gene-

generoſa, & ingenua nobilitate contentiones extingueret. Robertus Rex ſapientiſſimus præcipua conſtitutione cavit: *Qui per triginta continentes annos nobilem vitam duxerit, nobilitatem præſcripſiſſe*, ut prodit vir doctus, & Juris peritia clarus Franciſcus de Petris *libro primo feſtivar. lectionum cap. 7. num. 39.* Cujus rei teſtem regium quoque diploma laudat ex Archivo Regiæ Siclæ, datum anno Domini MCCCXVI. Indictione xv. deſcriptum in volumine obſignato litera *G. fol. 205. a tergo*. Plerique autem Scriptores Germani ab ipſo Dracone memorati cenſent, hujuſmodi diuturnitatem conſiſtere oportere in tribus, aut quatuor gradibus ſuorum majorum Civica ornatorum honeſtate, quod docent Joannes Freig. *in quæſt. polit. lib. 3. cap. 1. in fine pag.* 120. Et Chriſtophorus Lelhman *in Chronico Spiren. lib. 4. cap. 4.* cum quibus idem Draco ſentiens ſcribit: *Ita enim plerique definiunt Patricium, quod ſit Civis a tribus, aut quatuor gradibus ſuorum majorum in Civitate natus*. Nos ejuſdem Scriptoris ſententiam plurimi facimus, quippe qui id genus argumenti non perfunctorie pertractat, ac quælibet de hodiernis Patriciis ſuborta dubia ſolvit, quæſtiones etiam multas exemplo veterum Patriciorum Romanæ Reipublicæ. Verum ne deſignata diuturnitas munerum nimis rigida videatur, ſatis eſſe arbitramur, ut quis oſtendere poſſit Patrem, avumque ſuum potitos fuiſſe in Civitate Conciliarii munere. Id enim tum veterum Patriciorum magis exemplo cohæret, tum quoque maxime juris noſtri cenſuræ, ſecundum quam præſeferre quis dicitur generis claritatem, qui patrem, avumque habuit honoribus potitos illuſtribus, ut decernitur *in leg. 1. Cod. de Dignitatibus*: *Si, ut proponitis, avum Conſularem, & Patrem Prætorium Virum habuiſtis, & non privatæ conditionis hominibus, ſed clariſſimis nupſiſtis, claritatem generis retinetis*. Idem mos erat, & apud Patricios Romanos, de quibus Livius lib. 4. ait: *Quorum*

Patres, *Avoſque Conſules viderant*, *eos nobilitate præcellere*: In rem ipſam confert, quod ſcripſit Tiraquellus *de nobilit. cap.* 20. *n.*8. *Ceteris ſunt anteponendi, qui parentes, avos, majoreſque ſuos publicis honoribus honeſtatos habuerunt*. Ea autem longa diuturnitas eſt requirenda pro obtinendis habitibus Religionum militarium: Id enim, ut quis aſſequatur, requiritur generoſa nobilitas reſpectu quatuor laterum per duorum ſeculorum intervallum Patris nimirum, Matris, Aviæ paternæ, ac maternæ, juxta ſanctionem 19. ſub titulo *de recept. Fratrum S. Religionis Hieroſolymitanæ*, ut notat Prior Caravita *ad ejuſdem conſtitutiones tit.* 3. *cap.* 38. *la terza prerogativa*. Eminentiſſimus Petra *ad conſtit. Apoſtolicas tom.* 2. *fol.* 57. *num.* 30. Rota cor. Herrera *deciſ.* 12. *num.* 2. *&* 3. & alibi paſſim: ut enim quis Hieroſolymitanus creetur Eques, requiritur generoſa nobilitas a majoribus diu ſervata, ac longa ſerie in poſteros continuata; non ita tamen in Patricii denominatione, jure uſurpanda, qua in re Patris, Avique conſideranda, & ſequenda eſt conditio, etiamſi quis natus eſſet ex Patre Patricio, & Matre Plebeja, ut cum Bodino *de republ. lib.* 6. *cap.* 6. tradit Draco *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 2. ſcribens: *Nec Patriciam dignitatem ideo minus conſequitur, qui Patre Patricio, Matre vero plebeja natus eſt; legitime enim nati, licet ex inæquali conjugio, quoad dignitatem, familiam, gentem, & ſimilia, Patris, & non Matris conditionem ſequuntur*.

IX. Ex his patet nobiles Urbanos jure appellandos eſſe Patricios, ſi enunciatis in ſuis quiſque Urbibus potitur conditionibus. Non ita vero, qui alibi in Pagis, Terris, ſeu Caſtris degunt, ut docet Draco eodem loco. At nobis minime arridet diſcrimen ab eodem Scriptore allatum *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 118., nimirum, quod aliter diſtinguendi, habendique ſint Patricii pro conditione Urbis, ac loci, in quo degunt. *Alii*, inquit, *Pa-*

Patricii ſunt, & vivunt in Civitatibus liberis Imperialibus; alii in Municipalibus, alii in mixtis, quæ diſtributio otioſa non eſt; nam veluti ii Cives, qui in Civitate, vel maxima, vel majore degunt jure civili diverſis utuntur privilegiis, ſic inſpecto præſenti Reipublicæ ſtatu, quemadmodum aliis in rebus magna ſunt Civitatum diſcrimina; ita & Patriciorum diverſi occurrunt gradus, & dignitates, & jura. Quod enim ſpectat ad propriam Patricii denominationem æqua cauſſa eſt in Civibus, qui in maximis, & majoribus degunt Civitatibus, & qui in minoribus; modo ipſæ ut diximus, præſtantiores Cives ſuos a plebeis diſtinguant. In illis non imus inficias ſplendiores, præſtantioreſque alios aliis eſſe poſſe reſpectu amplioris privilegii a ſupremo Principe indulti, exercendæ majoris auctoritatis, & juriſdictionis, qua minime potiuntur, qui ſunt in minoribus Civitatibus; de cetero, qua Patricii ſunt, eadem illis ineſt nobilitas, eademque honeſtas: quæ re ipſa his eſt obſtricta limitibus, nec ultro progredi poteſt, quam ad aſſequendos habitus militares, pro quibus nullum Civitatum, modo nobilium ſint, ſpectatur diſcrimen, ſeu maximæ hæ ſint, ſive magnæ, vel majores. Nobilitas enim una eſt, nec altera altera major honeſtate, ſed diuturnitate, ſplendore, & antiquitate familiæ. Scite propterea Cohellius ad bullam *boni regiminis cap.* 8. *num.* 16. poſtquam late illuſtravit hoc idem Urbium diſcrimen jampridem objectum a Loſeo *de jure Univerſitat. part.* 1. *cap.* 2., qui alias Metropoles, alias maximas, alias majores, alias minores, alias parvas eſſe affirmavit, opportune addit: *Iſta qualitas magnæ, vel parvæ Civitatis Regni prærogativa non turbat, cap. penult. diſt.* 96. *Decianus reſponſ.* 19. *num.* 209. *volum.* 3. *ſubdens eamdem habere dignitatem Deſenſorem magnæ Civitatis, & æqualem, quam habet Deſenſor parvæ.*

X. Illud equidem fatendum in illis Civitatibus, in

quibus ratio, & conditio veræ nobilitatis minime viget; nec ullum inter plebejos, nobileſque intercedit diſcrimen, vel etiam in Terris, Pagis, & Caſtris, nullos eſſe re vera Patricios, nec inibi degentes Viros primores eo vocabulo jure eſſe præſtandos. Id appoſite docet Triſtetius *opuſ. tom.* 11. *par.* 3. *cap.* 15. *fol.* 25. In Germaniæ Urbibus ſervari, ut alio vocabulo inter ipſos vulgato appellentur Patricii Viri, qui in Urbibus degunt, alio, qui in villis, & pagis larem fovent. Illi autem, qui more nobilium vivunt, & in eiſdem degunt, nec ſe unquam ſordidis artibus immiſcuerunt vulgato potius nomine *Gentilis hominis* ſunt appellandi. Non me latet Rotam cor. *Falconerio deciſ.* 1. *num.* 2. *tom.* 1. *ſub titulo de Donation.* obiter aſſeruiſſe hujuſmodi nomen æquivocum eſſe, & referibile ad nobiles generoſæ nobilitatis, Patricios, & ad omnes alios quocunque loco nobili more viventes. Verum, ut Budæus in eadem deciſione laudatus animadvertit; lingua vernacula *Gentiles homines* pro nobilibus appellantur, quaſi ingenui ab origine, & quorum majores ſervitutem nullam ſervierunt. Quod docet, & Tiraquellus *de nobilitate cap.* 2. *num.* 53. Jure uſurpari poſſe hujuſmodi vocabulum ab iis quoque, qui in humili loco degunt, dummodo more vivant nobilium, affirmavit Cardinalis de Luca *de præemin. diſcurſu* 32. *num.* 14. ſcribens: *Licet enim nullus videatur locus, in quo de facto non adſunt perſonæ nobiles, vulgo nuncupatæ* Gentiluomini: Et de Teſtamentis *diſcurſ.* 84. *n.* 5. *&* 6. *Iſtud verbum*, inquit, *nobilis*, *& vulgo* Gentiluomo, ovvero Gentildonna *genetice ſumtum aptum eſt convenire omnibus iis, qui legaliter tales dici poſſunt, de nobilitate ſimplici, & legali, de qua eſſe dicuntur perſonæ divites, nobiliter viventes, atque ab omni mercenario exercitio abſtinentes, quamvis aliquam mercaturam, ſeu negociationem exerceant, quoties illa non ſit minuta, & mechanica, & non exerceatur per ſe ipſum*: Hunc ſequitur, &

Sac.

Sac. Rota *citato loco num.* 25. Et quidem ea ratione, quia locus non nobilitat hominem, ſed homo locum, ut colligitur ex Textu *in leg. Urbana familia ff. de Verborum ſignificat.* ubi Urbana familia, & ruſtica non loco, ſed genere diſtinguitur, quod docet & Tiraquellus dicto *cap.* 20. *num.* 54. Sed hæc momenta ab iis, quorum vi *Patricios* appellari diximus, longe abſunt.

De Patriciorum electione.

CAPUT ULTIMUM.

SYNOPSIS.

I. *Pluribus in Urbibus, & illuſtribus Oppidis nominatim in Patricios allectiones fiunt. Idem mos apud Venetos, Januenſes, & Germanos maxime viget.* II. *Patricii adlecti ab illis, qui jure, & ab origine tales appellantur, diverſi.* III. *Mos cooptandi Patricios, & Nobiles per pecunias: Quid pro hujuſmodi allectione requiratur.* IV. *Jubente ſtatuto Patricios tantum ad Concilium eſſe admittendos: ipſis deficientibus, Plebeji inter Patricios cooptantur.* V. *Recens in Concilium alicujus Civitatis adlectus, minime dicendus Patricius, ſed ejus nepotes, ac deſcendentes.* VI. *Alienigenæ honoribus alicujus Civitatis donati, an appellari poſſint illius Civitatis Patricii.* VII. *Cooptatio in Concilium eorum, qui non ſunt de familia Patricia quomodo facienda. Eadem ad alios Conſiliarios ſpectat.* VIII. *Ab uſu, legibus, & ſtatutis peculiaribus Civitatum hujuſmodi adlectiones dependent.*

I. Quemadmodum in Romana Republica non eos ſolum, qui a Patribus in Senatum lectis trahebant

bant originem, Patricii nomine ſunt appellati; ſed ii pariter, qui lege ad populum lata, vel juſſu Conſulum, aut Imperatorum nominatim ſunt inter Patricios cooptati; ita pleriſque in Urbibus, & illuſtribus Oppidis uſus obtinuit, ut non ſolum ii vetuſtam ducentes originem a majoribus, qui diu præcipuis patriæ honoribus functi fuerunt, dicerentur Patricii, ſed qui expreſſa, ac ſpeciali inter illos adlectione ejuſmodi decorari vocabulo meruerunt. Præterea Draco obſervat *de Origine, & Jure Patricior. lib. 3. cap. 1. num. 6. Certius certo eſt omnium, qui Patriciatus titulo hinc inde conſpicui ſunt, æque vetuſtam originem non eſſe; propterea eveniſſe traditur, ut in multis Rebuſpublicis ex omni populo, nonnulli expreſſa allectione, nonnulli tacita uſurpatione ad Patriciam dignitatem aſcenderunt.* Sic enim apud Venetos id genus fieri adlectiones conſueviſſe prodit Marcus Antonius Coccius Sabellicus *hiſtor. rer. Venetar. lib. 6. cap.* 3. Occaſione ſiquidem belli, quod tum Reſpublica gerebat, decreto Patrum primum factum fuit, ut triginta, qui medio belli ardore Rempublicam juverant ad Patricium ordinem traducerentur, ut tradit Maſſimilianus *Fauſt. in Conſiliis pro Ærario claſſ.5.conſ.76. ordine* 537. Et nos quoque ſupra monuimus. Adlectiones ipſas non ſine certo ritu factas fuiſſe idem monet Sabellicus: *Qui in Patricios*, inquit, *relati ſunt, antequam Curiam adſcenderent, divinæ rei interfuerunt, inde ad Principis, & Patrum conſpectum adducti, in aliena verba jurare coacti, fidem, & ſilentium Reipublicæ promiſerunt.* Idipſum apud Germanos, & Saxones fieri conſueviſſe teſtatur Draco citato loco *cap.* 3. *num.* 15., affirmatque non eos ſolum Patricios nominari, qui a Senatoribus deſcendebant; ſed eos quoque, qui inter ipſos cooptarentur. De Januenſibus denique teſtatur Vir Cl. Joſephus Roccus Vulpius Soc. Jeſu *in Latio veteri profano lib. 6. cap. 7. pag.* 82. & 83.

II. Si-

II. Sicuti vero ex nuperis hiſce in Patricios adlectionibus apud Romanos diſcrimen emerſit, ut alii eſſent *Majorum*, alii *Minorum Gentium Patricii*; non ſecus in iis Urbibus, ac locis Patricii nuper allecti appellandi ſunt, minorum gentium, eorum ſcilicet reſpectu, qui ab origine Patricii appellantur. Id appoſite recitato loco de Januenſibus Patriciis notat Vulpius, *Imaginem quamdam*, inquit, *diviſionis hujus Januenſis Reſpublicæ hac etiam ætate præbet, cum nobiles, Patriciaſque familias bifariam diſtinctas, alias quidem veteris, alias novæ porticus nominet*. Quod ipſum exemplo Romanæ Reipublicæ factum fuiſſe jampridem animadvertit Joannes Bodinus *de Republica lib. 6. cap.* 4. *pag.* 1107. Et ſane quum ſerius ad Patricium ordinem ſint traducti, cum illis, qui ab origine hujuſmodi nomen, & honorem ſortiti fuere, comparandos non eſſe quiſque facile videt; in illis enim major, ſeu antiqua, in his minor, ac recens nobilitas inſidet. Quare non inepte recitato loco Draco ad illorum Patriciorum diſcrimen affirmavit: alios dicendos eſſe Patricios majoris, alios minoris antiquitatis, exemplo ab Patriciis Romanæ Reipublicæ ducto, eodemque a Januenſibus ad hanc uſque diem in ſua Republica conſtanter ſervato: *Si porro*, inquit, *noſtratia inſtituta veteribus; adeoque parva velimus componere magnis, nihil vetat, quominus exemplo Romanorum Patriciorum alios majorum, alios minorum gentium, hoc eſt majoris alios, alios minoris antiquitatis dicamus*.

III. Cooptabantur autem, hodieque cooptantur, ut vidimus, apud Venetos inter Patricios non ſolum, qui juverant in bello Rempublicam, ſed qui pretio, pecuniaque obtinebant, ut a Patribus in ipſum ordinem referentur; ut ex citatis liquet Scriptoribus. Mos idem colligendæ pecuniæ ex recens creatis nobilibus ſancito certo pretio, quo plebeji nobilitatem redimunt, vel impoſito certo nummorum ſubſidio, colligendo ex bonis poſſeſ-

poſſeſſis, pro immunitate, reliquorum more nobilium, in poſterum conſequenda, non in Galliis modo, verum etiam alibi viget, ut teſtatur Maſſimilianus *Fauſt. in Conſiliis pro Ærario claſſ. 5. conſil. 76. ordin.* 137. Septempedæ etiam, certa pecuniæ ſumma Civitati tradita, complures familias in Nobilium, ſeu Regulatorum, ac Patriciorum cœtu cooptatas fuiſſe vidi poſtremis hiſce temporibus, poſt rogatam in nobili Regulatus, ſeu Credentiæ Concilio die 18. Junii MDCCXIII. legem ab Antonio Gentilio Patre meo: ne quis, nimirum in poſterum Civitatis conſequi honores poſſet, niſi, ut indicavimus, certam pecuniæ ſummam Civitati impendiſſet: & niſi ii, qui id poſtulabunt, oſtenderent, neque Patrem, neque Avum ſeſe mechanicis artibus immiſcuiſſe; ac demum niſi cenſum haberent, pro iis fruendis honoribus æque aptum, ac congruum. Idipſum jam laudatus paullo ante Maximilianus Fauſt. opportune monuit fieri, ne ſordidis, ac vilibus hominibus adeo facilis ad nobilitatem detur per pecunias aditus, quarum cauſſa: *ad hoc privilegium nobilitatis ſublati ipſum gradum nobilium cum dedecore totius ordinis deturpent; & vileſcat per ſordes honos, qui virtuti tantum debetur*. Improbandum tamen hunc morem non eſſe exquirendæ pecuniæ autumat Tholoſanus *de Republica lib. 3. cap. 6. num.* 8. cauſſamque indicat: *Ut qui abundant ſpe futuræ dignitatis, illiciantur ad voluntariam contributionem*: Appoſite autem animadvertit Philippus Khnipſchildt *de jur. & privileg. Civit. Imperial. lib. 2. cap. 8. num.* 97. *Nec enim gratis, velim, ditiores plebejos inter Patricios referri: Quod ſi objiciatur: illud virtutis præmium eſſe debere, nec commercali vilitate inquinandum: In promptu reſponſio eſt: Qui pecunia Patriam adjuvant non inferiores eſſe aliis, qui virtute bellica, aut togata juvant*. Jure autem inter Patricios annumerari illi merentur, qui bellica virtute ſunt præditi, qui honeſtioribus, ac nobilibus orti parentibus, & a-

ma-

majoribus, literis, ac merito conſpicuis originem ducunt, qui ſe nunquam mechanicis artibus addixerunt, qui neutiquam ſervitutem aliquam ſervierunt; qui demum larem in aliqua Urbe diu cum honore, & divitiis vivendo more nobilium habuerunt, quod ſane pleriſque in locis fieri conſueviſſe auctor eſt Draco citato *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 20. ſcribens: *Hodie multis in locis illi, nec immerito Patriciis annumerantur, quorum majores nobilitate donati in Civitate aliqua inſigni larem diutius foverunt*: Quare Rota in cauſſa *Neapolitana*, *ſeu Civitatis Caſtelli deſcendentiæ* 14. *Junii* 1700. *cor. Priolo* relata a Balduccio *in deciſ. & re judicat. ſub titulo de Legatis, & Fidecomiſſis in ordine deciſ.* 1. *num.* 8. *Et profecto*, inquit, *homo alioquin novus in illa Civitate, non fuiſſet inter ejus Patricios admiſſus, niſi ex præventiva informatione, & ex præambulis diligentiis conſtitiſſet de illius vera nobilitate, & proſapia*: Contra vero hujuſmodi adlectione indigni cenſentur, qui vilia exercent officia, uti colligere licet ex textu *in leg. cum Prætor* §. *non autem ff. de Judic. leg. Decurio Cod. de Decurion. lib.* 10. Ii enim, ſicuti, & ceteri plebeji talibus fungentes muniis prohibiti ſunt Decurionum honores capere, & Civitatum illuſtria munera obire; quod ſancitum quoque eſt *in leg. univerſos cum gloſſa Cod. de Decurion.* ipſamque legem late illuſtrat Cohellius *ad bullam boni regiminis cap.* 31. *num.* 24. cum pluribus; quo loci tali munere indignos cenſet Spurios, ac illegitime procreatos, etiamſi fuerint legitimati; item Hæbreos, Hæreticos, Relegatos, militares viros, niſi ii agant in locis, ubi quiſque det nomen militiæ; eos etiam, qui forte flagellis publice cæſi fuerunt, vel medicinam profitentur. Sed de Medicinam profitentibus, ita intelligendum eſt; ut Medicos Chirurgos a Patriciatu excludi cenſeamus, non autem Medicos Chimicos, inter quos multi Patricii adhuc ſunt ſine Patriciatus ſui detrimento, & multi

ti plures, duobus tribuſque abhinc ſeculis extiterunt.

IV. Hujuſmodi in Patricios allectiones plerumque neceſſariæ eſſe videntur, quando deeſt numerus Senatorum, aut Conciliariorum. Quum enim jure municipali cavetur, ut in Senatoribus, & Conſiliariis legendis ratio tantum nobilium, & Patriciorum habeatur, ſi idonei non ſint, nullique Patricii, certum eſt juxta Calliſtrati reſponſum *in leg. eos qui* 12. *ff. de Decurionib.* Eos, qui alias in copia honeſtorum virorum reprobarentur, eſſe invitandos: Qua in re & Modeſtinus *in leg. ut gradatim* 3. §. 1. *ff. de muner. & honorib.* ſcite reſpondet: *Etſi lege municipali caveatur, ut præferantur certæ conditionis homines, attamen ſciendum eſt hoc eſſe obſervandum, ſi idonei ſint, & ita reſcripto D. Marci continetur*: Provide itaque conſultum erit hujuſmodi in Patricios allectionibus, imitatione veterum Romanorum, qui deficientibus Patriciis, ne ampliſſimus ordo dedecus incurreret, plebejos Patricio primum albo deſcriptos, in Senatum deinde legebant: Id Senatum Venetum, Noricum, & Auguſtanum ſervare narrat paullo ante laudatus Khnipſchildt *num.* 95. ubi appoſite animadvertit: *Sublectionem iſtam non tantum hunc, & alios defectus ſupplere; ſed & Reipublicæ commodum adferre; habebit enim ea Patricias familias, & ex his Senatores, præcidentur ſeditionum cauſſæ, & emulationum, quando plebeji potentiores ſpem conſequendi Patriciatus, & Senatoriæ dignitatis ſibi vident præfixam, nec plane præcluſam*: Hac propterea allectione veris æquantur Patriciis, eorumque frui debent privilegiis, non ſecus, ut ſupremus Princeps ad Patriciatus honorem extollens viros emeritos, veris æquat Patriciis, omnemque in iis ex plenitudine poteſtatis defectum aufert, quod & nominatim exprimere in diplomatibus ſolet, ut conſtat ex diplomate Caroli V. dato pro tredecim Viris, quos Patricios creavit, relato ab eodem Scriptore *lib.* 2. *cap.* 29. *num.*

num. 63. Quatuordecim quoque familias Ferdinandus II. Imperator Patriciatu donavit anno MDCXXVII. adverſus quam novam Patriciorum creationem, licet Senatus, tum proteſtatus fuerit; juſſus tamen exinde fuit ab ipſo Imperatore, ut creatos Patricios exciperet: eoſque immunitatibus, privilegiis, aliiſque juribus prærogativis, quæ veris Patriciis competebant frui curaret: Referente Johanne Limn. *de jure publico tom.* 4. *lib.* 7. *cap. pag.* 4. 157. *& ſeq.*

V. Plerique autem ſunt, qui ſtatim ac locum Concilii in aliqua Urbe obtinent, vel Civitate donantur, ut ingenuæ nobilitatis, ac præcipuorum munerum juribus frui poſſint, ſe illius Civitatis Patricios vocant. Nullo tamen jure hujuſmodi nomen uſurpant, quum non ipſi, qui omnium primi id honoris fuerunt adepti, ſed eorum nepotes, pronepotes, aut deſcendentes dumtaxat jure Patricii ſint appellandi. Enim vero quum hujuſmodi nomen a majoribus illis, qui ipſum Conciliarii munus, aliaque Civitatis obierunt officia, veluti generis illuſtris inditium, & argumentum, deſcendat ad poſteros, atque promanet; nunquam quis jure dici Patricius poterit, qui primus ea honeſtate potitur, nec majores ſuos ciere poteſt, qui locum in Concilio habuerint, vel Patriæ nobilia officia exercuerint: Quare illud præcipue eſt advertendum, quod niſi fiat nominatim in Patricios adlectio; adeout Patriciorum nomine, juribus prærogativis, privilegiis ſtatim potiantur, ac uti veri Patricii habeantur, & nominentur (qua in re cum Dracone, *in proœmio lib.* 3. *& aliis pluribus* facile ſentio ſpectandum eſſe morem Regionis, ac Urbium) ſimplex ad jura Civitatis, & ad locum Concilii cooptatio jure non tradit his nuper adlectis appellationem Patricii illius Civitatis. Id ea ratione fit clarius, quoniam per hujuſmodi vocabulum, ut paullo ante monuimus, indicatur, ac deſignatur alicujus nobilitas generis, quam cer-

certum eſt a ſeipſo neminem poſſe accipere, ſed opus habere, ut vel ſibi ſpeciali privilegio, & juris, ut vocant, fictione, vel a ſuperioribus ſuis ſit collata, ut aſſerunt Soccinus Senior *conſ.* 246. *num.* 3. *vol.* 3. & cum eo Tiraquellus *de nobilitate cap.* 6. *num.* 1. Profecto, quam immerito, ac injuſte Patricii nomen hujuſmodi novi homines ſibi adſciſcant, colligi poteſt ex riſu, atque contemtu, quo illos accipiunt Bartolus, aliique relati a Carolo Antonio de Luca *in addition. ad deciſ.* 2. *de Franchis num.* 7. ubi eos Pædagogos appellant; neque abs re adverſus ipſos exclamat Faber Capycius Galeotus *in voto fiſcali* 29. *num.* 70. *Dolor, & deploranda calamitas! Ubi nobilitas cito acquiritur, creſcit, & ſeneſcit, & in divitiis quoque partis conſiſtit, & aliter non in egregiis factis, & majorum, qui longo temporis interſtitio, per plures generationes virtutem, nobilitatem, ſpeciem pararunt?*

VI. Immerito etiam illi quoque alienigenæ ejuſmodi Patricii denominationem ſibi uſurpant ejus Urbis, & loci, cujus muneribus fruendis fortaſſe donati ſunt, nec tamen in iis larem habent. Quamobrem Draco contendit, duplicis Civitatis quemquam eſſe Patricium minime poſſe; & *lib.* 3. *cap.* 3. *num* 33. non ſine valida ratione pronunciat. *Tenendum quod nullus poſſit eſſe Patricius ejus Civitatis, cujus non eſt incola, nam ut aliquoties monui, omnis Patricius civis eſt, ſi ergo incola non eſt, civis non erit, neque erit Patricius.* Quamvis autem de his non ita rigide diſſerendum eſſe crederem: Tales enim ſunt, qui omnibus collatæ ſibi Civitatis muneribus fungi queant, ſi ibi larem habeant, eademque ad poſteros jura tranſmittant; quamobrem non immerito ejus nepotes, ac deſcendentes veluti Patricii honorarii habeantur ad eorum diſcrimen, qui longo majorum domicilio Urbem ipſam incolunt, ejuſque munera, & officia reipſa exercent. Viros Principes, eximiæque qualitatis

Digitized by Google

litatis illuſtres juribus Civitatis honoris cauſsa donari plerumque ſolet. Ludovico XI. Galliarum Regi Helvetii jus Civitatis ſuæ dedere teſte Bodino *de Republica lib.* 1. *cap.* 6. Veneti quoque Caſtiliæ, & Aragoniæ Regem Civem, & Patricium ſuum fecerunt, ut habetur in Theſauro *politic. part.* 1. *in relat. Venet. fol.* 82. Quem honorem, & Henrico Duci Brunſuicenſi contuliſſe narrat Henricus Arniſe *de Repub. lib.* 1. *cap.* 5. *ſect.* 9. Sic etiam in quibuſdam Civitatibus Allobroges, Mediolanenſes, Lotharingi, Cameracenſes, & alii pro Civibus habentur, ut refert Renatus Chopinus *de donat. Reg. lib.* 1. *tit.* 1. Idipſum & in Patria mea, & in aliis compluribus Piceni, & Umbriæ Civitatibus ſervatur; ut illuſtribus alienigenis, præcipueque iis, qui magnatitia honeſtate potiuntur, vel qui bene de Civitate ipſa ob aliquod inſigne beneficium meriti ſunt, omnibus illius Urbis donentur honoribus; ac æque, Patricii ſint, & Cives illius Civitatis.

VII. Ceterum, ut eo redeamus, unde paullulum digreſſi fuimus, aliud omnino eſt obtinere locum in Concilio, aliud Patricium appellari. Ejuſmodi ſiquidem Patricii denominatio certe intelligit, atque, ut ita dicam, ſecumfert cujuſque majores diu locum in primario Urbis Concilio habuiſſe: Cooptari autem in ipſo Concilio viam deſcendentibus, & poſteris aperit, ut tractu temporis poſſint & ipſi nuncupari Patricii. Id diſcrimen non obſcure colligere licet ex recitata deciſione Sac. Rotæ Romanæ in cauſſa Ravennaten. *prætenſæ aggregationis ad locum Concilii edita* 7. *Junii* 1717. *in principio cor. Anſaldo*, ubi referens decretum Ravennatis Concilii de admittendis ad ejuſdem locum, diſtincte loquitur de iis, qui ſunt de familia Patricia, & aliis, qui de familia Patricia non ſunt, & ad ipſum cooptantur. Eos, qui recens ad ipſum aſſumuntur, nonniſi Conciliarii munere fungi oſtendit, nomineque Conciliarii

tan-

tantum, non vero Patricii nuncupat. Quin imo conſulto addit de familia non Patricia ad diſcrimen eorum, qui revera ſunt de familia Patricia. Monet præterea, ne illorum adlectione, qui Patricii non ſunt, turbari poſſit Patricii ordinis ſplendor, in iis admittendis requiri majorum ſuffragiorum numerum: *Antiquiſſima*, inquit, *& prænobilis Ravennæ Civitas prævidens Patricii ordinis decus, & ſplendorem interiturum, niſi arctiori via ad ſupremos honorum gradus daretur aſcenſus; idcirco uſa privilegio anno* 1511. *a ſa. me. Julio II. ipſi impartito, prudenti ratione in generalibus comitiis habitis die* 27. *Martii* 1705. *decrevit quod in poſterum pro valida electione novi Conciliarii de familia non Patricia minime ſufficeret unicum dumtaxat ſuffragium ſupra medietatem, ſed duæ ex tribus partibus requirerentur*. Spectant autem hujuſmodi adlectiones, & approbationes ex juris communis diſpoſitione ad generale Concilium, ejuſque Decuriones juxta *leg. Obſervare* 2. ibique *DD. Cod. de Decurion. lib.* 10. Idem tradunt Joannes de Platea *in leg. ſi quis ſpontaneos in principio verſ. quod intellige Cod. eodem titulo*, Curia Piſana *de origine Decurionum cap.* 13. *num.* 1., & Cardinalis de Luca *de præeminen. diſc.* 3. *num.* 5., *& diſcurſ.* 38. *num.* 13. Pleriſque tamen in locis juxta peculiarem eorumdem conſuetudinem, ac legem pertinent ad peculiare Concilium, ubi omnes, ac ſoli Patricii conveniunt; quemadmodum ſervatur Septempedæ, ubi ad Credentiæ, ſeu Regulatus Concilium ſpectant hujuſmodi adlectiones; quibus certe niſi poſt longam Majorum ſeriem diu Civica honeſtate potitorum inter ſuos Regulatores, nemo, qui de familia Patricia non eſt, cooptatur, ut ſupra monuimus. Cum autem quis de familia Patricia vel ipſi adſcribi Concilio, vel alios illuſtres, primoreſque Civitatis honores paterno quodam jure debitos exercere cupit, & poſtulat, ejus admiſſio vel ad ipſum Concilium Credentiæ per-

Digitized by Google

pertinet, vel etiam ad generalia Comitia, vel tandem ad alium nobilium virorum ſpecialiter lectorum cœtum, quod Regimentum vocant. Ipſi ſiquidem auctoritate a generali Concilio accepta præcipue ad id, quoties neceſſitas poſtulat, deſtinantur, ut delectum eorum faciant, qui Magiſtratibus Civitatis frui debent, poſtquam nimirum in Urna, ex qua juxta morem extraendi ſunt, nulli alii ſuperſunt. Sed eorum auctoritas ita eſt reſtricta limitibus, ut ſolum iis familiis Civitatis honores tradere poſſint, quarum majores iis functi erant; expreſſim ipſis inhibita facultate illis indulgendi, quorum majores vel nunquam potiti ſunt, vel qui licet potiti fuerint, tamen mechanicis, vilibuſque artibus, vel alio quocunque ſordido munere cum iis honoribus non ferendo ſe ipſos poſteroſque ſuos reddidiſſent indignos. Eam legem in generalibus Comitiis die 23. Novembris MDCLXIV., & rurſus die 18. Decembris eodem anno majori extenſione rogavit Octavianus Gentilius Avus meus, eaque ſemper quoties dictum Regimentum advocari contigit, Viris illis, qui in ipſo conveniunt, legitur, ne quidquam contra ipſam audeant decernere. Cujus propterea tuendæ legis una cum aliis patriis juribus, præſertim ſervandi ſilentii, quo tempore ipſi eos conventus agunt, Sacramento adiguntur.

VIII. Præterea, ut alibi innuimus, id plurimum ab uſu legibus, ac peculiaribus Statutis Urbium, & locorum dependet; quibus citra dubium in his, atque ſimilibus caſibus deferendum eſt: tum, ut ille, qui nuper ad Concilium admittitur, uti poſſit cum aliis pari denominatione, & honorifico Patricii nomine, tum etiam, ut electiones hujuſmodi validæ habeantur. Quæ vero leges adeo ſtricte ſunt obſervandæ, ut electiones aliter factæ ipſo jure nullæ cenſeantur, ut docent Alexander *conſ.* 119. *num.* 17. *lib.* 6. Natta *conſ.* 672. *n.* 49. *Rota in cauſſa Avenionen. admiſſionis ad Magiſterium artis*

tis 22. *Junii* 1711. §. *vigente & ſeq. cor. Anſaldo.* In recitata autem deciſione in cauſſa *Ravennaten. prætenſæ aggregationis ad locum Concilii* leges hujuſmodi adeo potentes Sacrum Tribunal eſſe pronunciat, ut ne a Nuntiis quidem, & Cardinalibus ab latere Legatis diſpenſari poſſint, aut per viam interpretationis, aut limitationis, aut reductionis, ut ajunt, ad terminos juris communis; quin imo leges ipſæ, quamvis fuerint peculiariter a Conciliariis ſancitæ, & decretæ, nec a ſupremo Principe in forma ſpecifica confirmatæ; adhuc tamen tantum, taleque habeant robur, ac vim, modo ſint confirmatæ in forma communi, ac ſi eſſent confirmatæ in forma ſpecifica. Ea quidem ratione, quoniam fultæ reperiuntur illo cauſſæ, & honeſto rationis, *adminiculo coercendi videlicet eorum ambitum, qui nullis ornati meritis ad ſupremos honores conſcendere audacter præſumunt. Quæ ſane ratio ad dictum effectum exuberat*, Ut eadem S. Rota loquitur. Maximum rebus ipſis pondus addit in Pontificiis Provinciis legum hujuſmodi nuper a Municipalibus Conciliis editarum confirmatio a Sacra Conſulta mature petita, & impetrata; quæ dum has, & id genus ſanctiones comprobat, operatur, ac ſi ab ipſo Summo Pontifice in forma ſpecifica ſint confirmatæ. Atque hæc de Patriciis ſatis. Late fuſum argumentum varium; ac nuſquam non obſeptum difficultatibus, ſi non pro merito, ac dignitate; at pro virili ſaltem parte illuſtrare conati fuimus. Quamobrem niſi ex ſententia res ceſſerit, id ſaltem obtinuimus, ut ad meliora conandum, alios excitaverimus, viamque patefecerimus, qua feliciorem ipſi tenentes curſum, palmam, quam nos cogitavimus, uberiori laboris, & ſtudii fructu ipſi percipiant.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM

Primus numerus paginam, paragraphum alter deſignat.

A

ABBATES in Galliis baculum paſtorale ſumebant de manu Advocati. 226. 1.

Abbates Commendatarii perpetui in jure habentur uti veri Prælati. 237. 9.

Habent plenariam adminiſtrationem tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus. *ibid.* Poſſunt, modo ſint Sacerdotes, & Benedicti Pontificalibus uti inſignibus, & muneribus fungi. 239. 10.

Abbates Clauſtrales exercere nequeunt Pontificalia munia abſque Commendatarii permiſſu. 240. 10.

Abſentes Patriciatu aucti nullo obeundo muneri deſtinabantur. 160. 5.

Abuſus utendi peregrinis veſtibus pœna infamiæ coercitus Romæ fuit. 128. 1.

Academia lectorum Juvenum explicandis S. Conciliorum Canonibus in Ædibus S. Hieronymi Charitatis Romæ inſtituta. 221. 12.

Acetus Thomas laudatur. 138. 8. 467. 1.

Acta S. Silveſtri PP. a compluribus impugnantur. 287. 9.

Adlecti inter Patricios, ab iis, qui tales ſunt ab origine, diverſi. 551. 2.

Adlectiones Patriciorum variæ a Romulo factæ; item a ſequentibus Regibus, atque Coſs. 7. 6. Ab Imperatoribus modo, omnino ab antiquo, diverſo fiebant. 221. 3. hodie pleriſque in locis fiunt, & quomodo. 550. 1. 554. 4.

Adlectiones inter Patricios pretio, & pecunia permultis in Civitatibus fiunt. 551. 3. Plerumque neceſſariæ ſunt, quum deficiat Conſiliariorum numerus. 554. 4.

Adlectiones ad locum Concilii quomodo faciendæ. 557. 7. Ad quos ipſæ pertineant. 558. 8.

Adlectio ſimplex ad locum Concilii non tribuit adlecto nuncupationem Patricii. 555. 5.

Adlegendi inter Patricios qui jure ſint. 553. 3.

Adoptiones fiebant Pontificibus arbitris coram populo, & quomodo. 23. 8.

Bbbb Ado-

Adoptiones in filium fiebant antiquitus etiam a Regibus. 312. 4.
Adoptare Patricium plebejus, non plebejum Patricius poterat. 22. 8.
Adrianus I. Carolum M. monet, ut opem Eccleſiæ præſtet, cujus erat defenſor. 374. 5. Ad Carolum M. veluti Romanorum Patricium Legatos miſit pro ejus auxilio obtinendo adverſus Deſiderium. 219. 3. Qua pompa Carolum M. ceu Romanorum Patricium, Romam advenientem excepit. 327. 2. Carolum monet, ut homines ad ipſum confugientes ad judicium Romanæ Sedis remittat. 377. 7. 392. 6.
Adriani II. electio nullum aſſenſum præbentibus Imperatoris miſſis ſequuta. 429. 9.
Advocati munus, & finis. 268. 1.
Advocatorum, & Defenſorum Eccleſiarum munus, & officium. 226. 1.
Advocato non conſentiente quidquam ad Eccleſias pertinens diſtrahi non licebat. 231. 4.
Advocatis certa ſtipendia quotannis aſſignata. 227. 2.
Advocati diſciplina labente cenſus permoleſtos Eccleſiis imponebant. 234. 7.
Advocati Conſiſtoriales an antiquis Eccleſiæ Romanæ Defenſoribus ſuffecti. 218. 9.
Advocatio Eccleſiæ Romanæ ortum non habuit a Patriciatu Conſtantiniano. 214. 7.
Advocatio Eccleſiarum originem minime habuit a Carolo Magno. 214. 7.
Advocatio Eccleſiarum præcipuum erat Patriciatus munus. 212. 5. Eam Duces, Comites, aliique proceres præſtantiſſimi ſuſcipiebant. 209. 2.
Advocatio nullum jus ditionis, aut dominii tribuit. 387. 2.
Advocationis Eccleſiarum origo in Concilio Milevitano. 207. 1.
Advocationis obtentu plerique in Eccleſiis jus incaſtellandi arrogabant. 234. 7.
Advocationes Eccleſiarum in Concilio Lugdunenſi II. prohibitæ. 235. 7.
Ædiles Plebis Patricii juvenes creati. 116. 7.
Ædiles curules alternatim ex Patriciis, & Plebe creati, eorumque munus. 87. 7.
Æra Patriciatus Caroli M. ab anno DCCLXXIV. 333. 6.
Æra Patriciatus Caroli M. ſignata in Apoſtolicis literis. *ibid.*
Æſina Civitas denominatione Reipublicæ adhuc hodie potitur. 496. 4.
Aiſtulphus infeſto exercitu Romam irrupit. 210. 5.
Alaricus Legatos ad Juſtinianum miſit pro obtinendo Patriciatu. 278. 1.
Albanus Annibal Cardinalis laudatur. 278. 2.
Albricus Romanorum Patriciatum uſurpavit. 436. 2.
Alienigenæ an poſſint ſe Patricios ejus Urbis nuncupare, cujus

cujus honoribus donati ſunt. 556. 6.

Sanctus Amicus *Rambonenſis* a S. Petro Damiano vocatus. 268. 10.

Ampulla Sancti Martini Carnuti oleum cæleſte ſervare fertur, ejuſque origo. 361. 7.

Ampulla Rhemenſis, e cœlo veniſſe fertur. 358. 5.

Argumenta pro, & contra ejuſdem cæleſtem originem. 358. 6.

Ancilia quæ, & unde dicta. 110. 2.

Ea menſe Martio per Urbem a Saliis movebantur. *ibid.*

Anglorum, Scotorum, & Danorum Patricii. 531. 14.

Anni Patriciatus in diplomatibus notabantur. 258. 3.

Annulus aureus, & purpura a Patriciis geſtata non in generis argumentum, ſed ordinis. 128. 1.

Annulus Patriciis dabatur quum Patriciatum inibant. 206. 10.

Anxanæ Civitatis Concilium duplex, ejuſque nobilitas. 507. 2.

Aphricæ Patricius, aliarumque Orientis Civitatum. 356. 1.

Apparitores Magiſtratuum ſcriniarii dicti. 253. 9.

Ariſtocratia quæ. 504. 11.

Arcades luna veluti fibula utebantur. 133. 4.

Argentorati in Germania Patricii. 527. 12.

Ariani a Patriciatu excluſi. 214. 6.

Aſculani Patricii oppidum conſtruunt, quem Montem Patricium vocarunt. 464. 465. 12.

Aſculani Patricii poſt conſtitutum Concilium *Centum*, & *Pacis* dictum. 514. 4.

Aſſeſſores Senatoris Urbis tempore Innocentii III. 442. 5.

Auditorium Principis, locus erat, in quo cauſſæ agitabantur. 176. 10.

Auguſtæ Vindelicorum Patricii a Carolo V. lecti. 523. 9. 528. 12.

Auguſtus quindecim Senatores ſingulis menſibus ex Patriciis deligebat. 120. 2.

Augures a Romulo inſtituti qui, & quot eſſent. 42. 4.

Auguralis diſciplinæ ſigna quot eſſent. 44. 5.

Auriflamma erat vexillum, quod Clodoveo e cœlo veniſſe fertur. 228. 2.

Auſpicia captare proprium ſolum Patriciorum erat. 45. 6.

Auſpicia a Patriciis ſolum Tribunis plebis conceſſa, & quæ. 467. 7. Ad Patricios redibant, cum nulli eſſent in Republica Magiſtratus. 49. 10. Eorumdem captandorum morem Romulus inſtituit. 42. 3. Quæ Patriciorum erant, majora & vera nuncupata. 48. 9. Ea centuriatis Comitiis captabantur. *ibid.*

Axamenta Saliorum carmina erant. 113. 5.

B

BAldinus Joannes Franciſcus laudatur. 316. 1. 393. 7.
Batillum pruna plenum Viris Principibus præferebatur ad odores incendendos. 488. 7.
Bellum cum geri contingeret Patricius præcipuæ Civitati, in qua militibus præeſſet, præficiebatur. 248. 6.
Beneficia, & Abbatiæ Regulares quando Clericis ſecularibus commendari cœperunt. 236. 8.
Beneventani ſe Patricio Siciliæ ſubjicere volebant. 263. 7.
Biſellium proprium Duumvirorum erat. 486. 6.
Bona Monaſterii curanda Advocatis dabantur. 226. 1.
Bruxellenſes Patricii an. MCCCCLX. 522. 8.
Bulla aurea nobilium Puerorum inſigne. 134. 6. Quædam remedia includebat, quæ valentiſſima adverſus invidiam credebantur. 135. 6.

C

CÆſar complures legit Patricios initio ſuæ Dictaturæ. 119. 1.
Cajeta, & adjacentia illi oppida Romano Pontifici parebant. 264. 7.
Calatayeronis Patricii appellatio reſidet penes Senatus, & Magiſtratus Principem. 532. 15.
Calcei Patriciorum cavi erant, totumque pedem tegebant. 129. 2. In iis quædam lunula erat adſuta. *ibid.* quem colorem præferebant. 140. 11. quatuor corrigias habebant ad plebejorum diſcrimen. 139. 9. poſteriori ævo abſque lunula quatuor tantum corrigias continebant. 140. 10.
Calceos lunatos Patricii ſolum geſtabant etiamſi Senatorii ordinis non eſſent. 131. 3.
Calcei Senatorii a Patriciis diverſi. 132. 3. Uncinati a lunatis diſtincti. 239. Plebejorum albi erant. 140. 11.
Campanorum Urbis Concilium ſolum Nobilibus refertum. 511. 4.
Cancellarii Patriciorum judicandi poteſtatem probabant. 265. 9.
Erant veluti a ſecretis, & Apocriſarii. *ibid.*
Caniclei præfectus qui. 225. 15.
Can. *Conſtantinus diſt.* 96. Viros criticos habet adverſos. 287. 9.
Ejuſdem alia eſt in Græcis Codicibus lectio, quam Latina verſio ſignificet. 287. 9.
Can. *Adrianus*, & Can. *in Synodo* diſtin. 63. commentitii. 418. 3.
Can. *Ego Ludovicus*, & Can. *conſtitutio* diſtinct 63. nimium ſuſpecti. 431. 10.
Cap. *fundamenta de electiion.*, *& electi poteſt.* explicatur. 435. 1.
Capitularium Caroli M. varia eſt

eſt inſcriptio . 332. 5.
Capuani Patricii . 530. 14.
Cardinales in aula Romani Pontificis Patriciis ſuffecti. 297. 1. Fratres Laterales, & Coadjutores Pontificis appellantur . 298. 2. 299. 2. eorumdem præſtantia, & jura. *ibid.* quandoque juxta temporum opportunitatem Imperatorum, & Regum preces in Summi Pontificis electionibus admittendas duxerunt . 430. 9.
Carmina Saliorum tantæ erant obſcuritatis , ut ne ab ipſis intelligerentur . 113. 5.
Carolus Calvus enixe ſe Adriano II. commendavit , ut ab ipſo Patricius renunciaretur . 243. 4.
Carolus Martellus , & Pipinus Patricii titulo nunquam uſi . 329. 3.
Carolus M. a Stephano III. non ab Adriano I. Patriciatum conſequutus fuit . 326. 1. Ab anno DCCLXXIV. ſe Patricium Romanorum appellare cœpit . 328. 3. Ejus Patriciatus tempore Adriani I. celeberrimus . 325. 1. A Leone III. Patriciatus confirmationem petiit , ut jure tueri poſſet Eccleſiam . 321. 5. 375. 5. 389. 3. plures Eccleſiæ Romanæ Civitates largitus fuit . 314. 8. Nonniſi quater Romam ſe contulit . 422. 5. Romam adventus univerſo acclamante Populo Patricius Romanorum appellatur. 328. 2. Pontificiis nummis inſcriptus . 403. 1. 404. 2. Filiis ſuis Eccleſiæ Romanæ defenſionem præcipue commendavit . 401. 11. Cum Adriano I. convenerat de Romanorum Patriciatu , non vero de Urbis dominio . 396. 8. Nullum jus uti Patricius in Exarchatus provincias habebat . 378. 7. Uti Patricius Romano Pontifici erat ſubjectus . 374. 5. arrogans ſibi facultatem allegandi Miſſos, ut Electioni Archiepiſcopi Ravennatum intereſſent , ab Adriano admonetur . 424. 6. Uti Patricius dumtaxat erat Eccleſiæ Romanæ defenſor . 374. 5. quando Patricii titulo omiſſo, illo Defenſoris Eccleſiæ Romanæ uſus eſt. 320. 4. 375. 3. nunquam Domini Urbis , & Pontificiarum Civitatum titulum ſibi præfixit . 396. 8. Patricii Romanorum titulo quomodo uſus fuit . 331. 332. 5. A Leone III. petit adoptionem in filium . 371. 3. In Camera Lateranenſis Triclinii pictus cum Patriciatus inſignibus . 323. 6. 366. 10. Patriciatus indumenta induere reſpuit ; ea quando induit . 365. 9. Patriciatu potitus fuit per annos XXV. 338. 10. Trina populi acclamatione Imperator ſalutatur . 337. 9. poſt conſequutum Imperium Patricii titulum omiſit. 338. 10. More Orientalium Imperatorum Conſulatum ſuſcepit. 383. 11. Ejus pietas , & ſolicitudo in

in defendenda Eccleſia Romana. 400. 11.
Catalanus Joſephus laudatur. 221. 12. 284. 7.
Celſitudinis, & Gloriæ titulis a Summis Pontificibus Patricii decorati. 203. 8.
Cenſendi inſtitutum Servius Tullius inſtituit. 15. 2.
Cenſores Patricios in Equites, Peditesſque, & in Plebem transferebant. 17. 4.
Cenſorum Magiſtratum Patricii ſumſere. 16. 2.
Cenſus cuilibet Ordini in Romana Republica accommodatus. 16. 3.
Chartæ Willelmi Comitis ſignatæ Carolo Romanorum Patricio examinantur. 339. 10.
Childebertus Rex opera Italicæ Patriciæ fœdus cum Mauricio Imperatore inivit. 292. 4.
Chlamys veſtimenti genus erat Regio paludamento perſimile. 205. 10.
Cicero non fuit a Cæſare lege Caſſia inter Patricios adlectus. 122. 4.
Civitates, quas Pipinus ſe donaturum Eccleſiæ Romanæ cum Stephano III. convenerat, quæ. 312. 8.
Civitates paucæ poſt Barbarorum incurſiones Senatum retinuerunt. 494. 3.
Claudius Imperator vetuſtiſſimum quemquam e Senatu in Patricios cooptavit. 121. 3.
Claves Sepulcri S. Petri ad Carolum Martellum a Gregorio Tertio miſſæ. 307. 2. 324. 7.
Clemens III. pacta, quæ cum Romanis Eugenius III. ſanciverat de abrogando Patricio Magiſtratu approbavit. 445. 7.
Clemens XI. Pontifex Max. laudatur. 278. 2.
CLEMENS XII. Pontifex Max. feliciter regnans eximius Auctoris benefactor laudatur. 136. 6.
Clerici Eccleſiæ Romanæ an a Conſtantino Magno Patriciatu aucti. 286. 287. 9.
Clientum, & Patronorum mutua inter ſe officia. 95. 6.
Clientum erga Patronos obſequia plurima erant, & quæ. 94. 5.
Clodoveo Francorum Regi ab Anaſtaſio Imperatore Patriciatus non Conſulatus oblatus fuit. 281. 5.
Cœna popularis erat convivium, quod in æde ſacra a Clientibus Patronis apparabatur. 94. 5.
Cognomen antiquitus quiſque ſibi a Patria ſumebat. 267. 10.
Collegia artificum ſibi Patronum deligebant. 105. 14. 105. 15.
Coloniæ, & Municipia uti Romæ habebant Senatum. 450. 3. Equeſtres, & Patriciæ deductæ. 459. 9. quaſi effigies parvæ, & ſimulacra populi Romani erant. 450. 2. Ex Romanis Patriciis Patronum deligebant. 96. 7. 106. 107. 15.
Comitia centuriata quæ. 48. 9.
Comitiva dignitas Patriciatui addebatur. 176. 9.

Co-

Comites Conſiſtoriani, qui, & quot fuerint. 176. 177. 10.

Commendæ Eccleſiarum, & Abbatiarum quando cœperunt. 238. 8. Antiquitus erant ad tempus. *ibid.* perpetuæ Paulo II. Summo Pontifice inſtitutæ fuerunt. 237. 9.

Concilia Milevitana duo fuerunt in unum a ſcriptoribus confuſa. 208. 1.

Concilia ad Summos Pontifices Patricios legabant. 222. 12.

Conciliis Patricii intererant, veluti Eccleſiarum defenſores. 223. 14. Ipſis ſubſcribebant poſt Epiſcopos. 222. 13.

Concilium quid ſit. 497. 5. duplex aliud generale, aliud peculiare quando in Italicis Urbibus inductum. 107. 2.

Conciliis Civitatum ob Plebejorum diſſidia nova forma tributa. 501. 9.

Connubia inter Patricios, & Plebejos prohibita. 45. 6. promiſcua inde facta magna Patriciorum contentione. 46. 6. 83. 4. Inter Patricios, & Patricias plura. 294. 5.

Conſiliariorum munus Patriciis ab Auguſto commiſſum 120. 2.

Conſiliarii, qui in qualibet Civitate hodie ſunt Senatoribus, & Decurionibus ſucceſſerunt. 495. 5. totam repræſentant Civitatem. 497. 5. Ii ſupremorum Principum Patriciis comparati. 304. 7. Duodecim ſupremi Moſcoviæ Patriciis ſubrogati. 304. 6.

Conſulatus dignitas erat ampliſſima, ſed ſine labore honor. 200. 5. Erat a Patriciatu diſtinctus. 283. 7. 381. 7. circa ætatis annum ſecundum, & quadrageſimum alicui dabatur. 158. 4. Eidem minime erat adnexa Eccleſiæ Romanæ advocatio. 382. 10. Septempedæ a Viris Patriciis dumtaxat exercetur. 542. 6. Qui viget in pleriſque Civitatibus nobilitatem præfert. 542. 6.

Conſules duo creati exactis regibus, iique Patricii, eorumque auctoritas. 67. 66. 2. Ex plebe creati, ejuſque creationis cauſſa. 85. 5. An, & quando Patricios antecellerent. 198. 4. Triplicis erant generis, & qui. 200. 5. Artium pleriſque in locis vigebant; & adhuc vigent. 485. 486. 5.

Conſtantinopolis *nova Roma* appellata. 267. 10.

Conſtantinus Magnus Patriciatum inſtituit. 144. 1. Viros Clariſſimos Patriciatu decoravit. 155. 1.

Conſtantinus Auguſtus in Concilio Niceno ſeorſim cum Patriciis ſedit. 197. 3.

Couſtantinus Pogonatus in Conſtantinopolit. Concilio cum Patriciis interfuit. 189. 7.

Corduba Colonia Patricia nuncupata, quod in ea Patricii eſſent invecti. 461. 20. A Marcello tempore Republicæ Romanæ condita, atque deducta. 461. 10.

Co-

Corona Patriciatus. 363. 8. Imperatoribus ſolemni pompa in capite imponebatur, cum Patriciatum ſuſciperent. 362. 363. 8.
Coronæ Imperatoriæ forma a Regia diverſa. 364. 8.
Corrigiæ in calceis Patriciis nigri coloris erant. 140. 11.
Coſmetæ puellæ eædem, ac ornatrices. 291. 3.
Creſcentius Romanorum Patricius ordinandi Pontificis auctoritatem uſurpavit. 437. 2.
Cupiditas eorum, qui nullo jure ſibi debitos titulos uſurpant, reprobatur. 205. 9.
Curia minime erat Aula Principis, ſed Senatus. 454. 5.
Curiales erant Senatores, ſeu Decuriones. 453. 5.

D

DEcemprimi ii decem Decuriones dicti, qui in ordine Curiæ primi ſequebantur. 477. 8.
Decemviri loco Coſs. creati cum Regio Imperio ſpecie tuendarum legum; ipſique Patricii. 79. 1. Eorum auctoritas, imperium, & finis. 81. 82. 2. Ipſis intra decem annos abrogatis Coſs. iterum creantur. 82. 3.
Decemviri Sacrorum pro cuſtodiendis libris Sibyllinis, iique Patricii, eorumque munus. 62. 9.
Decemviri Stlitibus judicandis, qui fuerint. 127. 6. Ii ſub Auguſto Patricii erant. *ibid.*
Decuriones nil a Romanis Senatoribus differebant; unde & ipſi Senatores nuncupati. 451. 3. 452. 4. Omnium Romanorum Magiſtratuum vocabula ſibi ſumſerunt. 487. 7. Eumdem in ſuis Municipiis, & Coloniis auctoritatem habebant, ut Romæ Senatores. 475. 6. Æque nobiles erant ac Romæ Senatores. 473. 5. honorabile Patrum vocabulum ſibi adſciverunt. 454. 6. Eorum inſignia quæ. 446. 8.
Defenſorum regionariorum munus in Eccleſia Romana. 216. 8. Septem ipſi erant ex ordine Subdiaconorum lecti. *ibid.*
Democratia quæ. 503. 11.
Denominatio Patricii ejus Civitatis, in qua Patricius Præſes erat ultimo Latinitatis ævo invaluit. 257. 2.
Deſcendentes ab aliquo Marchione Comite, vel Domino potiri poſſunt eiſdem titulis. 171. 3.
Dictatoris creandi cauſſa, ejuſque poteſtas. 71. 4. Ejus imperium ſemeſtre erat. 72. 5. Is ex Patriciis legebatur. *ibid.*
Dictio *Ex* adjecta officiis, ac Magiſtratibus non aliud ſignificat, quam aliquem iis muneribus functum. 168. 2.
Dignitatis nomen etiam depoſitæ quis ſemper retinebat, 170. 3.
Diploma Regum, quibus Monaſteriis bona confirmabant Pa-

Patriciis directa ; eorumque formula . 228. 3.
Diplomata Caroli Magni cum inſolita invocatione , & inſcriptione interpolata , & falſa . 331. 4.
Diplomata Imperatoria Caroli Magni non præferunt Patricii titulum . 339. 10.
Doctores Patricii minime appellandi ſunt . 539. 4.
Domi nobiles qui . 473. 474. 5.
Dona B. Petro a Patriciis oblata in Lateranenſi Epiſcopio ſervabantur . 233. 6.
Donatio illius Italiæ partis , quam a Longobardis recuperaret Pipinus , ipſum inter , & Stephanum III. conventa . 312. 8.
Donationes Eccleſiis , & Monaſteriis factæ ab eorumdem Advocato acceptabantur. 230.4.
Dromonium genus erat Navigii expeditiſſimi . 190. 8. Ejus uſus ab Imperatoribus Patriciis conceſſus . 189. 8. frequenter adhibebatur in ſolemni Imperatoris egreſſu . *ibid.*
Drungarius Magnus in inferiori Imperio C. P. clarus . 242. 2.
Drungarius rei navalis qui. 242. 2.
Drungus erat militum globus , vel pars exercitus . 242. 2.
Duces exercituum declinante Imperio Magiſtrorum militum titulum uſurparunt. 247. 5.
Duces Romani concedente Pontifice , Romæ , & in reliquas Ducatui Romano ſubjectas Urbes imperabant . 269. 11. Patricii nunquam fuere appellati . *ibid.* alii non erant , quam Romani Pontificis adminiſtri . 270. 11.
Duumviratus annuus, ut Conſulatus Romanus erat . 487. 6.
Duumviri Conſulum nomen uſurparunt. 483. 484. 4. Ex Decurionibus lecti , & qui . 481. 2. Eorumdem auctoritas , & munus . 482. 3. Eorumdem inſignia . 487. 6.

E

ECcleſia Romana ſuos antiquitus defenſores habebat, ſed nunquam Patricios appellatos . 215. 8. ſuos etiam habuit advocatos . 217. 9.
Electio Patricii a Romanis abſque Sedis Apoſtolicæ aſſenſu facta irrita , & nulla . 446. 8.
Electiones Summorum Pontificum a Carolo Magno , uſque ad Leonem VIII. liberæ fuerunt . 426. 7.
Electores Imperii apud Cæſaream Majeſtatem Patriciis ſubrogati . 299. 3. Inter Cardinales minime ſunt recepti . 299. 2.
Eminentiæ titulo Cardinales Urbanus VIII. decoravit. 299. 2.
Eminentiæ , Culminis , & Celſitudinis titulis quando Patricii ab Imperatoribus decorati . 203. 9.
Epidemetica erant pretia , quibus quis ſe ab onere ſuſcipiendorum

dorum hoſpitum redimebat. 195. 1.
Epiſtolæ, & decretales ſub nomine S. Anacleti PP. apocryphæ. 264. 8.
Epiſtola Orientis Imperatoris ad Carolum M. Patricium Romanorum commentitia. 335. 7.
Epiſtola Paſchalis I., & Eugenii II. cum annis Patriciatus Ludovici Pii expenditur. 341. 2.
Epiſtola 85. Codicis Carolini examinatur. 377. 7.
Epiſphyrion erat quoddam ornamenti genus in calceis. 133. 4.
Epiſcopi Patriciatu aucti. 287. 9. facultatem ſibi eligendi Advocatum a Summis Pontificibus impetrabant. 209. 3. antiquitus per electionem Cleri, & Populi inſtituebantur. 424. 6. Eorum conſecrationes a Summis Pontificibus Patricii poſtulabant. 232. 5.
Epocha Patriciatus Caroli Magni. 332. 6.
Equites primum dicti, ii tercentum Viri, quos Romulus ad cuſtodiam ſui corporis ſumſit. 3. 2. latum clavum induebant. 136. 7. In Municipiis, & Coloniis erant. 458. 8. hodie inſulſe appellantur, qui potius Patricii dicendi eſſent. 539. 4. Etiam, qui in Pagis, & Terris larem fovent nuncupantur. *ibid.*
Equites aurei velleris & S. Michaelis apud Regem Catholicum Patriciis ſuffecti. 303. 6.
Eugenius III. cum Romanis pactum iniit de abrogando Patricio Magiſtratu. 444. 6.
Eunuchi a Patriciatu excluſi, & poſtmodum ad ipſum admiſſi. 156. 2.
Exarchatus quando in Italia invectus. 272. 13. Ejus finis. 273. 14. Ejus jure Patricii univerſæ præerant Italiæ. 272. 13.
Exarchæ non alii quam Patricii. 273. 13. Patricii Ravennæ, & Patricii Italiæ paſſim nuncupati. *ibid.*
Ex-Patricii qui fuerint. 168. 2. 3. Ii dicti fuerunt, qui Patriciatum militiæ geſſerunt. 170. 3. 253. 9.

F

Familia Patricia ea dicebatur, in qua aliquis Patricius extiterit. 152. 9.
Familiæ ejuſdem nominis aliæ Patriciæ aliæ plebejæ. 29. 9. 10.
Federicus II. quid ratione advocationis ab Romana Eccleſia poſtulavit. 379. 8.
Ficoronus Franciſcus laudatur. 135. 6.
Filiæ Patriciorum Imperatoribus nuptui traditæ; Et Imperatorum filiæ Patriciis. 187. 5.
Firmani Patricii. 519. 6.
S. Firmanus a Firmana Civitate cognomen habuit. 267. 10.
Flamines tres ab initio inſtituti, & unde dicti. 53. 3. uſque ad quindecim aucti. 55. 3. Tres ad reliquorum diſcrimen ma-

majores dicti, & Patricii. *ibid.* Inter ipſos maximus erat flamen Dialis. 56. 4. Martialis Patricius erat, & ſacra Marti curabat. 57. 5. Quirinalis ex majoribus tertius in honorem Romuli a Numa inſtitutus. *ibid.* Apice utebantur. 58. 5. una cum Pontificibus Judices cauſſæ aſſidebant. 58. 6.
Flaviarum gentium nomine appellati Patricii a Claudio lecti. 121. 3.
Floravantes Benedictus laudatur. 326. 1.
Florentini nobilitatem ſuam triplici conſtituto ordine a reliquis diſcrevere. 500. 8.
Florentini Patricii. 528. 13.
Fœdus cum Pipino, & Stephano III. conſtitutum, ut Pipinus Eccleſiæ Romanæ defenſionem ſuſciperet. 311. 6. In eo conventus etiam Patriciatus Romanorum. *ibid.*
Fœminæ in Patronas electæ ab Urbibus, Populis, & Collegiis. 107. 15. Patriciæ in aula Imperatricis merebant, earumque munus. 288. 1. 289. 2. Patriciatum fuerunt conſequutæ. 294. 5. minime Patriciæ ſunt appellatæ ex quo eſſent Patriciorum uxores, vel filiæ. 293. 5. eaſdem præcipuas in Auguſtarum aula obtinebant dignitates, quæ in aula Imperatorum ſpectabantur. 295. 5.
Fortiæ jus quid eſſet. 234. 7.
Francofurtenſis Reipublicæ Patricii Veteris Limpurgi ſocietatem conſtituunt. 527. 12.
Fratres, nepotes, aliique Imperatorum conſanguinei Patriciatu decorabantur. 278. 2.
Funerum Patriciorum pompa. 51. 12.

G

GAlliarum Reges in Regni inauguratione ſacro chriſmate delibuntur. 257. 5. Patriciatum conferebant. 165. 10. 259. 4. Per Patriciatum Romanorum nil aliud ſumſerunt, quam Eccleſiæ Romanæ advocationem. 386. 1.
Gentes externæ a Romanis victæ in eorumdem ſocietatem admiſſæ, & quomodo. 448. 1.
Gentis vocabulum a Patriciis uſurpatum. 12. 10.
Gentilius Antonius auctoris Pater legem de cooptandis Civibus certa pecuniæ ſumma in Urbe patria rogavit. 552. 3. Bernardus auctoris Patruus laudatur *in proemio*. 495. 4. 501. 9. 508. 2. 510. 3. 519. 6. Octavianus auctoris Avus laudatur. 495. 4. legem de admittendis Civibus ad Patriæ honores tulit. 559. 7.
Gentiles qui eſſent, variæ ſcriptorum ſententiæ. 36. 8.
Gentilis hominis nomen ab antiqua Gentilitate profectum. 38. 10. ab iis, qui more nobilium etiam in Caſtris, & Terris vivunt uſurpari poteſt. 546. 10.

Gentilitatis jus ſolis erat Patriciis. *36.* 8. Ejus jura quæ. *39. 9.* de eiſdem celebris apud Centumviros contentio excitata inter duos Patricios. *ibid.*

Germaniæ & Saxoniæ Patriciorum origo, & renovatio. 513. 5. Complurium earumdem Civitatum Patricii. 523. 8. 524. *9.* 527. 12. 531. 14. 550. 1.

Glorioſus Imperialis Patricius: titulus proprius Ravennæ Exarcharum. 277. 12.

Gothorum Reges cum Patriciatum conferrent, Romano Senatui ſcribebant. 1*64*. *9.* Imperatoris, & Senatus injuſſu illum conferre non poterant. *ibid.*

Græci antiquitus paſſim appellabantur *Romani*. 2*67*. 10.

Gregorius III. Carolo Martello Romanorum Patriciatum contulit. 30*9*. 4. duplicem ad ipſum legationem deſtinavit. 307. 2. Petiit ab eodem per ſuos Legatos, ut Italiam a Longobardis liberaret. 307. 1. 38*6*. 1.

Gregorius Patricius Romanorum qui, & cur ita appellatus. 270. 12.

H

HEnricus II. Italiam petiit, & Sutrii Concilium convocavit. 345. *6*. Romam adventus populi acclamatione Patricius appellatus. 34*6*. *6*.

Henricus III. Patricius Romanorum. 347. 7. Ex Senatuſconſulto populi Romani minime Patriciatu auctus. *ibid.*

Henricus IV. Patricius Romanorum. 348. 7. Coram Epiſcoporum conventu Baſileæ circuli Patricialis coronam ſuſcepit. 243. 3.

Henricus V. Patriciatum una cum Imperio, vi, & armis a Paſchale II. extorſit. 348. 8. 441. 4. Novam formam induxit regendi Urbes Imperiales. 50*6*. 1.

Hiſpani, & Vindelici Patricii. 518. *6*.

Hippecleſion, & Canicleon qui. Ipſi Patricii non erant. 224. 15.

I

JAnuenſes Patricii. 525. 10. 535. 1. 550. 1.

Illuſtres omnium primi Patricii denominati. 1*96*. 2.

Illuſtris nomen antiquitus erat notæ, & poſtmodum dignitatis fuit. *ibid.*

Illuſtribus Viris Patriciatus deferri poterat ex conſtitutione Juſtiniani, etiamſi nullum aliud munus prius obiiſſent. 157. 3.

Imagines ligneo armario ſervabantur, & in publicis, privatiſque ſolemnitatibus patebant lauro ornatæ. 31. 4. Earum jus habebant ii, quorum majores Magiſtratus curules geſſere. 32. 4.

Im-

Imperatores a Patriciis eligebantur. 182. 2. Hi auguſta dignitate ſe ſpoliare non poterant inconſultis Patriciis. 183. 2. Patriciis uſi ſunt in regendis Urbibus. 255. 1. Conſulatum non Patriciatum gerebant. 199. 7. 383. 11. In cauſſis ad ſacros homines, Eccleſias, & Religionem pertinentibus adhibebant Patricios. 220. 11. ad munus Eccleſiarum defenſorum adſciſcebant Patricios veluti ipſorum adjutores. 219. 11. Eorumdem ſolum judicio Patricii ſubjecti erant. 201. 6. Extra Urbem coronandi ab aliquo Patricio Imperatorium diadema accipiebant. 189. 7. Plerique poſt Carolum M. Patriciatum a Summis Pontificibus poſtularunt. 340. 1. Patriciatus titulo nunquam uſi. *ibid.* pompa ſolemni, cum Patriciatum inirent, ejus inſignia ſumebant. 342. 3. 362. 7. Unos Pontifices Maximos legitimos Patriciatus collatores noverunt. 353. 2. quum Patriciatum inibant benedictionem Summi Pontificis petebant. 362 7. Nil ab Eccleſia Romana ratione advocationis conſequebantur. 378. 8. adhuc hodie Patriciatum retinent, tanquam Romanæ Eccleſiæ Advocati. 349. 9.

Imperatricem ad Templum Sanctæ Sophiæ procedentem Patriciæ comitabantur. 290. 2.

Imperatorius titulus defenſionem Romanæ Eccleſiæ continet. 340. 1.

Imperialis Patricius: titulus poſt Carolum M. uſurpatus ab iis, qui Patriciatu in Urbibus fungebantur. 276. 13.

Imperiales Patricii complures. 274. 275. 13.

Ingenui qui eſſent. 5. 4.

Inſcriptio nominum Imperatorum in Pontificiis nummis nullum ſecum ferebat dominii inditium. 406. 3.

Inſcriptiones complures Caroli M. cum titulo Patricii Romanorum. 330. 4.

Inauguratio Patriciatus a Regia diverſa. 361. 7.

Interrex ſemper Patricius, & a Patriciis renunciatus, & quando. 88. 8. In Municipiis, & Coloniis etiam lectus. 489. 9.

Interamnenſes Patricios Pius IV. quos declaravit. 554. 7.

Interventores qui, eorumque munus. 235. 8.

Invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis inſolita in Caroli M. inſcriptionibus. 330. 4.

Joannes Romanorum Patricius juſdicendi facultatem uſurpavit. 437 3.

Iſidis Patriciæ ſtatua an peculiare Patriciorum delubrum. 64. 11. Patricia dicta a vico Patricio ipſi proximo. *ibid.* & 66. 12. Ejus numen Ægyptiacum, quando Romæ ſibi cultum vindicavit. *ibid.* Iſidis, & Oſiridis vocabulo, quid Ethnici ſignificabant. 65. 12.

Ita-

Italiæ Patriciorum renovatio. 513. 5.
Juſtinianus in ſuis conſtitutionibus diſtinctè loquitur de Patriciis Romanæ Reipublicæ, & Patriciis, talibus a dignitate appellatis. 149. 7. Non parum Patriciatui derogavit. 157. 3.
Juventus Patricia pro agrariis legibus Plebis Tribunis reſiſtit. 114. 6. Eidem aditus ad honores per Sacerdotia erat. 109. 1.
Juventutis equeſtris Princeps qui. 118. 9.
Juvenibus meritis, & prudentia præditis Patriciatus conceſſus. 158. 4.

K

KAlendæ Januarii præſtitutæ pro ineundis Magiſtratibus cum Romæ, tum in Municipiis, & Coloniis. 481. 11.

L

LAtumclavum erat aſſumentum purpureum, quod tunicis inferebatur. 138.8. Proprium erat Senatorii ordinis ornamentum. 137. 7. Pueris nobilibus indulgebatur in ſpem Senatorii ordinis. *ibid.*
Legati ab Imperatore mittebantur ad aliquem Patricium renunciandum. 162. 6. A Carolo M. Romam miſſi non jure dominii, ſed defenſionis 399. 10.
Leges Servii de contractibus libera Republica ratæ fuerunt. 80. 1.
Legum ferendarum inter Patricios, & Plebem diſſidia. *ibid.*
Leges, & ſtatuta cujuslibet Urbis circa adlectiones Patriciorum, & Civium ſervandæ. 560. 8.
Leo III. Caroli Magni opem poſtulat. 219. Nullum cum Carolo pactum iniit de Urbis, & Pontificiæ ditionis dominio ratione Patriciatus. 395. 8. Miſſos a Carolo petiit tanquam Romanorum Patricio ad coercendos Romanos. 397. 9. Ex Inſidiis adortus ad Carolum confugit. 338. 8. Carolum Imperatorem pronunciavit. 338. 10. Ejus electio ſequuta abſque ulla Caroli interpoſita auctoritate. 426. 7. & 8.
Leo IV. nullo expectato Imperatoris aſſenſu ſtatim ac electus, confirmatus fuit. 429. 8.
Lex finalis *Cod. de reſtitut. milit.* corrigenda. 252. 8.
Lex *Quoties. Cod. Ubi Senat. vel Clariſs.* explicatur. 169. 170. 3.
Lex 3. *Cod. de Conſul. & non ſpargen.* expenditur. 198. 199. 4.
Litaniæ Carolinæ, quibus pro Carolo, Clero Sanctorum patrocinium invocanti populus reſpondebat *Tu lo juva.* 335. 7.
Li-

Literæ Caroli M. quam inſcriptionem præferant ante annum DCCLXXIV. 228. 3.
Lites pro tuendis Eccleſiæ juribus coram Advocato proponebantur. 230. 4.
Locus non nobilitat hominem, ſed homo locum. 549 10.
Lotharius pompa ſolemni in Civitate S. Germani coronam circuli Patricialis ſuſcepit. 242. 3. Ejus capitula circa electionem Romani Pontificis. 428. 8. Eidem nullum in Urbem dominium ab Paſchale II. conceſſum. 407. 4. ejuſdem capitula cum Eugenio II. expenduntur. 409. 5.
Lovanienſes Patricii. 520.521.7. Apud ipſos Patricii nomen quibuſdam ſolum familiis tributum. 531. 13.
Ludi per triduum a Senatu indicti poſt ordines ad concordiam redacti. 116.7. A Pueris Patriciis certis decurſionibus, & equeſtri certamine in circo fiebant. 117. 8. In quibuſdam anni feſtivitatibus indici ab Imperatoribus ſolebant. 117. 8. Inter circenſes erant invecti, ut bello gerendo Patricii Juvenes aſſueſcerent. 116. 8. Troja nuncupabantur, & Pyrricha. *ibid.*
Luitprandus, & Hilprandus Romam obſederunt. 306. 1.
Luna in calceis generis nobilitatem, non ordinem deſignabat. 132. 4. Fuit ſemper nobilitatis inditium. *ibid.* Eam omnium primi Reges Albæ calceis adnexuerunt. 133. 4.
Lunula in calceis Patriciorum poſita erat ea in parte Tibiæ, ubi extremitates inter ſe coeunt. 139. 9. Erat eburnea, auro, & gemmis ornata. 140. 11. fuit a Romulo Patriciis conceſſa. 130. 2. 233. 4. Nunquam Plebejis fuit communicata. 134. 5. Erat nobilitatis Patriciæ argumentum a Plebeja diverſæ. *ibid.* 129. 2. deſinebat in litteram C., & quare. 134. 5. An fibula eſſet, vel quidam Uncinus. 139. 9.
Ludovici, & Octonis I. edictum de libera Pontificis Max. electione. 431. 10.

M

MAceratæ Concilium Credentiæ ſolis Viris Patriciis tributum. 508. 2. In ea Patricii juſſu populi inſtituti. 529. 14.
Magiſtratus qui Romæ erant exiſtentibus Regibus. 67. 1. Nemo in Republica niſi a populo acciperet, inire poterat. 68. 2. Ipſi ineundo juxta temporum, & electionum varietatem dies præſtituti. 70. 3. Municipales penes Decuriones erant. 480. 1.
Magiſtratus Patricius a Romanis invectus annis quinquaginta duravit. 445. 7. Senatoribus, quos ipſi inſtituerant, erat adjectus. 443. 6.

Ma-

Magiſtri militum a Conſtantino M. inſtituti qui . 247. 5. Singuli erant per diverſas regiones diſtributi . *ibid.* Eorum dignitas Patriciatui militiæ maxime propria . 244. 4.
Magnificentiæ titulo ab Imperatoribus Patricii decorati. 203. 8.
Magnitudinis titulo a Gothorum Regibus Patricii ornati . 204. *9*.
Marangonus Joannes laudatur . 179. 11. 430. *9*.
Matronæ nobiles ancillas ornatrices alebant . 391. 3. Ad nobilitatis inditium lunas collo ſuſpenſas ferebant . 133. 4.
Menſores ii dicti , quibus cura erat ordinandi pompam nuptiarum Imperatorum , vel Patriciorum . 187. 5.
Metata erant hoſpitia , quæ militibus Provinciales præbebant . 195. 1.
Militis nomen medio, & inferiori ævo erat dignitatis . 500.8.
Militiæ gradus quomodo diſtributi . 242. 2.
Monaldinus Marcus Antonius laudatur . 516. *6*.
Mons altus Urbs in Piceno diu Montis Patricii nomen retinuit . 465. 12.
Monogrammata Leonis III. ætate præcipue in uſu erant. 404. 1.
Monaſteriis privilegia a Summis Pontificibus conceſſa Patriciis petentibus . 232. 5.
Mulleis utebantur ædiles ſuo jam perfuncti officio . 128. 1.

N

Natio quælibet hodie Patricii appellationem adhibet. 530. 14.
Neapolis erat præcipua Græcorum Patriciorum ſedes. 263. 7.
Neapolitanorum , & Amalphitanorum Patricii . 256. 1.
Nicolai II. conſtitutio de electione Romani Pontificis corrupta , ejuſque ſenſus . 433. 11.
Nobilitas jure imaginum comparabatur . 28. 2. Alia erat Patriciorum , alia Plebejorum. 134. 5. plerumque uſurpabatur pro Patriciis deſignandis 28. 1. generoſa hodie requiritur , ut quis equeſtribus ordinibus adſcribatur . 540. 5. Eaque quatuor laterum requiritur . 545. 8. generoſa iis eſt , qui probant majores ſuos patriis honoribus functos eſſe . 542. *6*. 543. 7. Patriciarum Familiarum metitur ab vetuſtate earum gentium , quæ in Conciliis locum habuerunt. 541. *6*. A Principis Supremi lege procedit . 544. 7. Ejus cauſſa efficiens antiquitas eſt . 544. 8.
Nobiles ii dicti qui ſuorum majorum habebant imagines . 30. 3. Romani Patricios tantum vocabant . 28. 1. pecunia Civitati tradita pleriſque in locis creantur . 552. 3. Urbani ubique fere locorum Patricii appellantur . 533. 1. non omnes jure hanc denomina-

minationem uſurpant . 533. 354. 1. 540. 4. 546. 9.

Notarii, & Subdiaconi regionarii ſeptem in Urbe erant, qui Martyrum geſta ſcribebant. 216. 8.

Nummi Pontificii cum Caroli M., aliorumque Imperatorum nomine inſcripti . 405. 3.

Nunciorum Apoſtolicorum in Gallia origo. 308. 2.

Nuptiarum Ritus inter Patricios, & Imperatorum filias. 187. 6.

O

Opilio Romanorum Patricius qui. 271. 12.

Optimates Patricii, Equites, & Plebeji erant. 26. 11.

Ordines Civium Romanorum, & genera variis modis commiſta ex notis cenſoriis. 19. 20. 5.

Ordinis nota Senatores in Municipiis, & Coloniis deſignati. 467. 1. 468. 2. id nomen vilium quoque Artificum cœtus uſurparunt . 469. 2.

Ordo primarius in Coloniis, & Municipiis lectus erat ex ipſis Romanis Patriciis. 458. 8.

Ordo in antiquis monumentis proprius Patricios deſignabat. 469. 2. 470. 2. 471. 3.

P

Palatini in Polonia Patriciis ſuffecti. 304. 6.

Pares Franciæ Patriciis ſubrogati, eorumque origo, & præſtantia. 301. 4. 302. 5.

Patres Civitatum qui. 455. 6.

Patriarchæ Conſtantinopolitani Patriciatu aucti. 287. 9.

Patriciatus a Conſtantino Magno inſtitutus. 144. 1. Summa dignitas erat, imo dignitatum culmen, & apex. 153. 10. Ex eo dictus, quod Patricii Patres eſſent Imperatorum. 150. 8. Summum honorem tum perſonæ, tum familiæ afferebat. 152. 9. Nil aliud, quam purum honoris titulum conferebat. 151. 9. Initio collatus Viris eximia virtute, & nobilitate præſtantibus, imo Regibus ipſis. 155. 1. Iis præcipue datus, qui in bellis operam ſuam bene navarunt. *ibid.* Tribuebatur poſt optime geſtos quoſdam Magiſtratus. *ibid.* Non conceſſus ante pubertatis annos. 159. 4. Abſentibus deferebatur codicillorum miſſione. 160. 5. Ejuſdem formula, ſeu codicilli. 162. 7. Ad poſteros non tranſmittebatur. 152. 9. Antiquior erat Juſtiniano Imperatore, unde minime ab ipſo inventus. 147. 5. eum ætate provecta quis conſequebatur. 158. 4. Medium locum tenebat inter Conſulatum, & Præfecturam. 196. 2. A Summis Pontificibus, aliiſque Viris Principibus maximi factus. 202. 7. ante Conſtantini ætatem ejus dignitas in-

Digitized by Google

veniri non licet. 145. 3. Ritus eam conferendi, qui fuerit. 161. 6. Ejus, qui pro Eccleſiarum defenſione dabatur, formula. 212. 5. Patriciatus militiæ gradum ad Patriciatum Civitatum faciebat. 250. 7. Civitatum Patriciatus formula. 261. 5. Ejus inſignia quæ. 364. 9. Summæ dignitatis erat apud Gallos. 165. 10. Apud Anglos, etiam, & Belgas uſurpatus. 166. 10. Romano, & Conſtantinopolitano nonnulli ornati fuerunt. 179. 11. A Carolo M. Arichiſio Duci Beneventano confertur. 274. 14. in Romanum Pontificem cum donatione Exarchatus translatus fuit. 376. 6. Decurionibus Municipiorum, & Coloniarum ab Imperatoribus conceſſus. 491. 2. In omnium fere ſupremorum Principum aula, adhuc hodie viget, & quomodo. 297. 1.

Patriciatus Romanorum Carolo Martello a Gregorio III. delatus. 309. 4. Qui fuerit, variæ ſcriptorum ſententiæ. 315. 1. minime ex eo dictus, quod Romanorum Patricius Pater fuerit Summi Pontificis. 372. 4. Adulantium auctus fabulis amplior viſus eſt. 349. 9. Non idem, ac Conſulatus. 381. 10. Non habebat ampliorem poteſtatem, quam habuerit antiquus Græcorum. 380. 9. Non idem, ac Patriciatus Græcorum. 371. 3. 373. 5. 378. 8. Nil aliud, quam Eccleſiæ, Populique Romani defenſionem importabat. 316. 317. 1. 320. 4. 321. 5. 373. 5. Ejus munus, & officium. 368. 369. 1. Ejus partes erant Romanæ Eccleſiæ jura tueri. 317. 2. Ejus muneri, quamplura falſo tributa. 369. 2. a Romanis conceſſus ſemper exoſus Pontificibus Maximis. 436. 2.

Patricii ii primum dicti, qui ex centum Senatoribus a Romulo lectis geniti fuerunt. 4. 3. Non ſecus ac Patres erant, vel ſignificabant. 6. 5. Hi proprie erant, qui vel a centum iis Patribus, vel ab aliis Senatoribus erant nati, nepotes, vel deſcendentes. 7. 5. Fieri non poterant niſi lege nominatim ad populum lata. 7. 5. Duplicis erant generis, alii majorum, alii minorum gentium. 11. 9. vel in ordine Senatorio, vel in Equeſtri, aut de Plebe erant. 13. 1. Qui minorem ordinem meruerint Patriciæ gentis dicti. 21. 6. Juſſu Cenſorum in plebem translati, non Plebeji, ſed de Plebe dicti. *ibid.* Cujuſvis ordinis eſſent, erant nobiliſſimi. 28. 1. 29. 2. 32. 5. 34. 6. Etiamſi nullam haberent imaginem. 29. 2. 34. 6. Novi appellati, qui erant. 34. 35. 6. Quæ munera in Romana Republica obirent. 40. 1. Quomodo in Senatum advocabantur. 41. 2. nulla ad-

adſtricti erant lege, quæ lata non eſſet in centuriatis comitiis. 50. 11. Regibus exactis omnem eorumdem poteſtatem ſuſcipiunt. 67. 1. Urbium Patroni lecti. 96. 7. Maximum in honoris locum iis cedebat majorem Clientum oſtentare numerum. 93. 4. In Capitolio habitare non poterant. 141.12. In Vico Suburræ morabantur. *ibid.* Eorum munus poſt translatum ad Cæſares Urbis imperium. 119. 1. 125. 6. Ab Imperatoribus lecti duplicis generis erant alii *Candidati*, alii *Adlecti* nuncupati. 123. 5. ab Auguſto Cæſare Provinciis præficiebantur. 125. 6. a Conſtantino M. Byzantium acciti plura ædificia conſtruunt. 147. 5. Majorum, & Minorum gentium occurrunt etiam poſt Conſtantinum M. 149. 7.

Patricii a Conſtantino M. inſtituti diverſi ab iis, qui Romæ erant. 149. 7. Ii non erant, nec dicebantur Patricii Romani. 150. 8. non aſſidebant in Conſiſtorio more veteri, uti primores Senatus. 175. 7. Patres erant Imperatorum. 173. 6. In Codice Theodoſiano his ſiglis ſignantur P.K.A. 151. 8. In imperialibus conſtitutionibus aliter accipiendi ſunt a Patriciis Romanæ Reipublicæ. 148. 6. Faſtis adſcribebantur. 194. 1. ſoluti erant a patria poteſtate, & a nexibus Curiæ. 195. 1. Iidem non erant, ac Comites Conſiſtoriani. 176. 9. Uti Patres Imperatorum ad eorumdem conſilia adhibiti. 174. In actu adipiſcendæ dignitatis tondebantur. 161. 6. præcelſiora munera in aula imperatoria obibant. 190. 9. Sedebant ſupra Præfectos Prætorio. 196. 2. In officium Patrum Imperatorum erant provecti. 181. 1. Ab Imperatoribus miſſi, ut Conciliis ſuo nomine intereſſent. 220. 12. In religione Chriſtiana munus Eccleſiarum advocationis obibant. 213. 6. Ipſorum quatuor genera erant. 172. 5. Imperium plerique affectabant. 185. 4. Quomodo ab Imperatore damnabantur. 201. 6. minime erant Imperatorum Vicarii in rebus Eccleſiaſticis. 223. 14. Creati ab Imperatoribus Orientis diverſi ab iis, qui ab aliis Principibus renunciabantur. 173. 6. Duo ab Imperatoribus in Italiam miſſi. 255. 1. Uti Præfecti Prætorio proponebant edicta. 493. 2. Imperatores complures Patricii renunciati. 185. 4. Imperatorem eligebant. 182. 2. 184. 2. etiam ſinguli imperium deferebant. 184. 3. Eorum opera, & auctoritate imperium tutabatur. 181. 1. militiæ diverſi a Patriciis Civitatum. 171. 4. 246. 6. in Urbibus, ipſis commiſſis populis juſdicendi poteſtatem habebant. 264. 8. Urbes, at-

que Provincias ad nutum Imperatoris regebant. 266. 9. Exercituum Duces erant. 243. 3. Eccleſiarum advocati ſubſcribebant Regum diplomatibus, quibus iſti Eccleſiis bona confirmabant. 230. 3. Præſidum abrogato nomine illius Civitatis, cui præerant, Paticii nuncupati, & quando. 257. 2. Earum Civitatum, in quibus Magiſtri Militum erant, nomina muneri ſuo adjiciebant. 247. 6. Patricii a Gothorum Regibus creati aliquando Patricii Romani dicti. 178. 11. Duplicis hi erant generis, alii *Præſentales*, alii *Codicillares*. 175. 8. Galliarum eodem jure, quo Græci in ſibi ſubjectis Urbibus potiebantur. 260. 4. Ab aliis Principibus renunciati, qui fuerint. 163. 8. Hi generali nomine Conſiliarii Principum nuncupati. 173. 6. 175. 7. Raro, aut nunquam ſub Caroli M. ætate reperiuntur. 274. 14. Duo inſolidum Romæ nunquam fuerunt. 376. 6. Complures etiam poſt Aiſtulphum, & Carolum M. fuerunt in Regni Neapolitani regionibus. 274. 14. Romanorum non iidem, ac Reges. 381. 9. ante Caroli M. ætatem Romanæ Civitatis præfectura pro Græco Imperatore minime fungebantur. 266. 10. 269. 11. a ſeditioſis Romanis electi jus cudendæ monetæ uſurparunt. 438. 3.

Patricii in aliis etiam Civitatibus, eodem jure, quo Romæ erant, propagati. 448. 1. 459. 9. In Municipiis, & Coloniis erant Decurionum filii. 456. 7. 465. 11. 472. 4. 491. 1. Eorumdem extra Romam origo tempore Romanæ Reipublicæ. 457. 7. Poſterioribus ſeculis qui tales fuerint nuncupati. 514. 5. 515. 6. 520. 7. Uti hodie appellantur una exprimi definitione vix poſſunt. 535. 11. Qui hodie jure appellari poſſint. 536. 2. 537. 3. 541. 6. 543. 7. 544. 8. 545. 8. hodie ſunt intelligendi, uti habebantur antiquitus in Romana Republica. 534. 1. Appellandi non ſunt, qui in Terris, & Caſtris degunt. 548. 10. item nec ii, quorum majores Civitatis præſtantiora munera non ſunt conſequuti. 538. 4. a Nobilibus differunt. 538. 4. In qualibet Civitate nobiliores cenſentur. 541. 5. Non ubique Principem locum obtinent. 527. 12. aliter non ſunt habendi, qui in maximis ab iis, qui in minoribus Civitatibus degunt. 546. 9.

Patricium nomen ipſa plebejorum nobilitate, honorabilius. 33. 5. poſt translatum imperium Roma Byzantium in Municipiis, & in Coloniis obſoletum. 491. 1. quomodo apud Romanos deſueverit. 493. 3. non coævum in unaquaque Civitate fuit, & quando

Digitized by Google

do uſurpatum. 520. 7. Ut hodie ſumitur non prius ſeculo decimoquarto ineunte uſurpari cœpit. 517. 6. ſumi nequit ab iis, qui ſolum in Concilio alicujus Civitatis locum obtinent, & quid requiratur. 555. 5. non amittitur etiamſi quis natus ſit ex matre plebeja. 546. 8.
Patriciæ Matres Imperatorum vocatæ. 292. 4. apud Auguſtas Principes dignitate, & poteſtate maxime florebant. *ibid.*
Patriciſſæ circa undecimum ſeculum Patriciorum uxores dictæ. 295. 5.
Patricioli, & Patriciaſtri Flandriæ. 166. 10.
Patrimi, & Matrimi qui. 109. 1.
Patronatus tabulæ in Patronorum domibus collocabantur. 100. 10.
Patroni in publicis monimentis conſignati. 101. 11. Eorum in Clientes beneficia. 91. 2. Oppidorum duplicis erant generis alii *adſciti*, alii *ab origine*. 97. 8. Ad ipſos mittebantur Legati cum electionis decreto. 99. 9.
Paullus I. auxilium adverſus Deſiderium a Pipino uti Romanorum Patricio poſtulat. 218. 2.
Periſcelidi in Anglia Patriciis ſuffecti. 304. 6.
Phœbeus Filippus laudatur. 103. 12.
Pieragoſtinus Dionyſius Epiſcopus Septempedanus laudatur. 499. 6.
Pipinus XX. Exarchatus, & Pentapolis Urbes Romanæ Eccleſiæ largitus fuit. 314. 8. Senatum Populumque Romanum, obſequium erga Pontificem Max. ſervare coegit. 389. 4. omnium primus in Patriciatus, & Regni inauguratione Sacro Chriſmate delibutus. 357. 5.
Placentini Patricii a Plebe diſcreti. 525. 11.
Plebs eſt in qua Viri Patricii non ſunt. 4. 3. Ejus prima adverſus Patricios ſeditio. 74. 8.
Plebeji, quem volebant ex Patriciis ſibi Patronum deligebant. 91. 1. auſpicia habere cœperunt, poſtquam licuit ipſis cum Patriciis inire connubia. 46. 7. Tunc etiam aditum ad omnes honores habuere. 84. 4. Iis jure imaginum Patriciorum nobilitas fuit communicata. 30. 2. in compluribus Civitatibus locum Concilii adverſus nobiles occuparunt. 502. 10.
Plebejum, & de Plebe diverſum. 14. 1.
Poetæ ab Imperatoribus Patricii renunciati. 157. 2.
Pollidorus Joannes Baptiſta laudatur. 516. 6.
Pollidorus Petrus laudatur *in proœmio*. 96. 7.
Pontifices ex Patriciis lecti quatuor initio fuere. 58. 6. uſque ad xv. aucti, inter quos octo Patricii majores dicti, reliqui minores. 59. 6.
Pontifices Maximi curam Patrimonii Eccleſiæ Romanæ de-

delegabant Patriciis . 218. 10. 260. 4. conferendi Romanorum Patriciatum Regibus, & Imperatoribus ſoli poteſtatem habebant. 352. 1. conſuevere ad Francorum Reges uti Patricios Romanorum poſt eorum electionem Legatos mittere. 426. 7.
Populus Romanus quomodo initio fuerit diſtributus. 2. 1. Ejus Partitio altera in ordine, altera in genere conſtituta. 4. 3. nulla eidem erat conferendi Patriciatus poteſtas. 354. 2. illius conferendi auctoritatem uſurpavit. 436. 2. Ut adverſus Pontificem potentiorem haberent Patricium, eam dignitatem Henrico III., & V. contulerunt. 441. 4. Urbis Regimini Rectores ſub Patricii nomine præficiebat. 436. 1.
Præfecti Urbis poſterioribus ſeculis jurisdictio. 439. 3.
Præfectura urbicaria poſt Patriciatum Illuſtris titulo inſignita. 197. 2. dignitas erat Patriciatu minor. *ibid.*
Prætoris creandi cauſſa, & munus. 86. 6.
Prætores Calabri, & Strategi Patricii nuncupati. 258. 2.
Prætorium Patriciorum erat Neapolis. 363. 7.
Preces pro Carolo in Miſſa quadrageſimæ. 335. 7.
Primus Curiæ idem, ac Romæ Princeps Senatus. 477. 8.
Primiſcrinius qui. 253. 9.
Principibus Patriciatus delatus per alium Patricium. 179. 3.
Privilegium Adriani I. conceſſum Eccleſiæ Turonenſi an fictitium. 333. 6. Ottonis I. pro Monaſterio Laurishemenſi minime ſincerum. 244. 5. Caroli M. pro Pariſiacenſi cœnobio expenditur. 334. 6.
Protectionis genus duplex *Ordinarium* ſcilicet, & *Extraordinarium*. 209. 3.
Puellæ comatæ quæ. 290. 3.
Pueri nobiles Patricii, ſive Plebeji auream bullam collo ſuſpenſam geſtabant. 135. 6.
Pueri Conſules in antiquis monimentis deſignati qui fuerint. 200. 5.
Pyrricha ludorum genus, quod a Patriciis juvenibus exercebatur. 117. 8.

Q

QUæſtores in Urbe tempore Reipublicæ maxime floruerunt, eorumque munus. 74. 7.
Quæſtores S. Palatii qui; iis in judicandis cauſſis Patricii additi. 192. 9.
Quæſtores exercitus ſumtuum præbitores erant. 241. 1.
Quatuorviri in pleriſque Municipiis, & Coloniis Magiſtratum gerebant. 483. 3.
Quinquennales Cenſores erant Municipiorum, & Coloniarum. 488. 8.

Ra-

R

RAvennæ Concilium ex Primoribus & nobilibus deligitur. 511. 4.
Reges complures Patricii. 280. 4. iis in honorem maximum Patriciatus cedebat. 477. 1. Græci Imperatoris exemplo Patriciatum conferebant. 163. 8. Per Patriciatum a Græco Imperatore acceptum ad obſequia ipſi Imperatori præſtanda alliciebantur. 285. 8. Suis Patriciis præcipua munera committebant. 195. 10.
Regni Neapolitani complurium Civitatum nobilitas commendatur. 512. 4.
Rex ſacrificulus ex Patriciis lectus, ejuſque munus. 60. 8.
Rhemenſi Archiepiſcopo jus eſt Reges Francorum S. Chriſmatis unctione ſacrandi. 357. 5.
Ritus & Sacræ Cæremoniæ apud Græcos adhibitæ in Patriciatu ſuſcipiendo. 262. 6.
Ritus, quibus Regibus, ac Imperatoribus Romanorum Patriciatus conferebatur. 377. 3.
Romanorum vocabulum a Scriptoribus mediæ ætatis ad barbarorum diſcrimen uſurpatum. 268. 10. Populos etiam extra Italiam deſignabat veluti Romano ſubjectos imperio. 268. 10. Eodem Græci Patricii deſignabantur. 267. 10.
S. Romualdus *Camerinenſis* a S. Petro Damiano appellatus. 268. 10.

S

SAcellum pudicitiæ Patriciæ erat intra fines octavæ regionis, in quo Patriciorum uxores ſacra peragebant. 63. 10.
Sacellum pudicitiæ plebejæ in undecima regione poſitum, ut in eo Plebejorum uxores ſacra facerent. *ibid.*
Sacer homo apud Romanos is erat, quem ob maleficium populus judicarat, ut a quovis impune poſſet occidi. 92. 2.
Sacerdotia quæ, & quot fuerint. 53. 1. Aliqua Patriciorum ſolum fuerunt, alia plebejis communicata. *ibid.*
Sacra privata quæ, & an eadem Patriciorum, ac Plebejorum. 63. 10.
Sacramenti formula, quo Carolus M. Eccleſiæ Romanæ defenſionem pollicitus fuit. 338. 9.
Sacramentum Summis Pontificibus exhibitum, & ſubjectionis, & fidelitatis erat. 413. 7. Sacramentum fidelitatis Imperatoribus uti Eccleſiæ Advocatis præſtari a Romanis aliquando non detrectarunt Pontifices. 413. 7. Carolo M. aliiſque Imperatoribus exhibitum fuit juſſu Summi Pontificis, & quando. 411. 6. Formula illius, quo Imperatores adiguntur pro præſtanda Eccleſiæ Romanæ defenſione. 350. 9.
Salii Marti gradivo ſacra in Palatio

latio factitabant. 41. 3. Juvenes Salios nuper in Collegio receptos Magiſter docebat. 113. 5. Idem inaugurabat Patricios juvenes certis cæremoniis. 113. *ibid.* Copioſa cœna iis parabatur in feſtis Anciliorum. 113. 4. Eorum Collegium Patriciorum filiis Patrimis, & Matrimis a Numa conceſſum. 109. 1. Eorum veſtes, quum per Urbem Ancilia movebant quæ. 112. 4. Saltationum motus qua celeritate edebant. 111. 4.

Scribæ de ſuo plerumque antiquis diplomatibus addunt. 330. 4.

Scriniarii Patriciorum erant Notarii. 252. 9. Complures erant juxta diverſi ordinis ſcrinia. *ibid.*

Scriptorum nimia inconſtantia in explicando Romanorum Patriciatu. 369. 2.

Scutum e cœlo tempore Numæ veniſſe fertur, quod a Saliis cuſtodiebatur. 110. 2.

Sedes Patricia quæ. 251. 8.

Sebaſtocrator, Cæſar, & Deſpota Qui. 295. 6.

Senatores ii centum dicti, quos Romulus primum Concilii publici gratia legit. 3. 2. In iis legendis præ cæteris ſpectabatur, quod quis eſſet Patricius. 8. 7. Ut quis eſſe Senator poſſet in Patriciorum numerum prius referebatur. *ibid.* Varius eorumdem numerus tum creſcente Republica, tum Romano Imperio vigente; 9. 8. Eorum ordo a Romanis Innocentio. 11. Sedente reſtitutus. 442. 5. Regalia Pontifici Maximo invaſerunt. 443. 5.

Senatus tempore Adriani, & Severi Imperatorum in duas claſſes diviſus. 121. 2. nemo ipſum adibat jure ſanguinis, vel ſucceſſionis. 18. 4. Romanus maximus, Municipiorum vero, & Coloniarum minor nuncupatus. 452. 453. 4.

Senatuſconſulta antiqua litera T a Tribunis Plebis notabantur. 77. 10.

Senatuſconſulta etiam Decurionum decreta appellata. 470. 7.

Senatuſconſultum, quo Carolo M. aſſeritur datum fuiſſe Patriciatum commentitium. 416. 1. Simile pro Ottone I. Imperatore falſiſſimum. 417. 2.

Septempeda auctoris patria jus cudendi monetas habebat, & eligebat Prætorem cum jure Gladii. 509. 3. diu, conſtanterque retinuit, veluti hodie retinet antiquam nobilitatem. 494. 4. Reipublicæ nomine, & jure diu gaviſa fuit, nec unquam amiſit. 495. 4. In ea defenſionis Eccleſiarum munus duobus probis Viris commiſſum. 211. 4. In ea Plebeji Concilium occuparunt, & quando. 501. 9. Patricius ordo in ea reſtituitur, & a Concilio Plebeji excluduntur *ibid.* Ordo Patriciorum etiam antiquitus vigebat. 468. 1. 470. 2. Conſtituitur Concilium

Cre-

Digitized by Google

Credentiæ, & Regulatus, in quo ſoli Patricii conveniunt. 508. & 509. 3. adlectiones ad locum præfati Concilii ſpectant ad ipſum Concilium. 558. 7. Spectant etiam ad Regimentum, & quando. 559. 7.
Septempedani Patricii. 519. 6.
Sergius II. renuit præſtari a Romanis Ludovico Lotharii filio Sacramentum. 413. 7.
Sereniſſimus: titulus inſolitus in Caroli Magni inſcriptionibus. 330. 4.
Siciliæ Patricius qui. 256. 1. Quot loca ſub ſua ditione habebat. 363. 7.
Sigla P. C. ſolebant Pontifices Max. ſignare epochas publicorum monumentorum, ejuſque explicatio. 341. 2. Sigla V. P. legenda Vir Patricius. 284. 7.
Siniſtra pars in antiquis Eccleſiaſticis rebus dextera honorabilior. 198. 3.
Statua Patronis in ſignum ſuſceptæ tutelæ ponebatur. 101. 11. Ejus dedicatio. 103. 12. erigebatur eiſdem etiam ex privatorum hominum munificentia. 104. 12.
Stemmata gentilitia ab antiquis imaginibus derivarunt. 38. 10.
Stephanus III. Pipino ſcripſit, ut defenſionem Eccleſiæ Romanæ adverſus Longobardos ſuſciperet. 311. 5. In datis ad Pipinum Epiſtolis Urbem ſuam, & Populum ſuum Romanum appellat. 389. 3. Gallias petiit pro ineundo cum Pipino fœdere circa Romanæ Eccleſiæ advocationem. 311. 6. Compluries Carolum M. admonuit, ut Civitates Romanæ Eccleſiæ oblatas quamcitius traderet. 391. 5. Ad Pipinum tanquam ad Romanorum Patricium Legatos miſit. 218. 2.
Sponſos Imperatorios Patricii fauſta adprecantes in geniale cubiculum ducebant. 188. 6.
Statores fuere Patriciis, eorumque munus. 266. 9.
Suffibulum erat præcipuum Pontificum ornamentum. 60. 7.
Synodus Lateranenſis, in qua conlatus aſſeritur Carolo M. Patriciatus, ab auctore ſchiſmatico ficta. 421. 4. & 5.

T

Tibicines, & Fidicines Saliis ſonitu præibant 112 4.
Tituli, & honores præſtandi ſunt Viris dignitate, ac merito ornatis. 205. 9. Tituli antiqui, qui Patricii denominationi æquipollebant. 498. 6. 515. 6. Ii, quibus Conſiliarii antiquitus inſigniebantur generoſam probant nobilitatem. 499. 7.
Titulorum formula a Carolo M. adhibita. 330. 4.
Trevirenſes Patricii antiquiſſimi. 464. 11.
Tribus a Romulo inſtitutæ tres ab initio fuerunt. 2. 1. Iis nomina indita poſt Sabinum bellum confectum. 3. 1.

Tri-

Digitized by Google

Tribunatus Plebis plebejus erat Magiſtratus, in quo eſſe Patricii non poterant, niſi a Patriciis exiiſſent. 23. 8. 76. 9. 78. 11. Eo conſtituto omnis Patriciis ademta poteſtas. 76. 10. eum Patricii quoque geſſerunt poſt decemvirale Imperium. 178. 1.

Tribuni Plebis niſi probaſſent, quod Senatus decreverat, ratum non erat. 77. 10. Eorum adverſus Coſs. & Patricios inſolentia. *ibid.* Hanc Sylla ſuis legibus conatus eſt adimere. *ibid.*

Troja erat ludus, qui equeſtri certamine a pueris Patriciis exercebatur. 117. 8.

Tutulum erat quoddam pallii genus Pontificum proprium. 60. 7.

V

Vexillum Eccleſiarum Advocatis dabatur. 227. 2. S. Petri vexillum a Summis Pontificibus ad excitandum adverſus Infideles Principum animos iis mitti ſolitum. 324. 7. Galliæ Regibus miſſum, tanquam Romanorum Patriciis, & Romanæ Eccleſiæ Advocatis. 322. 6. Vexillum, & enſis Romani Patriciatus inſignia. 367. 9.

Veſtes antiquitus erant conſtitutæ cuique generi, ordini, Magiſtratui, & nationi. 127. 1. Patriciorum quæ fuerint. 128. 1. 205. 10.

Veſpaſianus Imp. mille Patricios legit. 122. 3.

Veneti Patricii. 514. 4. 524. 10. 527. 12. 535. 1. 541. 6. 550. 1.

Vicus Patricius regionis quintæ Exquilinæ pars. 141. 12.

Viri potentes altiſſimas turres in ſuis domibus erigebant, iique habebantur Patricii. 498. 6.

Unctio Sacra propria erat inaugurandorum Regum. 356. 4. Ea Francorum Reges a Stephano III. Patricii renunciati. 356. 4.

Urbes, & Oppida ſub Patriciorum tutela ſe committebant. 96. 7.

Uſus noſtrorum temporum mutuandi in ſingulos dies ab exteris populis nova veſtimenti genera improbatur. 128. 1.

Vulpius Joſephus Roccus laudatur. 97. 7. 469. 1. 525. 10.

Vultureni Patricii antiquiſſimi. 467. 11.

Z

Zenonis Imper. conſtitutio circa Patriciatus collationem. 155. 1.

FINIS.

Præ.

Digitized by Google

Præcipua menda, quæ inconſulto auctore irrepſerunt, ſic corriguntor.

P*Agina 6.v.2.* interpetratione, *corr.* Interpretatione. *pag.26.v.21.* ſtudebunt, *corr.* ſtudebant. *pag.37. v.28.* pecuniamque, *corr.* pecuniaque. *pag.41. v.13.* quamcunque, *corr.* quemcunque. *pag.58. v.25.* ille, *corr.* illi. *pag.109. v.10.* conceſſum, *corr.* conceſſum. *pag.111. v. 24.* ſubſultant, *corr.* ſubſaltant. *pag. 118. v.11.* præcipuae, *corr.* præcipue. *pag.160. v.12.* deſtinebantur, *corr.* deſtinabantur. *pag.163. v.34.* vetitus, *corr.* veritus. *pag.164. v.25.* ad, *corr.* ac. *pag.165. v.29.* clevojent, *corr.* elevojent. *ibid. v.ſeq.* commèc, *corr.* commè c'. *pag.205. v.22.* ix. *corr.* x. *pag.208. v.13.* impedirent, *corr.* impenderent. *pag.219. v.21.* eſſet, *corr.* eſſent. *pag.220. v.28.* Iu Synodum Chalcedonenſem, *corr.* In Synodum a Flaviano Epiſcopo C. P. indictam paullo ante Chalcedonenſem. *pag. 222. v.20.* Cabaſutium, *corr.* Cabaſſutius. *pag.225. v.25.* Lugdunenſi, *corr.* Lugdunenſis. *pag. 238. v. 11.* dicimus, *corr.* ducimus. *pag. 247. v. 27.* Magiſteria, *corr.* Magiſterii. *pag.251. v.14.* Gutherrum, *corr.* Gutherum. *pag.255. v.3.* revocatum, *corr.* renovatum. *pag.298. v.3.* Fuſcus, *corr.* Tuſcus. *pag.311. v.9.* tibi *corr.* ſibi. *pag.317. v.19.* conſulta, *corr.* conſulto. *pag.360. v.6.* Ad, *corr.* At *pag.365. v.24.* fuerant, *corr.* fuerat. *pag.403. v.10.* iterumque, *corr.* itemque. *pag.408. v.13.* an *corr.* ad. *pag.410. v.7.* Scriptoris, *corr.* Imperatoris. *pag.424. v.5.* nec, *corr.* certe. *pag.425. v.23.* Epiſcopatum, *corr.* Epiſcopatuum. *pag.431. v.31.* referente, *corr.* referenti. *pag. eadem v.35.* ſimpliciter, *corr.* ſimplicitate. *pag.484. v.3.* *lapidis*. L. *corr.* L. *pag.458. v.25.* cap.18. *corr.* cap.1.§.4. *pag.487. v.8.* 357. *corr.* 36. *pag.492. v.5.* Ἐὐαρχιαὼυ *corr.* Ἐπαρχιῶν. *pag.465. v.27.* coſtiterunt, *corr.* coſtruxerunt. *pag.506. v.1.* familii, *corr.* familiis. *pag.524. v.5.* Tribus, *corr.* Tribubus. *ibid. v.17.* altius, *corr.* ſtatim. *pag.529. v.26.* ſpendore, *corr.* ſplendore. *pag.543. v.23.* hic, *corr.* his. *pag.546. v.28. poſt verbum* Urbanos, *omiſſum eſt*: aliarumque illuſtrium Regionum, ſeu Oppidorum, in quibus veræ, ac generoſæ nobilitatis ratio penes ſuos Conſiliarios reſideat, jure &c. 549. *in titulo capit.* Electione, *corr.* Adlectione. *pag. 553. v.34.* Chimicos, *corr.* Clinicos. *pag.559. v.8.* extraendi, *corr.* extrahendi.

Si quæ alia etiam ſunt menda, humanitatis tuæ erit, Lector, ignoſcere, æquitatemque Horatii imitari, qui ait:

—— Non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

MAG 2011826

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google